Riverius reformatus, renovatus et auctus; sive praxis medica methodo Riverianae non absimili juxta recentiorum tum medicorum tum philosophorum principia a F. Calmette ... conscripta / [François de La Calmette].

Contributors

La Calmette, François de.

Publication/Creation

Venetiis : N. Pezzana, 1733.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/pv6n4mfe

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

157
16545/B

CALMETTE, F.
C

RIVERIUS
REFORMATUS,
RENOVATUS, ET AUCTUS,
SIVE
PRAXIS MEDICA
METHODO RIVERIANÆ

Non abſimili juxta recentiorum, tum Medicorum, tum Philoſophorum principia à FRANCISCO CALMETTE Monſpelienſis Academiæ Medico conſcripta, & publicè olim prælecta.

QUÆ IN NOVISSIMA HAC EDITIONE

A ſuo Auctore recognita, & ampliata;

Imò Notis itidem aliis, ac Tractatibus ſelectioribus illuſtrata, auctior, & correctior multò prodit.

VENETIIS, M.DCCXXXIII.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Compré este libro por 4 pesos 6r el dia
16 de Julio de 1737.

D. Joseph Juan de Rhalgria

Sirvo á mi gusto en el año de 1762.

D. Joseph Martinez

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY
308936

BIBLIOPOLÆ GENEVENSES

LECTORI.

IAm pridem, *Lector Humaniſſime*, Anno ſcilicet 1687. mandata fuit *Praxis Riveriana Reformata*, ex Manuſcripto Codice exprompta. Quippe tunc Nobilis Gallus, in Medicum noſtratem fortè incidebat: quo cum de Medicina, cujus diſcendæ gratia, Monſpelii noviſſimè commoratus fuerat, verba faciens, hujuſce Manuſcripti ibi locorum comparati, cui ſe quantum in ea Arte profecerat maxima ex parte debere profitebatur, mentionem injecit, illudque prædicto Medico legendum, & examinandum commodavit: A quo cùm digniſſimus lucis publicæ uſura videretur, nos ad ejus editionem minimè inviti impulſi fuimus. Cùm ſcilicet admoneremur librum hunc ſtylo ſimplici, ſed facili, & perſpicuo conſcriptum, morborum propemodum omnium qui à Practicis attinguntur, *Hiſtoriam*, & *Curationem* omnibus numeris abſolutam complecti, & in primis *Pathologiam*, quam vocant,

ad mentem maximè cordatorum inter recentiores Artis Aſclepiadeæ Magiſtrorum doctiſſimè, & accuratiùs forſan quàm ab aliis hactenus factum, tradere; adeò ut hinc, non tyrones tantùm, verùm & qui in latrices caſtris conſenuerunt quod diſcant abunde reperturi eſſent. Nec nos fefellit tam Præcellentis Medici admonitio; ſiquidem etiamſi Liber hic variis deformatus mendoſis locis quæ, præ Codicis diligentiùs exarati inopia, reſtituere impoſſibile fuerat, prodiret, non propterea tamen minùs avidè, tam ab iis qui in Medica Arte tantùm initiati erant, quàm ab ipſius Myſtagogis, expetitum brevi ejuſdem exemplaria deſiderari cœperunt, etiam ſi Lugdunenſis alia Editio noſtram ſubſequuta fuiſſet. Itaque aliam Editionem reparare aggreſſi; quò apud Medicos, præclari hujuſce Voluminis commendationem augeremus, non tantùm illud plurimis ſuis mendis rursùs repurgatum voluimus, ſed etiam variis *Notis Practicis* ſelectioribus amplificatum: Ut ſcilicet remediorum materia, concisè nimis ab Auctore tractata, aliquatenus ſuppleretur, Accedentibus præterea *Mantiſſæ* loco, Tractatibus duobus, quorum prior *Luis Venereæ* hiſtoriam & curationem; juxta Medicorum Gallorum methodum proſequitur: poſterior verò *Riverii* ipſius *Arcana* exhibet. Aſt cùm rurſùs hæc Editio, attendatur, deficeret; Avenione huc ad nos pervenit *Pars I.* hujuſce *Praxeos* Abdominis Pathologiam Univerſalem complectens, à Clariſſ. *Franciſco Calmette* Ruthenenſi, qui primus Libri Auctor fuerat, ejuſque materiam in Celebri Monſpelienſium Academia publicè prælegerat, recognita atque ampliata. Tunc ſanè non deſtitimus quin de tam eleganti Volumine, commodo publico recudendo, cum Medico Docto communicaremus; ex cujus ſententia facilè, non tantùm prædictam *Partem I.* qualis ſub *Riverii Renovati* nomine publicata erat, ſed etiam quicquid ulteriùs ad integram Praxim condendam facere poterat, ſub prælum mittere parati fuimus. Itaque hìc, *Lector Humaniſſime*, habebis, non tantùm *Tracta-*

tum

tum de Morbis Infimi Ventris à Clariſſ. Domino Calmette nuper evulgatum, ſed etiam *Notas* non ignobiles eidem annexas ; ac præterea, cùm vix ſperare liceat ut Clariſſ. Auctor, etiam perplures annos, perficiat ſecundam quam pollicetur partem ; quia ſcilicet Praxis Medica, cui non parum honorificè affixus eſt, otia promiſſis exſolvendis neceſſaria ipſi facilè non elargitur ; commodum omnino duximus, ſi eandem *Secundam Partem*, *Pathologias* nimirum *Thoracis*, *Cerebri* ac *Artuum*, imò *Tractatus* quoſdam alios in Indice memoratos continens, mendis omnibus jam verè repurgatam, & Notis uberioribus illuſtratam, exhiberemus. Paucis hiſce breviter præmonitus, *Lector Humaniſſime*, vale & laboribus noſtris fruere.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approbazione del Padre Fr. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato *Riverius Reformatus, renovatus, & auctus, ſive Praxis Medica*; non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza à *Nicolò Pezzana Stampatore*, che poſſa eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 6. Aprile 1733.

(*Gio: Franceſco Moroſini Cav. Rif.*
(*Andrea Soranzo Proc. Rif.*
(*Pietro Grimani Cav. Proc. Rif.*

Agoſtino Gadaldini Segretario.

INDEX CAPITUM

PARTIS PRIMÆ.

Cap. I. *De Inappetentia, & cibi fastidio.* pag. 1
Cap. II. *De Coctione ventriculi læsa.* 7
Cap. III. *De fame Canina.* 8
Cap. IV. *De Pica & Malacia.* 13
Cap. V. *De Siti morbosa.* 16
Cap. VI. *De Singultu.* 19
Cap. VII. *De Nausea & Vomitu.* 23
Cap. VIII. *De Vomitu Sanguinis.* 36
Cap. IX. *De Cholera morbo.* 40
Cap. X. *De dolore ventriculi.* 45
Cap. XI. *De inflammatione Stomachi, ejusque abscessu & ulcere.* 47
Cap. XII. *De Dolore Colico.* 53
Cap. XIII. *De Ileo, seu Iliaca passione.* 65
Cap. XIV. *De Alvi adstrictione.* 76
Cap. XV. *De Lienteria & Caliaca passione.* 81
Cap. XVI. *De Diarrhœa.* 86
Cap. XVII. *De Dysenteria.* 93
Cap. XVIII. *De Tenesmo.* 107
Cap. XIX. *De fluxu hepatico dicto.* 110
Cap. XX. *De Lumbricis.* 112
Cap. XXI. *De hæmorroidum fluxu immodico, earumdemque dolore & ulcere.* 119
Cap. XXII. *De calida Hepatis & aliorum viscerum intemperie.* 126
Cap. XXIII. *De Hepatis inflammatione, abscessu & ulcere.* 128
Cap. XXIV. *De obstructione Hepatis, ejusque skirrho & de ictero.* 133
Cap. XXV. *De Hydrope.* 142
Cap. XXVI. *De Lienis inflammatione, dolore, obstructione, skirrho, &c.* 153
Cap. XXVII. *De Hypochondriaca affectione.* ibid.
Cap. XXVIII. *De Scorbuto.* 159
Cap. XXIX. *De affectibus Mesenterii & pancreatis.* 164
Cap. XXX. *De affectibus renum, & vesicæ ac primo de calculo renes, & vesicam occupante & de dolore nephritico.* 166
Cap. XXXI. *De inflammatione & ulcere Renum atque Vesicæ.* 180
Cap. XXXII. *De mictu sanguineo.* 183
Cap. XXXIII. *De Dysuria, seu urinæ ardore.* 185
Cap. XXXIV. *De Ischuria, & stranguria.* 188
Cap. XXXV. *De urinæ incontinentia.* 195
Cap. XXXVI. *De Diabete, seu urinæ profluvio.* 199

PARTIS SECUNDÆ.

Cap. I. *De Frigida Cerebri Intemperie* 210
Cap. II. *De Comate somnolento, seu caro.* 212
Cap. III. *De Lethargo.* 213
Cap. IV. *De Comate vigili.* ibid.
Cap. V. *De Apoplexia.* 214
Cap. VI. *De Catoche, seu Catalepsi.* 218
Cap. VII. *De Paralysi.* 220
Cap. VIII. *De Convulsione, & Epilepsia.* 223
Cap. IX. *De Epilepsia.* 226
Cap. X. *De Vertigine.* 229
Cap. XI. *De Tremore.* 232
Cap. XII. *De Mania.* 233
Cap. XIII. *De Melancholia.* 235
Cap. XIV. *De Phrenitide.* 237
Cap. XV. *De Catharrho.* 239
Cap. XVI. *De Dolore Capitis.* 243
Cap. XVII. *De Angina.* 245
Cap. XVIII. *De Asthmate.* 247
Cap. XIX. *De Empyemat.* 250
Cap. XX. *De Hydrope Pectoris.* 252
Cap. XXI. *De Hæmoptysi, seu sanguinis sputo.* 253
Cap. XXII. *De Phthisi.* 255
Cap. XXIII. *De Pleuritide, & Peripneumonia.* 257
Cap. XXIV. *De Syncope.* 264
Cap. XXV. *De Imbecillitate Virium.* 266
Cap. XXVI. *De Cordis Palpitatione.* 268

PAR-

PARTIS TERTIÆ.

Cap. I. *De Menſium ſuppreſſione, & Chloroſi.* 272
Cap. II. *De Fluxu menſium Immodico.* 276
Cap. III. *De Furore Uterino.* 278
Cap. IV. *De Paſſione Hyſterica.* 279
Cap. V. *De Inflammatione Uteri.* 285
Cap. VI. *De Abſceſſu Uteri.* 286
Cap. VII. *De Fluore Albo, ſive Muliebri.* ibid.
Cap. VIII. *De Scirrho Uteri.* 290
Cap. IX. *De Cancro Uteri.* ibid.
Cap. X. *De Uteri Gangræna & ſphacelo* 293
Cap. XI. *De Uteri inflammatione, & Hydrope.* 295
Cap. XII. *De Uteri Procidentia.* 297
Cap XIII. *De Uteri clauſura.* 300
Cap. XIV. *De Sterilitate mulierum.* 301
Cap. XV. *De Morbis acutis, & chronicis Prægnantium.* 305
Cap. XVI. *De Abortu.* 306
Cap. XVII. *De Partu difficili.* 310
Cap. XVIII. *De Fœtu Mortuo.* 312
Cap. XIX. *De ſecundina Retenta.* 314
Cap. XX. *De Fluxu Lochiorum Immodico.* 315
Cap. XXI. *De Suppreſſis Lochiis.* 317
Cap. XXII. *De Tormínibus à Partu.* 319
Cap. XXIII. *De Morbis acutis Puerperarum.* 320
Cap. XXIV. *De Ulcere Uteri.* 322

Tractatus de Affectibus articulorum.

Cap. I. *De Arthritide.* 324
Cap. II. *De Rheumatiſmo.* 327
Tractatus *De Peſte.* 330
Tractatus *De Febribus.* 339

Tractatus de Morbis Venereis.

Cap. I. *De Lue Venerea.* 367
Cap. II. *De Gonorrhœa virulenta, ſeu ardore urinæ.* 371
Cap. III. *De Bubone Venereo.* 373
Cap. IV. *De Ulceribus in membro virili increſcentibus, ſive Cancris.* 374
Cap. V. *De Verrucis, ſive Porris.* 375
Arcana Riverii. 376

PATHOLOGIA ABDOMINIS,

SIVE

TRACTATUS DE MORBIS INFIMI VENTRIS.

Juxta Recentiorum tum Medicorum, tum Philoſophorum; & Anatomiæ atque Chymiæ principia conſcriptus.

CAPUT I.

De Inappetentia, & cibi Faſtidio.

Tſi inappetentia, quæ Græcis ἀνορεξία dicitur, & cibi faſtidium, diverſa vi nominis ſonare videantur, atque à nonnullis ſubtiliter magis quàm rationaliter diſtinguantur; gemina tamen hac denominatione unum hìc eumdemque affectum intelligimus; in quo ſcilicet ſtomachus malè ſanus, praviſque & inſolitis humoribus imbutus irritationem corrugationemve fibrarum ſuarum nervearum, quæ famis ſenſum conſtituit, minus patitur, & varia proindè, quæ ipſi offeruntur, alimenta reſpuit.

Eum verò hìc non attingimus præcisè quatenus ſymptoma eſt, & effectus morbi cujuſdam apparentis, corpuſque humanum ſenſibiliter affligentis; ſic enim per ſe curandus non venit, nec diverſam à morbo, cujus comes eſt, therapejam requirit; ſed prout morbus per ſe eſſe videtur, hoc eſt quatenus ab alio affectu, ſenſibili ſaltem, non dependens, aut imminenti cuidam præcurrens, prægreſſòve ſuccedaneus, remedia ad ſe dirigenda quoquo modo poſtulat.

Cauſas inappetentiæ licèt plurimas Antiqui ſtatuerint, hìc minùs afferendas impugnandaſve, utpotè Anatomiæ atque rationi penitùs repugnantes & ex ſe facilè concidentes; nos tamen duas tantùm cum ſanioribus hujus ætatis Medicis aſſignamus, quæ duos inappetentiæ gradus conſtituunt appetitum ciborum plus minùs profligantes, imminutionem

ſcilicet & debilitatem humoris fermentativi alimenta in ſtomacho diſſolventis, vel totalem ejuſdem defectum atque alterationem, (ejuſdem ſiquidem humoris eſt eſuriem inducere cujus eſt digerere & chylificare) cùm enim naturalis appetitus ſeu fames à fermento quodam, hoc eſt liquore ſalſo-acido, ex arteriis ſtomachi, plurium intimæ ejus membranæ appoſitarum atque intertextarum glandularum miniſterio ſecreto, ejuſdemque fibrillas nerveas in certa quantitate & qualitate concutiente & vellicante excitetur, cui operi ſalivam, quæ non valde diſparis indolis eſt, à glandulis oris fluentem, atque etiam ciborum in ſtomacho digeſtorum in rugoſæ ejuſdem interioris tunicæ plicis reſtitantes ſubacidas reliquias ſymbolum ſuum conferre meritò credimus; abolitum eumdem aut imminutum à totali vel partiali jam dicti fermenti & aliorum defectu, debilitate, vitio, atque alteratione pendere neceſſum eſt. Non negamus tamen propter obſtructos, compreſſos, aut alio modo affectos ventriculi nervos, hoc eſt ultima paris vagi, quæ ipſi impenduntur, confinia, inappetentiam excitari poſſe, quod tamen, quia rarum in Arte eſt, & ad paralyſim potiùs ſpectans, ſilentio prætermittere viſum eſt.

Imminuitur ergo ventriculi fermentum, aut ſaltem obtunditur, primò à ſaliva viſcidiore & pinguiore, vel aliis humoribus ſeroſis aut viſcidis, pituitoſis vulgò dictis, in ſtomacho ſtagnantibus, & à maſſa ſanguinea eructatis, aut ex multiplici digeſtione congeſtis, qui dictum fermentum vel nimis diluendo, vel ejus irretiendo aculeos, vel etiam ſtomachi fibras relaxando & minùs ſenſiles efficiendo, actionem ejus ſeu vellicationem & irritationem dictarum fibrarum plùs minùs pro ſui copia impediunt. Secundò à bile ex duodeno inteſtino, ubi continuò exoneratur, utpotè valdè proximo, in ventriculum aſſurgente, vel bilioſis humoribus ſero dilutis, & à maſſa ſanguinis per extrema arteriolarum gaſtricarum orificia in ſtomachi cavitatem effuſis, qui, cùm ſulphure multo abundent, & ſale alchalino lixivioſo, non poſſunt quin humoris falſo-acidi famem excitantis diatheſim vitient, ſicque appetentiam proſternant. Adde quòd humores illi oleoſitate & pinguedine peccare poſſunt, ſicque fermenti ſtomachici ſpicula implicare.

Deficit verò aut alteratur vitiaturque ventriculi fermentum depauperata aut depravata quovis modo maſſa ſanguinea, & amiſſo, quem in ſtatu naturali habere ſolet, principiorum ſuorum mixtionis & exaltationis gradu; tunc enim cùm alienum & præternaturalem ſtatum ſanguis induerit, non poteſt humorem ſuum acido-ſalinum, debitum ſaltem & purum putumque ſtomacho ſuppeditare, nec idem humor fermentativus, ſi quis ſit, facilè ſe à reliquis maſſæ partibus poteſt extricare, unde inappetentiam ſubſequi neceſſe eſt, ut videmus in cachecticis & malè habitis hominibus, item & in pleriſque morbis in quibus bilioſus humor, ſeroſus, lymphaticus &c. cæteris prævalet ſanguinis principiis.

Fermentum quoque idem ventriculo non ſuppeditatur, cùm via ipſi, qua ferri ſolebat, præcluditur, aut ipſum à ſanguine ſecerni nullatenus poteſt, ut accidit plerumque in obſtructionibus & ſchirris imi ventris inveteratis, pancreatis ſcilicet, meſenterii, lienis, hepatis, & potiſſimùm vaſorum atque glandularum ſtomachi tunicas occupantium; in illis namque caſibus cùm ſanguis ſit admodùm tartareus, viſcidus atque recrementis per dictas partes continuò ſecernendis onuſtus, humorem ſtomachi fermentativum aut involvit & in ſinu ſuo retinet, aut in extremis vaſorum capillarium glanduliſve ſecretoriis hærendo, ejuſdem ſeparationem per tunicam ſtomachi glanduloſam impedit. Sed obſtructio hepatis atque pancreatis peculiari ratione hunc ſtomachici fermenti defectum creare potis eſt, in quantum nempè affuſis minùs copioſè in duodenum inteſtinum per vas Virſungianum, aut porum choledochum, ſuccis pancreatico & bilioſo ad ulteriorem ali-

men-

mentorum in ſtomacho digeſtorum diſſolutionem inſtitutis, aut iiſdem admodum vitiatis, vel prorsùs deficientibus, dilui aut diſſolvi ſatis non poteſt chymus è ſtomacho prodiens, unde craſſus in venas lacteas atque in maſſam ſanguinis mox tranſvectus, ubi primæ coctionis vitium non corrigitur, illius diatheſim ſenſim depravat atque incraſſat, ex quo ſequitur impeditus dicti fermenti proventus atque influxus.

Cauſæ hujus affectus evidentes multæ ſunt; primò aer æſtuans & calidus, cibi acres & calefacientes, vini & liquorum ardentium immoderatus uſus, &c. quæ ſingula corpus excalefaciendo & humorum motum promovendo bilis exaltationem faciunt, & eodem motu ſuccorum ſeparationem impediunt, aut ſulphure ſuo & ſale volatili acido-ſalinum ſtomachi fermentum vitiant. Secundò ſomnus nimius, ſegnities, cibi craſſi, pingues, & viſcidi, menſium & hæmorrhoidum ſuppreſſio, quia humores pravos, ſeroſos, aut pituitoſos dictos in corpore & ventriculo congerunt; imò & craſſos fermenti generationem & ſeparationem prohibentes, atque etiam ejuſdem, ſi quod ſit, in ſtomacho actionem infringentes; curæ demùm, vigiliæ, alvi fluxus, aut alia nimia evacuatio appetitum dejicere valent, in quantum aut ſpiritus diſſipando ſanguinis maſſam depauperant, aut humorem bilioſum exaltando & movendo, ſalſo-acidi fermentativi humoris naturam deſtruunt, ejuſque vim remorantur.

Diagnoſis inappetentiæ ſatis patet ex ægrorum queſtu; ſigna autem cauſarum unde manat, non tam facilè innoteſcunt. Quare ſi totaliter fermentum ſtomacho deficiat, aut vitietur, aderit obſtructio in partibus imi ventris, quæ hypochondriorum tenſione & duritie manifeſtabitur, aderunt laſſitudines ſpontaneæ, aderit cachexia, pravus totius corporis color, & virium exolutio, & alia multa quæ ſanguinis depauperationem indicant; uno verbo nulla prorſus erit, & ne minima quidem circa ullum cibum appetentia, eaque ad longum tempus protrahetur: quam tamen integram & perfectam inappetentiam ſine alio conſpicuo à quo dependet morbo rarò ſtare poſſe credendum eſt.

Si verò imminutum duntaxat aut debile fuerit ventriculi fermentum, non omninò profligatus erit appetitus; ſed tantiſper, quamvis parum, vigebit, nec omnimodum erit & omnium ciborum faſtidium; verùm cùm à duplici potiſſimùm cauſa hanc imminutionem procedere ſuprà innuerimus, à bilioſis nempè aut pituitoſis humoribus, utriuſque jam ſigna veniunt proponenda.

Cùm ergo bilioſus humor huic affectui præbet occaſionem, linguæ amarore & flavedine ſe ſe prodit, temperamento bilioſo, proclivitate ad vomitum, æſtu in præcordiis, cardialgia &c. illa enim omnia bilis prodromi, aut affecta ſunt: cùm verò ab humoribus pituitoſis in corpore & ſtomacho potiſſimùm redundantibus morbus ortum accipit, illud fit manifeſtum ex cauſis refrigerantibus prægreſſis, alimentis frigidis, craſſis & crudis ſæpiùs aſſumptis, temperamento pituitoſo, ſaliva copioſa & inſipida, aut eadem viſcida & lenta, frigiditate & debilitate corporis, ex catarrho præcedente, humoribus ſeroſis per os & alvum excretis, ex habitu totius corporis cachectico, gravitatis, & frigiditatis ſenſu in ſtomacho, denique ex iis omnibus quæ ſanguinem aquoſum & vappidum deſignare ſolent.

Quoad prognoſim, ſicut bona & recta ciborum appetentia laudabilem corporis ſtatum arguit, ſic cibi faſtidium ejuſdem à ſtatu naturali receſſum & pravorum humorum redundantiam ſignificat; ac proindè mali omnis eſſe conſuevit, licèt per ſe ſolum lethale non ſit imò nec plerumque periculoſum, niſi ad longum tempus prorogetur, & remediorum vim eludat. In pueris & juvenibus gravior eſt inappetentia, ſaltem durans, quàm in ſenibus & fœminis, quia pueri naturaliter magis avidi ſunt ob calorem nativum vividiorem, humorumque majorem puritatem, quàm ſenes & fœminæ, in quibus propter ſeroſam & pra-

vam humorum à debilitate caloris, vita ſedenteria & otioſa accumulatam colluviem, minus viget appetitus unde, Hippocrat. in Aphor. *Qui creſcunt plurimùm habent calidi innati & copioſo egent alimento. Jejunium ſenes facilè ferunt. Minus pueri, & inter eos qui vividiore ſunt ingenio.* In convaleſcentibus recidivas minatur inappetentia, propter reliquias cauſæ morbificæ nondum eliminatas & in ſanguine, ac præſertim ſtomacho luxuriantes. *In morbo diuturno cibi faſtidium malum*, ait Hippocr. *Aphoriſm. 6. ſect. 7. & alibi. In longis difficultatibus inteſtinorum cibi faſtidium malum, & cum febre pejus;* hujus autem ratio, præter cauſæ morbificæ contumaciam aut extenſionem, quæ inde arguuntur, & unde periculum ſemper impendet, ex eo etiam deſumi meritò poteſt, quòd corpus à longo labefactatum morbo refectione prompta & reparatione indiget, quæ propter cibi faſtidium fieri non poteſt.

Curatio inappetentiæ per varii generis remedia perficitur, prout à varia dependet cauſa. Solus eſt vomitus qui huic affectui in quocumque caſu efficaciter medetur, modò ex parte ægri & virium nulla ſit contraindicatio, & ad vomendum facilitas aut propenſio quædam ſit, ſic enim humorum ſeu bilioſorum, ſeu pituitoſorum ſaburra, quibus ſemper ſcatet ventriculus, meliùs & faciliùs expurgatur, & aliis remediis ſpecificis via ſternitur, quæ in ſtomachum vim ſuam exercere debent, aut in alias partes ex quarum vitio affectus dependet.

Adhibeantur ergo ſtatim in uſum ol. olivar. amygdal. dulc. vel butyr. recent. ℥. ij. circiter in aquæ tepidæ cyatho, ſi benignum expetatur vomitorium, ut in delicatulis & ad vomitum valdè pronis; quæ deinde penna ol. illita & in gulam intruſa deducantur in actum; aut ſi fortiùs paulò eradicandi ſint humores ventriculi tunicis impacti, excitetur vomitus ſale vitrioli aut vitriolo albo præp. ſeu gilla Theophraſti à ℥. ss. ad ℥. j. in aq. tepid. aut juſculo valde diluto; vel denique ſi adhuc validiùs humores ſtomachum occupantes ἄνω ſint expellendi, ut plerumque expedit, tart. emetic. pulver. algaroth. gr. vj. circiter pro ægri ætate & viribus in dictis liquoribus, aut in pulpa pom. aut prun. coctor. aut etiam vino emetico ſeu aqua benedicta Ruland. ab ℥. j. ad ℥. j. ss. & ij. exhibito, vel per ſe, vel cum aqua cichor. aut hord. quæ ultima ex antimonialibus petita vomitoria; etiamſi Antiquis ſuſpecta habita ſint, ſat tutò tamen, ſi ſat opportunè præſcribuntur; hoc eſt modò vires admodùm debiles non fuerint & ſtomachus paululùm vigeat; neque enim deleteriam ullam in ſe continent qualitatem, & hodie paſſim uſurpantur.

A vomitorio ad alia remedia progrediendum eſt, phlebotomiam ſcilicet, bis & ter, datis intervallis, celebratam, pro Medici judicio & ægri viribus, ſi bilis aut humores bilioſi cibi faſtidium produxerint, & corpus quoquo modo excalefactum videatur, præmiſſo aut ſuccedente clyſtere emolliente, refrigerante, & mediocriter purgante, quoties neceſſitas poſtulabit iterando.

In eodem caſu alterandus quoque venit humor ille bilioſus in corpore redundans, quod optimè fiet per emulſiones valde dilutas cum ſale prunellæ, tart. vitriolat. ſyrup. lymon. nympheæ; julepos ex aquis ſtillat. refriger. paratos, putà aq. cichor. lactuc. endiv. portul. acetoſ. &c. cum ſuccis aut ſyrupis acidis & refrigerantibus, limon. granator. berberis, ſucco perſicorum, aut pomor. redolentium; imò & gutt. aliquot ſp. vitriol. ſal. & ſulphur. aut elixir. proprietatis Crol. Per ptiſanas aut juſcula ex rad. herb. ſeminib. & aliis refrigerantibus & detergentibus comparata; ſed præ primis per uſum balneorum, quæ ad appetitum juvandum miræ ſunt energiæ, & ſeri lactis per octo aut quindecim dies.

Sed cùm irritus plerumque ſit alterantium effectus, niſi purgantia præceſſerint, aut ſaltem citò ſubſequantur; adhibenda quoque ſunt, nec tardè cathartica cauſæ morbum facienti accommodata, talia ſunt tamarind. ſal. polychreſt. caſſ. fiſtul.

ſtul. ſenn. rheb. ſyrup. flor. perſic. aut roſ. ſolut. roſar. pallid. mann. Calabr. &c. in decoct. cichor. dent. leon. acrimon. endiv. hord. &c. quorum doſis ſatis nota cuique ætati & temperamento debet convenire, imò & iterum atque iterum inſtitui, ſi res poſtulabit.

Aquæ minerales acidulæ utramque in hoc affectu, dum à bile pendet, paginam adimplere mihi videntur, illæ enim humores qualitate & quantitate peccantes non ſolùm expurgant, ſed etiam cauſæ morbificæ acrimoniam, oleoſitatem, calorem & motum temperant; ventriculum & partes vicinas abſtergunt, atque etiam aciditate ſua levi in totum ſanguinem diffuſa fermentum ſtomachi aut mortuum, ut ita dicam, exſuſcitant, aut ſopitum expergefaciunt.

Non prætermittendus eſt hìc rhabarbari per aliquot dies aut continuos aut alternos jejuno ſtomacho fruſtulatim maſticati uſus, cujus ſuccus aut tinctura per ſalivam extracta & ſenſim glutita, rejecta fæce exſucca & ſuperbibito cichor. ſylveſt. decocto, tunicæ ſtomachi rugoſæ adhærentes, aut eamdem imbuentes & appetitum dejicientes humores biliоſos mirum in modum detergit, & ſenſim expurgat.

Quòd ſi labefactatus aut humorum ſaburra, aut uſu remediorum ventriculus roborantia ſub finem aut citiùs requirat, vocabuntur in auxilium conſerv. roſ. cynorrhod. cydoniat. caules lactuc. condit. ex quibus cum electuar. diamargarit. frigid. diatriaſantal. corall. præp. nuc. moſchat. aut myrobalan. conditor. crem. tart. pulv. rhabar. & cum ſyrup. limon. cydonior. de roſ. ſicc. de abſint. parabitur opiata ad magnitudinem nucis vel caſtaneæ ſingulo mane ſumenda.

Cum verò inappetentia provenit vel à vappida & depauperata ſanguinis maſſa, vel ab humoribus pituitoſis, viſcidis, lentis, & frigidis in ſtomacho congeſtis, diverſam à prædicta remediorum adminiſtrationem requirit, quæ tamen à vomitorio inchoanda, eoque ſatis validò cùm dictorum humorum in ventriculo accumulatorum adeſt ſuſpicio, & nullum adeſt contraindicans: tunc autem minùs convenit venæ ſectio, quæ aut nullo modo, aut ſaltem parca manu fieri debet; ſed potiùs corrigenda venit parva maſſe ſanguineæ diatheſis & humorum peccantium colluvies abs ſtomacho & primis viis abſtergenda.

Corrigetur autem ſanguis pravis dictis humoribus refertus per decocta ex rad. herbis, ſeminib. floríb. &c. attenuandi, detergendi, imò & aperiendi vi donatis. ut cichor. tarax. menth. acrim. centatur. min. chamædr. ſummit. anet. & abſint. rad. ap. ſalſ. parill. zedoar. fænic. aſpar. bruſc. polypod. ſemin. anyſ. coriand. fœnicul. floribus tamariſc. geniſt. ſambuc. & aliis ejuſdem energiæ; quibus addi poſſunt cinnam. caryophyll. nux moſch. viper. pulvis, aquæ ſpirituoſæ, ut aq. vitæ ſimplex & aniſata, aq. cinnam. aq. claret. aq. imperial. & theriaca imò theriaca ipſa, extract. juniper. confect. hyacinthor. & alkermes, eſſentia cinnamom. & caryophyllor. ad guttam unam aut alteram, aliaque ſtomachum roborare apta & ſanguinis motum augere, cavendo ſemper ne nimis corpus ex calefiat.

Nec minus idonei ſunt in hoc caſu ſpiritus & ſales volatiles, qui julepis, juſculis, aut ptiſanis in modica tamen doſi miſceri poſſunt, ut ſal & flores ſalis armoniac. ſal cornu cervi, ſal viperin. ſpiritus fulig. urin. ſal. armon. cornu cervi, & alii ejuſdem farinæ, qui ſpiritus maſſæ ſanguineæ deficientes reficere apti nati ſunt, aut eoſdem ſegnes & intricatos exaltare.

Vinum abſinthites, ſyrup. & conſerv. de abſinth. ejuſque ſal plurimum in hoc affectu & in hoc caſu commendantur à practicis, ſicut & decoctum ſudorificum ad plures dies uſurpatum, & ex antimon. crud. ligno ſancto, ſaſſa parilla, chin. ſaſſafras & putaminibus nucum jugland. paratum, dum ſcilicet humorum ſeroſorum & frigidorum copia turget ſanguis.

Sed ante uſum dictorum remediorum ſanguinis craſim corrigentium & humores ſuperfluos abſumentium, aut ſtoma-

chum abſtergentium & roborantium, expedit ſemper purgationem præſcribere, quæ paulò validior eſſe debet quàm in humorum bilioſorum redundantia. Parabitur ex polypod. quern. ſenn. myrobal. agaric. trochiſc. mechoac. rhabar. ſyrup. roſ. ſol. comp. roſar. pallidar. aut flor. perſic. cum pulv. jalap. aut diagrid. gran. aliquot, ſi acuendum videatur cathartico, illudque identidem ob humorum peccantium contumaciam & copiam repetetur, interpoſitis ſupradictis remediis ſanguinis & ſtomachi vitium corrigere valentibus, ſicut & enematibus cauſæ morbificæ portionem ſubducentibus.

Sunt qui pilulas in hoc affectu, dum ab humoribus pituitoſis pendet, maximè commendant, nec immeritò, eæ enim dum diutiùs in ventriculo morantur, humores viſcidos frigidoſque magis efficaciter expurgant, & ſtomachum melius abſtergunt. Inter has conveniunt præprimis pilulæ de hiera, aloephanginæ, ſeu de aromatibus, chochiæ, ſtomachicæ, maſtichinæ, de tribus ſolutivis &c. Vel ſi magiſtrales parandæ ſint, componi poterunt ex aloe ſoccotrina ſucco abſint. nutrita, agar. trochiſc. rhab. myrobal. maſtich. nuc. moſchat. ſale abſinth. cinnam. ſcammon. præp. pulver. aut reſina jalap. cum ſyrup. de abſynth. ſ. q.

Rhabar. maſticati uſus per plures dies, ut ante dictum eſt, hìc etiam locum habet, & quidem adhuc potiorem quàm in bilioſi humoris exſuperantia; convenit quoque Peruvianus cortex ſive in vino infuſus, ſive in ſubſtantia ſumptus, donatus namque eſt facultate & ſtomachum roborandi, & humores frigidos viſcidoſque abſtergendi atque corrigendi. Idem ferè præſtat coffeæ potus, ſive ejuſdem ritè torrefacti & in pulverem redacti tinctura jam dudum Aſiaticis, nunc etiam Europæis valde familiaris; ſed quod palmam cæteris præripit remediis inveterato ſaltem nec facilè cedente affectu, ſunt aquæ thermales ſatis magna copia & per plures dies bibitæ quales ſunt in noſtra Gallia Borbonenſes, Bellilucanæ, Vichienſes, Bagnolenſes &c. quæ humores mucilaginoſos omnemque ventriculi & inteſtinorum, imò & totius corporis illuviem potenter abſtergunt & evacuant.

Si denique roborantia & ſtomacho tonum & calorem reſtituentia, poſt aliorum remediorum uſum, expetantur, adhibe ſupradictum vinum abſint. aq. clatet. ſyrup. cinnam. cum aq. vitæ confectum Quercetani, elixir. propriet. Croll. ol. aniſ. nucis moſchat. extract. juniper. vel opiatam ad plures dies paratam ex conſerv. fol. abſinth. min. cort. citr. & aurantior. condit. nuc. jugland. condit. cum margarit. corall. ocul. cancr. rhab. cinnam. kinkin. & ſalibus volatilibus & fixis, aliiſque ſuprà recenſitis.

Ad capitis hujus coronidem reſtat ut innuamus chalybeata, & alchalia in uſum therapeuticum vocanda eſſe, dum obſtructio viſcerum inappetentiæ occaſionem dedit atque originem, ſicut & alia aperientia inferiùs ubi de obſtructionibus agetur, afferenda.

NOTA.

CUratio Anorexiæ, ſeu inappetentiæ varianda omnino venit, pro ratione cauſarum ipſam inducentium: In genere tamen probantur vomitoria blandiora ex antimonio infuſo parata, ut & purgantia mitiora, ac præprimis aloetica, indeque etiam parata elixiria, tum acida, tum volatilia. Conducunt quinimmo plantæ amaræ prope omnes & aromata; è quibus decocta, tincturæ, eſſentiæ, & vina medicata confici poſſunt. Quidam maximè commendant ſpir. veneris, omneſque etiam acidos ſpiritus, interque eos magis volatiles, qui reverà non tantùm pituitæ, ventriculi parietibus adglutinatæ, incidendæ valent; ſed etiam fermento exſuſcitando, ventriculoque roborando apprimè faciunt. Ut autem prædicta volatilitas ipſis aliquatenus concilietur, commode ſpiritu vini tartariſato edulcorabuntur. Ex tartaro itidem plura conveniunt, maximè verò tum tinctura, tum liquor è terra ejuſdem foliata paratus. Inter fructus non immeritò adferuntur cydonia, quorum etiam ſuccus amaris admiſtus magnæ eſt efficaciæ. Hartman-

mianno laudatur spir. vitriol. philosophic. in aq. menthæ, aut acetosæ, imò in vino, succo mali punici, syr. limonior. &c. propinatus. Non negligendæ interea sunt applicationes externæ, ex vino Cretico, aliove maximè spirituoso, ac aceto cum crusta panis pulvere caryophyllorum aspersa; item ex emplastris, balsamis, fotibus, ac litibus stomachi apud Auctores practicos ac Pharmacopœarum Compilatores abundè descriptis.

CAPUT II.

De coctione ventriculi læsa.

EX iis quæ in precedenti capite dicta sunt erui facilè possunt hujus affectus natura, causæ, atque curatio: quid enim audit læsa chylosis, nisi deficiens abolitè, imminutè, aut depravatè assumptorum in stomacho fermentatio & dissolutio ex fermenti stomachici defectu, debilitate, & vitio pendens: unde triplex læsæ chylosis species emergit, Apepsia nempè Bradypepsia, & Dyspepsia, quæ omnes apud practicos uno cruditatis nomine comprehenduntur, quam tamen dividunt in acidam & nidorosam.

Acida melancholicis & frigidis familiaris, ea est in qua cibi malè in stomacho subacti ob aciditatem nimiam fermenti, eamque minùs salsedine ad digestionem requisita temperatam acidum odorem spirant, ut patet ex flatibus è stomacho eructatis, aut etiam in qua ob succi pancreatici ferociam & exaltationem atque ab eo erumpentes halitus quam par est acidiores digestionis opus perturbatur; cui cruditatis speciei & eam jungendam existimo, in qua ob debile & ab humoribus frigidis viscidisque intricatum fermentum segniter & non nisi partialiter fit ingestorum dissolutio.

Nidorosa calidorum & bilioſorum propria illa est in qua alimenta perversè, ut ita dicam, in stomacho fermentata ob fermentum minùs acidum & sale bilis lixivioso vitiatum, aut ejusdem sulphure, halitus emittunt pisces corruptos, aut ova putrefacta redolentes; cui duplici cruditati excitandæ non parum concurrunt alimentorum assumptorum natura, quantitas, & qualitas salis fluorem, unde aciditas, aut sulphuris exaltationem, unde nidor, in sua dissolutione pro varia eorumdem textura prodentium, aut crassitie sua, improportione, & principiorum firma adhæsione vim stomachi ejusque fermenti prorsùs eludentium.

Cùm ergo ab eadem causa, ut antè inculcavimus, appetentia procedat, & ciborum in stomacho digestio, læsio utriusque non nisi ex eodem fonte eodèmque principio petenda est: unde jam allatæ in præcedenti capite inappetentiæ & cibi fastidii causæ tam internæ, quàm externæ, immediatæ aut mediatæ, hìc etiam proponendæ venirent, si crambem repetere animus esset.

Sunt tamen quædam insuper huic affectui peculiares, aut magis frequentes causæ, ut exercitia violenta, somnus & immodicum studium, aut alia quævis animi contentio à pastu fructuum horæorum & acidorum, aliorumve crudorum usus immodicus, quæ omnia spiritus animales ad digestionem non parum conferentes, ut apud omnes Medicos jam receptum est, aut dissipant, aut in cerebro, ut ita dicam, retinent, quibus proindè defraudatus ventriculus subigere rectè alimenta non potest; vel pravorum & acidorum humorum in stomacho congeriem faciunt, unde salso-acidi fermenti facultas non parum frangitur. Hìc etiam afferendi veniunt plures stomachi morbi, intemperies nempè ejusdem calida aut frigida, inflammatio, ulcus, vomitus &c. imò ex parte oris, deficiens quacumque de causa ciborum masticatio, deficiens quoque seu in quantitate seu in qualitate humor salivalis, quæ quomodò coctionem lædant omnibus satis notum est.

Dignoscitur læsa chylosis ex gravitate & tensione stomachi, præsertim à pastu, ex ructibus acidis & nidorosis multisque flatibus ἄνω & κάτω excretis; tum etiam ex strepitu in stomacho & intestinis edito, ex iis demum quæ præ-

ceſſerunt, ex ſequente diarrhæa &c.

Quoad prognoſim atque curationem, tota ex ſuprà poſito capite pro varia cruditatis ſpecie variaque ejus cauſa colligi poteſt; ita ut in ea immorari amplius ſuperfluum omninò ac inutile foret, niſi ut innuatur pulveres digeſtivos interdum uſurpandos eſſe; atque etiam quæ merè falſa apud Chymicos dicuntur, aut acido-ſalina.

NOTA.

PRo Concoctione alimentorum peccante corrigenda, fermentum ventriculi, quantum fieri poteſt, in naturalem ſuum ſtatum reducendum, ac propterea mucus ventriculi, acidaque vitioſa ipſi innidulantia, iis quæ ſale volatili oleoſo, acidoque ſubtili temperato conſtant, blandè alteranda ac removenda; imò purgantibus idoneis ſenſim educenda ſunt. Inter purgantia medicamenta emetica, ac præcipuè antimonialia, meritò choream ducent, iiſque ſuccenturiari poterunt aſarina, ſcilicet ex aſaro parata. His continuò adde quæ per inferiora dejiciunt pilulas v. g. aloephanginas, aliaſque aliis ſuccis prægnantes, variis additis aculeis, ex ſcammonio, cholocynthide, reſina jalappæ, &c. pro neceſſitate, petitis. Inter alterantia, ſale ſcilicet volatili aromatico prædita, ſunt ſemina aniſi carvi, fœniculi, zingiber, caryophyll. &c. quæ cum acidis maritata efficaciſſima ſuccedunt, ac propterea hìc non parum conducit miſtura illa de tribus, ſeu diaphoreticum in peracutis, quæ tertium quid eſt inter volatilia urinoſa ac acida ſtomachi fermento redintegrando verè accommodatum. Nec etiam inter infima ſunt abſinthium, mentha, acorus verus, roſmarin. lignum ſaſſafras, cochlearia, naſturtium, raphanus ruſticanus, enula campana, angelica, moſchata &c. ex iiſque parata condita, conſervæ, vina, ſpiritus, ac ſalia tum volatilia, tum fixa & lixivioſa. Præprimis convenit ſenibus ambra griſea, omniaque medicamenta eadem prægnantia, confectio alkermes & de hyacintho completæ, tabellæ variæ tum de citro addito ſpecifico Poterii, tum de ſucco granatorum, ac præſertim potus è Succolata, ambra divite, ut & potus Coffè addita aqua naphæ & eſſentia ambræ. His non addo externa ex tacamahaca, balſamo Judaico ſeu de Mecha, &c. quia jam ſuper hoc argumento ſatis.

CAPUT III.

De Fame canina.

DUplici modo appetitus hominis perverti & depravari poteſt; primò circa ciborum quantitatem, dum nempè majori quàm par eſt copia expetuntur & aſſumuntur; ſecundò circa eorumdem qualitatem, quando ſcilicet peculiaria quædam, inſolita, abſurda, & plerumque à guſtu aliena appetit ſtomachus. Prima ſpecies famem caninam, de qua hìc agitur, conſtituit; altera picam & malaciam, de qua deinceps.

Fames ergo canina, quæ Græcis Βουλίμια & φαγέδαινα, id eſt depaſcens dicitur, eſt affectus quo qui corripiuntur perpetuò ferè cibos canum more appetunt eoſque ſolidiores, & quanquam eorum magnam ingerant copiam, & pluries diu noctuque comedant, nunquam ſatiari videntur. Ea tamen inter famem caninam & Βουλίμιαν ſtatuitur à nonnullis differentia, ut in canina fame poſt nimium aſſumptum alimentum ſuccedat vomitus, ut canibus accidit, qui vomunt ut plurimum poſtquam ſe nimio cibo ingurgitarunt, vel ſaltem alvi fluxus ſubſequatur, natura copiam alimenti, quam ſtomachus ſubigere non poteſt, per alvum deturbante; in Bulimia verò non vomitus aut alvi fluxus, ſed lypothymia ſive animi deliquium poſt ingeſtos magna quantitate cibos ſuperveniat; quanquam non negandum eſt, immodicum illud comedendi deſiderium etiam poſt aſſumpta copioſa alimenta non ſemper vomitu, alvi fluxu, aut animi deliquio ſtipari, ſed à ſtomacho munio ſuo ritè fungente ingeſta plerumque probè concoqui, ut teſtantur plu-

res

les Medicorum practicorum obſervationes.

Verùm quandoquidem de vomitu, alvi fluxu, & lypothimia fami caninæ ſuccedentibus facta eſt mentio, non abs re hìc fore videtur, ſi horum phenomenon rationem attulerimus, quod forſan ad hujus materiæ dilucidationem plurimum faciet. Vomitum ergo ingurgitatum cibis ſtomachum conſequens non aliundè petendus eſt, quàm ex eorumdem copia & gravitate ventriculum famelicorum fatigante & diſtendente, quo fit ut concitati præter modum ſpiritus animales, & majori deinceps numero ac motu advenientes tum in fibras ipſius muſculares, tum præcipuè in muſculos abdominis qui laboranti ſtomacho ex naturæ inſtituto & propter nervorum ſuorum in origine communionem conſentiunt, ejuſdem cavitatem fortiter, ſubito & undique, quod ad vomendum (ut infrà videbimus) requiritur, conſtringant. Vel idem vomitus excitari poteſt à copioſiori materia elaſtica ſeu exploſiva ab ingeſto magna quantitate cibo hoſpitantibus in ſtomacho ſpiritibus animalibus ſuggeſta, quæ eoſdem magis expandit & commovet, dictaſque proindè partes convellit; emanant namque ut cap. de vomitu oſtendetur, à contentis quibuslibet, ſive in ſtomacho, ſive in inteſtinis, dum fermentantur aut diſſolvuntur, corpuſcula quædam ſeu miaſmata & tunicas eorum nerveas plùs minùs pro ſui copia & acrimonia irritare apta, & ſpiritibus animalibus motum ſolito majorem conciliare. Sed dum iidem ſpiritus aut in copia deficientes, aut in motu & in fluxu, quod pluribus de cauſis contingere poteſt, ſive ex parte ſtomachi, ſive ex parte nervorum, cerebri, & ipſius ſanguinis, cavum ſtomachi ſubitò & vehementer coarctare non valent: tunc alvi fluxus ſuccedere poteſt, quatenus malè ſubacta ob ſuam copiam aut improportionem, & quæ per ſuperiora ejici non potuerunt alimenta qualitatem irritantem ventriculo & inteſtinis infenſam acquirunt, aut ſuprà dicta gravitate & copia eorum tunicas laceſſunt, unde ſequitur prompta eorumdem, quamvis ſucceſſiva per vias inferiores excluſio, hoc eſt alvi fluxus.

Quòd ſi ſtomachus grandiori capacitate donatus ſit, iſque validus & vegetus exiſtat, atque etiam majori fermenti copia & virtutes muniatur, ut iis accidit qui grandioris ſunt ſtaturæ, aut natura avidi, aut melancholici, non mirum ſi in hoc caſu ſubactis rectè & diſſolutis alimentis, nullus ſubſequatur vomitus aut alvi fluxus; ſed interdum lypotimia, quæ deducitur ex humoribus fermentativi aculeis rigidioribus copioſioribuſque in tunicam ſtomachi ſenſibilem impingentibus, & potiſſimum in os ejus ſuperius, quòd nerveis inſignibus propaginibus, per quas commercium cum corde habet, admodum munitum eſt, vel ex labore ipſius ſtomachi in tot cibis digerendis, ut ita dicam, inſudantis, vel ex ſpirituum animalium digeſtioni inſervientium abſumptione, vel denique ex lumbricis ſive teretibus, ſive faſciatis, ſtomachum & inteſtina famelicorum lancinantibus, ut ſæpenumero à practicis obſervandum eſt.

Cauſas appetitus aucti ſeu famis caninæ eruere non erit difficile, ſicut nec partem affectam deſignare, ſi ad ea quæ in præcedentibus capitibus dicta ſunt attenderimus; neque enim alibi quàm in ſtomacho ſtatuenda eſt hujus morbi ſedes, nec in alia parte quærenda ejuſdem cauſa ſaltem continens & immediata, quamvis tamen Antiquis minimè aſſentiamus, & appetitum & famem ſtabilientibus in neſcio quo ſuctionis & inanitionis, ſenſu, aut eumdem affectum ex ſucco acido à liene in ſtomachum per vas breve, quæ certè vena eſt, transfuſo derivantibus, quæ omnia utpotè Anatomiæ & rationi contraria ex ſe ipſis planè concidunt.

Vera ergo & genuina Bulimiæ cauſa eadem eſt quæ famis ſeu appetitus naturalis, fermentativus nempè humor ab arteriis gaſtricis eructatus, & ſalivalis è glandulis oris, parotidibus, & maxillaribus prodiens cum alimentorum poſt digeſtionem reliquiis, quæ quamdiu natu-

ræ limites non traſcendunt & in qualitate ſua ſalſo-acida, aut quantitate non valde exaltantur, quia vellicationem & irritationem in nervea ventriculi tunica mediocrem & naturæ congruam faciunt, appetentiam naturalem excitant, quæ modò expletur, modò reviviſcit, ut ad debitam corporis ſpectat œconomiam: dum verò dicti humores naturæ modum excedentes acutiores facti ſunt, & propter ſalis majorem fluorem ſive alia quacunque de cauſa aculeos rigidiores & minùs flexiles obtinuerunt, vel, quod etiam contingere poteſt, quantitate peccantes iidem tum ex glandulis oris, tum ex tunica ſtomachi interiore majori copia ſecreti ſunt, vellicando magis & in plures ſtomachi partes nerveas aciem ſuam dirigendo appetentiam magis magiſque intendunt, atque caninam efficiunt; ne quid dicam de ſucco pancreatico in ductibus Virſungianis acidiore facto, vel tali à maſſa ſanguinea ſecreto & in ventriculum exantlato, aut ab eodem manantibus halitibus admodùm acidis in ſtomachi cavitatem diffuſis, quæ pari ratione appetitum augere poſſunt & Bulimiam inducere.

Præter jam aſſignatas Bulimiæ cauſas datur & alia minùs frequens, lumbrici ſcilicet aut magni, aut magno numero in ſtomacho aut inteſtinis geniti, qui nerveas hujus viſceris fibras mordendo vellicationis ſenſum inferunt, vel ingeſtos cibos in ſui nutricatum capiendo perpetuam eſuritionem inducunt; ſic videmus famelicos eſſe infantes, qui lumbricis ſcatent, & ſi Trallian. *lib. 7. cap. 4.* credendum, & Horatii Augenii *conſult. lib. 6. epiſt. 6. tom. 2.* aliiſque fide dignorum Auctorum hiſtoriis, viſi ſunt fame canina laborantes uſu remediorum vermes necantium, per excretionem vermis cujuſdam magni & faſciati apud practicos celebris, atque plures cubitos longi à morbo illo protinùs liberati.

Cauſa hujus affectus antecedens eſt humor præter modum ſalſus & potiſſimùm acidus & quaſi ſtigius aquæ regalis naturam redolens, in ſanguine redundans, & ab eodem in ore per parotides, maxillares, aliaſque quibus tota bucca obſita eſt glandulas ubertim ſeparatus, & in infimo ventre per tunicam ſtomachi glanduloſam, glanduloſumque pancreatis corpus, cujus proventui inter externa & procatartica occaſionem dederunt acidorum ſalſorumque uſus nimius, vinum acidum aut ex immaturis uvis expreſſum, acetaria, mœror, triſtitia, temparamentum melancholicum, vigiliæ, diuturna mentis contentio, immoderatæ corporis evacuationes, menſtruorum & hæmorrhoidum ſuppreſſio, aer maritimus, aliaque quæ ſanguinis activa principia aut deprimendo aut diſſipando fluorem ſalis in ipſo producere apta nata ſunt.

In afferenda hujus affectus diagnoſi ejuſque cauſarum non eſt ut immoremur, quippè quæ ex dictis facilè colligitur, & ex ægrorum & adſtantium relatu haberi poteſt, niſi à vermibus teretibus & faſciatis dependeat, in quo caſu per propria lumbricorum ſigna, corporis maciem, & aliarum cauſarum abſentiam manifeſtabitur.

Quod ad prognoſticum ſpectat, ita illud debet inſtitui, ut ſi fames canina recens ſit, in benè habito corpore aut melancholico, & à lumbricis aliiſve cauſis potiſſimùm externis & evidentibus dependeat, quæ ſanguinem nondum valde depravaverint; ſi ea non ſit valde intenſa, nec gravibus ſtipata ſymptomatis, periculoſa multùm non ſit; ſecùs tamen ſi ingentes corporis evacuationes & colliquationes conſequatur, ſi ſanguis multùm depravatus ſit, ſi adſint frequentia animi deliquia, vel alvi fluxus pertinax, aut vomitus perſeverans; in iis namque caſibus magna ventriculi atonia ſignificatur, cujus vitium in aliis coctionibus reparari non poteſt, & corpus utili defraudatum alimento in cachexiam, tabem, hydropem, lienteriam alioſque graves morbos pronum fit.

Curatur fames canina per ea omnia quæ acidum & ſalſum præter modum ſuccum in corpore & ſtomacho redundantem temperant & corrigunt, ejuſque augmentum & exaltationem præveniunt; talia ſunt omnia alchalia dicta, ſive fi-

xa illa ſint, ſive volatilia, quanta enim contrarietate acidos in corpore dominantes humores oppugnent quotidie apud Chymicos decantatur. His proximè accedunt amara omnia ſulphure ſuo ſalino aciditatem humorum corrigentia, & terreſtria, qualia ſunt corallia, margaritæ, oculi cancror. cornu cervi, antim. diaphoret. creta, lapides pretioſi, ſuccinum, bolus armena, terra ſigillata, chalyb. & ferri rubiginoſ. limatura, &c. quæ omnia eodem modo ac ſupradicta ſalia fame canina detentis medentur, quatenus ſcilicet poroſa ſunt, & acidorum ſtygiorumque in corpore prædominantium humorum aculeos abſorbendi aut infringendi vi donata.

Inter vegetantia commendantur plantæ omnes ſale volatili abundantes, ut beccabung. cochlearia, naſturtium aquaticum & hortenſe, fumaria, cærefolium &c. ſicut & eæ omnes quæ incidendi, attenuandi, aperiendi, & humorem acidum & melancholicum quoque modo expugnandi virtute pollent, ut ſunt radices quinque aperientes, radic. helen. eryng. rubiæ tinctor. polypod. herbæ ceterac. ſcolopend. bugloſſ. utrumque, cichor. chamædr. portulaca ſativa, capill. vener. flores cordial. ſuccus pomorum, imò & vegetantia aromatica & amara, ut ſunt mentha, abſinth. puleg. calamintha, ſaliva, roſmarin. centaurium minus, aliaque plurima quæ inappetentiæ ab humoribus frigidis oriundæ conferre ſuprà diximus, aut inferiùs obſtructionibus hunc morbum ſemper comitantibus, aut melancholiæ hypochondriacæ profectura dicemus.

Præter jam dicta Bulimiæ remedia, ſunt, & alia non minus efficacia, quæ tamen alio modo agunt in cauſam morbificam, obtundendo ſcilicet & irretiendo, vel eamdem diluendo & enervando; in prima claſſe reponuntur oleoſa omnia, pinguia, ſulphurea, & viſcoſa, ut adeps, butyrum, oleum olivar. amygdal. pineorum, extremitates animalium, mucilag. ſemin. pſyll. & cydonior. juſcula pinguia, gelatinæ, vinum etiam copioſè ſumptum, præſertim album atque generoſum, liquores ſpirituoſi & ardentes; aqua vitæ, vel ſimplex vel aromatiſata, decoctum antim. crud. cum aliis ſudorificis.

In ſecunda verò claſſe collocantur aquea omnia quæ acidi humoris particulas à ſe invicem disjungunt & diſſociant, talia ſunt balnea, ſerum lactis, & aquæ thermales ad plures dies bibitæ. Narcotica denique in hoc affectu curando aut ſaltem mitigando non infimum locum obtinent, utpotè quæ & exquiſitum ventriculi oriſque ejus ſenſum obtundunt, & nimiam humoris peccantis acrimoniam demulcent; cave tamen ne intempeſtivè & citra ſagax Medici judicium adjuncta omnia examinans uſurpentur.

Venæ-ſectio neutiquam in iſto affectu videtur indicari, cùm nihil conferat ad gumoris morbifici correctionem, læſæ partis corroborationem, aut ſymptomatum mitigationem; unde ſi unquam fame canina laborantibus præſcribitur, parca manu celebranda eſt, & ratione plethoræ; non verò ratione ipſius morbi, vel cauſæ illius.

Quod de venæ-ſectione pronuntiatum eſt, de purgatione ſimiliter dicendum eſſet, quandoquidem humores acidi purgantium vires plerumque eludunt, & eorumdem uſu irritantur atque efferantur potiùs quàm ſubducuntur, teſtante Sylvio Deleboe celebri apud Leidenſes practico edoctum ſe eſſe per multiplicem experientiam, non niſi cum ſummis torminibus & majori noxa quàm fructu evacuari dictos humores; verùm cum impoſſibile ſit morbum qualemcunque altiùs ſaltem corpori humano infixum penitùs eradicare non adhibitis quandoque purgantibus, adhiberi debent & ipſa, ſi non multoties, ſaltem aliquando in famis caninæ curatione, præſertim poſt humores acidos per aliquod tempus mitigatos, eoſque aqueorum & humectantium uſu valdè dilutos, tunc enim faciliùs remediis cedent.

Ea verò peti debent potiſſimùm ex amaris & reſinoſis cauſam morbificam magis oppugnantibus, ut ſunt pilulæ omnes aloeticæ & diagridiatæ, rochiſc. alhand.

alhand. rhab. myrobalan. jalap. turbith. quibus ſenna poteſt adjungi & ſyrup. de cichor. comp. de floribus perſicor. eorùmque infuſ. imò etiam & caſſia, etiamſi dulcis humorum acrimoniæ leniendæ idonea; quod tamen magis arridet in dicto morbo expugnando purgans, & à quo minor ſemper noxa infertur, illud eſt quod & purgantia ſimul & alterantia continet, ut opiata chalybeata dicta non ſolùm ex martis rubigine, ocul. cancror. ſale aliquo fixo, coralliis aliiſque ſupradictis parata: ſed etiam ex pulv. jalap. fenn. diagrid. rhab. ad juſtam doſim cum ſ. q. ſyrup. purgantis ſpecifici, vel etiam pilulæ purgantes, quibus alterantia, abſorbentia, & humori acido contraria permiſceri poſſunt.

Notandum hìc venit, quòd ſi fames canina animi deliquio & lypothimia ſtipetur, ut plerumque accidit, cardiaca identidem, ſpirituoſa, & reſtaurantia ægro exhibenda ſint, potiſſimum ambra griſea, quæ huic affectui ſpecificè conferre creditur. Notandum quoque clyſteres identidem injiciendos, eoſque magis purgantes, ubi adeſt vomitus, minùs verò tales, atque magis detergentes & lenientes, quando adeſt alvi fluxus. Sunt qui vomitoria cæteris in hoc affectu curando præponunt remediis; ſed ut dicam quod res eſt, etiamſi illa ratione partis affectæ & humorum colluviei in ſtomacho & partibus vicinis hoſpitantis locum habere videantur, qua tamen humores aggrediuntur admodum fixos & veluti incuneatos, atque per ſuperiora non facilè purgabiles, quod Hippoc. anſam dedit dicendi, *Melancholicos per inferiora purgabis &c.* non ita promptè & non niſi adhibita ſagacis Medici circumſpectione præſcribenda ſunt, & ex ol. in aq. tepida, aut ex antimonialibus quæ tota ſulphurea ſunt, paranda, habita ſemper ratione virium, ætatis, temperamenti, aliorumque coindicantium.

Non eſt ut hìc recenſeamus remedia fami caninæ dum à lumbricis procedit conducentia; ea namque in capite proprio, ubi de lumbricis ex profeſſo agetur, inferiùs commemorabuntur.

NOTA.

APpetentia Canina & bulimia non parum differunt, illam enim conſequuntur vomitus & quandoque dejectiones liencericæ, hanc vero leipothymiæ frequentes. Ea propter indicationes in earum curatione adhibendæ aliquatenus ſunt diverſæ: In illa enim acidum Stomachale ad Aquarum ſtygiarum naturam quaſi evectum, ac propterea multarum irritationum, eaſque conſequentium dejectionum, parens, infringendum venit, cruditates aggeſtæ quoquo modo expurgandæ, ventriculuſque ac inteſtina roboranda: In hac verò præcipua remediorum vis eò dirigi debet ut leipothymiæ ipſius conſectaneæ occurratur. Adducitur ea medicamenta Clariſſimus Auctor, quæ primis ſatisfaciant indicationibus, non item ſatis quæ ultimæ de qua nos pauca addemus; ſcilicet quòd leipothymiæ à voratis ab avidiori ſtomacho cibis neceſſariò orituræ, antevertendæ, non parum faciet, tum eorumdem ciborum delectus, quo minùs gravetur ſtomachus, tum etiam admiſta ſpirituoſa, volatilia v. g. oleoſa, item ex Hartmanni ſententia meliſſæ eſſentia cum ſpir. vini extracta ad cochleare unum ſubinde exhibita, additis etiam guttulis aliquot olei carvi. Laudat præterea Riverius (& ex eo Auctor noſter) ambram griſeam ad v. vel vj. grana cum ovo ſorbili ſumptam, eamque proprietate ſpecifica hocce in caſu prodeſſe opinatur. Commendat Franciſcus Sylvius aromatica omnia, Aquam v. gr. menthæ, ſpiritui cochleariæ, & cinnamomi tincturæ admiſtam: ſed maximè olea v. g. macis & baccar. junip. ſtill. ad partes æquales miſcet, eorumque guttas ij. vel iij. ſubinde propinat. Vinum generoſius paulò largiùs alii potant, alii odoramenta, etiam vehementiora, præcipiunt, item confectionum, aquarumque omnium cordialium uſum. Nos ſanè non videmus quid fructuoſius adhiberi queat quàm volatilia oleoſa primo loco propoſita, iiſque proinde, cæteris tamen

non

non neglectis, inſiſtendum præcipuè credimus.

CAPUT IV.

De Pica & Malacia.

ALtera famis præternaturalis ſeu appetentiæ depravatæ ſpecies κίττα Græcis dicitur, Latinis Pica, deſumpta ab ave ejuſdem nominis nomenclatura, quæ globulos terræ ſicut & hoc affectu laborantes eſitare perhibetur. Vocatur quoque alio nomine Malacia, præſertim in mulieribus gravidis, quæ iſto morbo ſæpè ſæpiùs tentari ſolent. Eſt autem famis ſpecies quæ fertur ad res abſurdas, inſolitas, minus aptas, & plerumque noxias & quæ mares rariùs, fœminas verò frequentiùs, divexare ſolet potiſſimùm ante menſtruorum fluxum, aut poſt eorumdem ſuppreſſionem, unde fiunt ferè ſimul pallidæ atque cachecticæ.

Si quæratur quidnam ſit illud abſurdum & inſolitum circa quod appetitus pica laborantium dirigitur? Paucis reſpondere poſſum, dicendo cum Sylvio, neſcio quid non, ſunt enim ægrotantes cretam, carbones, cineres, terram, gypſum, lutum, lapillos, corium, pannos, ceram, &c. appetentes & comedentes, vel, quod à ratione alimenti non ita alienum eſt, crudas carnes, fructus immaturos, acetum, omphacium, nivem, glaciem, ſuccum limonum, ſal, piper, zinziber, cinnamom. & ſimilia.

Rerum harumce appetitarum varietas occaſionem dedit celebri apud veteres practicos controverſiæ, qua acriter diſputatur inter ipſos, an diverſimodè ſic depravatus appetitus à diverſis omninò humoribus in ſtomacho accumulatis, aut eorumdem diverſa mixtione pendeat, & an feratur ad ea quæ diatheſi ventriculi præternaturali humoribuſque in ipſo contentis ſimilia aut contraria ſunt; cujus controverſiæ varia deciſio, & quidem meo judicio inutilis, videri poteſt apud Galenum *cap.* 3. *artis parvæ*, apud Avicennam *fen.* 13. *lib.* 3. *tractat.* 2. *cap.* 10. atque etiam apud Platerum, Sennertum & alios.

Dixi in vanum ſolvi à prædictis Auctoribus hujus quæſtionis nodum, quia probabile non eſt quod carnes crudæ, verbi gratia, lapides, creta, corium, lana, cineres, &c. ullam cum humoribus ventriculo affuſis habeant analogiam, &, quod notatu dignum eſt, ſi appetitus dirigeretur in contraria, ab eorum uſu ſanarentur, aut ſaltem levarentur ægrotantes; ſi verò in ſimilia, ab eorum quoque uſu morbus incrementum capeſſeret, quod tamen experientiæ non planè nec ſemper congruit.

Alibi ergo quàm in multiplici & vario humore ſtomachum imbibente quærenda eſt appetitarum rerum varietas in pica laborantibus; quamquam enim diverſos humores in ſtomacho congeſtos, aut diverſam eorum compoſitionem diverſam ſtimulis ſuis, utpotè variè figuratis, nerveæ ventriculi tunicæ ſenſationem ſeu vellicationem creare non imus inficias; non tamen indè ſequitur, quod ex ea vellicatione excitata fames ad carbones, verbi gratia, lutum, cineres, & alia quorum ſaporis nulla habetur idæa, imò quæ eodem plerumque carent, dirigatur potiùs, quàm ad multa alia aſſueta aut inſolita quæ aliquando deguſtata ſunt, aut quorum idæa quædam in mente excuſſa eſt.

Itaque appetitorum diverſitas refundi debet in læſam & debilem pica laborantium imaginationem atque phantaſiam, aut præjudicia varia, vel hæreditaria & à matre in prolem transfuſa, vel acquiſita, aut ab aliis mutuata, ut frequenter accidit virginibus juvenculis, quibus aliæ grandiores hunc affectum quondam perpeſſæ certarum rerum appetitum inducunt, perſuadendo illis ſe olim talium rerum uſu multum delectatas fuiſſe, leporemque ſibi & venuſtatem conciliaſſe, unde percuſſa illarum mens ſimilibus famem ſuam explere data occaſione cupit.

Cauſa igitur picæ atque malaciæ ut legitima inſtituatur, & ex cujus præſentia

tia omnia hunc affectum comitantia rectè deducantur, ea ex duobus jam suprà recensitis conflari debet, primò ex humoribus irritantibus qui præter naturam sunt, in ventriculo depositis, & à massa sanguinis ductu Virsungiano, aut aliundè suppeditatis, vel ex saliva & alimentorum reliquiis in crasi sua naturali vitiatis & acrioribus factis. Secundò ex læsa hoc morbo laborantium imaginatione, quod ad melancholiam quodammodò spectare videtur, dum enim humores illi aut varii, aut variè mixti salibus suis anomalis & à naturali statu, tum quoad figuram, tum quoad copiam & motum desciscentibus, fibras stomachi orisque ejus nerveas lacessendo, famem à naturali diversam excitant, hæc eadem adjuta, tum præjudiciis variis insitis vel acquisitis; tum varia ægrotantium phantasia in cretam, carbones, cineres &c. aliaque superiùs enarrata dirigitur, eò magis quò talium rerum usu meliùs quàm per alia quævis vehemens stomachi latratus compescitur, & irritantium humorum aculei aut infringuntur aut absorbentur.

Quòd imaginationi læsæ aut præjudiciis tribuimus, tribui quoque potest fortuito casui, quo fit plerumque ut dum pica laborantes quærunt hìc aut illic aliquid, quod vellicationem quam in stomacho persentiunt sedet, post multa quæ ipsis occurrunt degustata incurrant fortè increatam, gypsum, corium, &c. in quibus masticandis & devorandis inveniunt unde suo palato & stomacho satisfiat.

His positis arduum minimè erit explicare qui fiat ut fœminæ sæpiùs hoc affectu corripi soleant, præsertim ante menstruorum fluxum aut post eorumdem à quacumque causa factam suppressionem; mares verò rarius, & inter hos pueri potiùs quàm viri; cùm enim pravis humoribus in stomacho, primisque viis, imò & toto corpore congerendis valdè proclivis sit fœmineus sexus, tum ob errata multa invictu, tum ob vitam sedentariam, tum propter impeditum quoquo modo catamæniorum vel lochiorum fluxum, eumque insuper judicio non admodùm solido donatus sit, à quo imaginationis idæarum omnium facilè susceptricis, læsio corrigi aut averti possit; nihil mirum si puellas, virgines, mulieres, viduas, picæ & malaciæ obnoxias præ viris videamus, qui etsi ab hoc morbo immunes non sunt, eo tamen ob dictarum causarum absentiam rarò tentantur. Pueri verò ut plurimum humores huic affectui producendo aptos, pravasque idæas vel à matre susceperunt pari morbo per graviditatem laborante, vel ob pravam victus rationem vitam pariter otiosam, minoremque rationis usum appetentiæ illi absurdæ obnoxii fiunt.

Quæri hìc potest, non ineptè, an cùm pallidas & cachecticas simul esse fœminas dixerimus, dum pica & malacia detinentur, illæ priùs absurda appetant quibus sibi pallorem & cachexiam ex animo, ut ita dicam, accersant; an potiùs eadem isto morbo priùs laborare necessum sit, ut absurdorum subsequatur appetitus; error namque est latis communis apud fœminarum vulgus, per absurdorum insolitorumque expletam & præcedentem appetentiam pallidos semper colores pravumque totius corporis habitum invehi, & chlorosim non tam puellis advenire, quàm ab ipsis fieri; cui quæstioni paucis potest responderi, dicendo latere semper in corpore pica & malacia affecto cachexiæ & chloroseos seminia per proprias causas inducta, etiamsi minùs conspicua, antequam ad absurda dirigatur fœmineus appetitus; unde enim talis nova depravatio, nisi à pravorum humorum in stomacho & primis viis redundantia, qui à sanguinis vitiata crasi originem ducunt tuam, quamvis interim non negandum est usu rerum absurdarum morbum ad extra magis se manifestare, ipsumque eadem de causa sæpissimè augeri atque intendi.

Inter externas aut procatarticas hujus morbi causas numerantur omnia alimenta frigida & crassa, fructus immaturi, acida omnia & salsa, aquæ immoderatus

tus uſus, vita ſedentaria, ſegnities, aer craſſus & maritimus, mœror, triſtitia, & nimia mentis contentio, obſtructiones viſcerum, menſtruorum, lochiorum, aut hæmorrhoidum fluxus impeditus, quæ omnes cauſæ quomodò maſſam ſanguinis è ſtatu ſuo dejicere valeant, pravorumque, acidorum, acrium, & ſalſorum diverſæ indolis humorum in corpore & primis viis congeriem, aut in ſaliva, ſucco pancreatico & bilioſo & alimentorum reliquiis mutationem variam facere, ſicque picam & malaciam parere, cuivis ex iis quæ ſuprà dicta ſunt facilè innoteſcere poteſt; juvantibus præſertim, aut occaſionem præbentibus præjudiciis, idæis atque phantaſmatis imaginationem allicientibus, & à prava & potiſſimùm acida ſanguinis diatheſi in cerebro & ſpiritibus animalibus vim ſuam ſicut in ſtomacho exerente, ortum habentibus.

Morbus hic qui ſemper per ſe aut ægrorum relatu manifeſtatur, chronicus & contumax eſſe conſuevit, utpotè melancholico affectui valde affinis, & à cauſa altiùs humoribus & ſanguini infixa & remediorum vim eludente oriundus; non tamen eſt admodùm periculoſus niſi habitum contraxerit, & poſt diuturnam chloroſim aut cachexiam fortemque viſcerum obſtructionem adveniat; tunc enim metus eſt, ne in graviorem morbum degeneret, & ne depravatus ultra modum ſanguis in naturalem craſim minùs poſſit reſtitui.

Curatio picæ atque malaciæ per multiplicis generis remedia abſolvitur, vomitoria nempè ad elutriandam, dum neceſſe videtur, humorum primas vias occupantium ſaburram atque colluviem, purgationes identidem repetitas, quales in præcedenti capite deſcriptæ ſunt, clyſteres ſæpiùs injectos, præſertim pigra alvo, fotus totius abdominis emollientes, aut balnea & ſemicupia &c. Phlebotomia verò ſi requiri videatur, ratione plethoræ, & parca manu celebranda eſt ex brachio aut malleolo, prout res poſtulabit, neque enim ullam aliam in hoc morbo indicationem adimplet.

Inter particularia & ſpecifica, quæ purgationibus ſemper præire debent commendantur julepi, juſcula, aut apozemata attenuantia & aperientia, ſpiritus & ſales volatiles atque fixi, liquores oleoſi aut ſpirituoſi, chalybeata, mercurialia, alchalia, abſorbentia, cardiaca diaphoretica, & ut verbo dicam, ea omnia quæ in præcedenti capite fami caninæ convenire diximus, aut inferiùs chloroſi, menſium ſuppreſſioni, melancholiæ, obſtructionibus viſcerum, quibus plerumque, ne dicam ſemper, adjunctus eſt hic affectus, competere dicemus.

Obſervandum reſtat ad integram hujus affectus therapejam, quòd ſi mulier prægnans pica detineatur, in minori doſi præſcribi debeant purgantia, tum in potionibus aut pilulis, tum etiam in clyſteribus metu abortus ſecuturi; item quòd vomitoria propter eamdem rationem, vehementia præſertim, cane pejus & angue vitanda ſint. Notandum quoque hyrudines tumentibus ani veni admotas multum conferre, ſi hæmorrhoidum fluxus impeditus aut retardatus huic affectui occaſionem dederint, ſicut & ſaphænæ ſectionem, præmiſſis præmittendis, ſi menſtruorum ſuppreſſio, iis præprimis quæ uterum minimè gerunt. Tandem obſervatione etiam dignum eſt per ſagacis Medici aſtutiam corrigi interdum poſſe phantaſias, atquæ præjudicia per quæ ægrotantes in certa abſurda rapidiùs feruntur, præſertim in pueris aut virginibus juvenculis, quatenus ipſis inſciis nec opinantibus, ea quæ appetuntur inſolita aut abſurda in locis ubi quæruntur ſucco aliquo guſtui valde ingrato aut pulvere aſperguntur; ſic puerum vidimus à matre pallida progenitum in omnibus cubiculi atque domus rimis terram & arenatum quærentem, quo appetitum ſuum expleret liberari ab hac abſurda fame per pulveratum piper quo omnes eædem rimæ, ipſo minùs conſcio, implebantur.

NOTA.

IN Pica, & Malacia tanquam ſpecificum quid commendatur aqua pampinorum vitis primo vere è ſurculis vitium inciſis extillans. Quæ non inconvenienter permiſcetur cum aqua theriacali & ſyrupo citri, arantiorum, ac è corticibus mali perſici. Conſerva præterea menthæ criſpæ, aliaque ex eadem mentha continuata medicamina, ſingularia hocce in affectu æſtimantur.

Salia etiam volatilia non parum opis adferunt; ſed cautè in gravidis ſant adhibenda, ne aliquando abortum facant. Hìc non addo alia multa quæ in curatione inappetentiæ ac coctionis læſæ fuere allata; ut nec etiam remedia generalia è variis morbi cauſis petenda; quia de iis jam actum, nec crambem hiſce in notulis ſæpius coquere animus eſt.

CAPUT V.

De Siti morboſa.

SItis, quæ eſt appetitus liquidi, ſicut fames ſolidi, etiamſi imminui, aboleri atque depravari poſſit, non tamen in hoc triplici caſu morboſa ſemper & præternaturalis cenſenda eſt; cùm minùs aut nullomodo ſitiens eſſe quis poſſit notabili etiam temporis intervallo, abſque ulla noxa nullòve ſanitatis diſpendio, ut in melancholicis & pituitoſis, ſaliva & ſero abundantibus, catarrhoſis, aut alimento humidiore veſcentibus videre eſt; atque bibendi plerumque, ſi urgeat, deſiderium non tam ex inſito appetitu procedat, quàm ex ſolidorum aridorumque aut copioſorum ciborum ad faciliorem glutitionem atque diſſolutionem diluendorum neceſſitate, neque enim abſolutè & verè ſublata aut abolita ſitis reputanda eſt, ut morboſa in ſpecie dici poſſit, in quibuſdam cum oris ariditate & febrili ſanguinis ardore delirantibus, nunquam tamen potum petentibus, in illis enim adſunt omnia ex parte corporis ad ſitim excitandam requiſita, cauſa ſilicet ejuſdem continens, in fauces, œſophagum, & ſtomachum continuò agens; quæ tamen ex parte animæ variis idæis aut imaginibus per delirium ſuggeſtis detenta non percipitur.

Sola ergo eſt ſitis depravatio quæ morboſa propriè dici poteſt, in qua vel liquores abſurdi aut inſoliti expetuntur, quod ad picam pertinere videtur, de qua in præcedenti capite actum eſt, vel in qua liquidi copioſiùs quàm par eſt, atque frequentiùs bibendi eſt aviditas (aucta namque ſitis ſicut & fames depravari jure cenſetur apud Pathologicos) & hæc eſt ultima læſæ ſitis ſpecies, de qua nobis hìc agendum incumbit, quæ etſi morborum plerorumque conſectaria eſt, remedia tamen ſæpiſſimè ad ſe dirigenda etiam neglecto ad tempus morbo, poſtulat.

Ea verò pro cauſa immediata agnoſcit, non defectum præcisè aut penuriam humidi, fauces, œſophagum, & ventriculum irrigare ſoliti, & per glandulas quibus illæ partes obſitæ ſunt tranſcolati, ut veteribus placet Medicis, neque enim ſenſationem ullam facere defectus poteſt, ſed ex tali defectu, & ariditate ſequentem neceſſariò fibrarum ſtomachi, œſophagi, oris, atque gutturis nerveārum corrugationem, quæ cùm motus quidam ſit, facilè ſentitur atque percipitur.

Hujuſmodi corrugatio concipietur facilè exemplo corii ad ignem admoti, ſicut enim per emanantia ab igne corpuſcula ſumma pernicitate donata & dictum corium ſubeuntia expellitur & in auras avolat quidquid humidi in ipſo continetur, quo fit ut ejuſdem corii partes ad ſe ſe magis ac magis accedant, ipſumque valdè corrugetur; ſic excalefactis & exſiccatis à quæcumque cauſa infra afferenda, quamvis non ita intensè, oris, gutturis, atque œſophagi fibris nerveis, tunicam eorum internam & magis ſenſibilem conſtituentibus, corrugari eaſdem & ad ſe mutuò magis accedere neceſſe eſt, propter evaporationem humoris quo in ſtatu naturali continuò irrorantur.

Ta-

Talem autem fibrarum nervearum ariditatem atque corrugationem efficere poſſunt ab extrinſeco, primò bilis acrior & retorrida, quæ & ſanguinem excalefaciendo ſeroſos humores abſumit, undè minor eorumdem per glandulas ori & œſophago irrigando deſtinatas ſecretio, & eaſdem partes ubi ſitis ſedes ſtatuitur, & quas ipſa cum ſanguine perluit calefaciendo & exſiccando ariditatis & corrugationis ſenſum ipſis inducit; vel etiam poros & extrema excretoriorum eri, lymphæ aut ſalivæ vaſorum orificia calore nimio aut ſalſedine conſtipando dictorum humorum ſeparationem prohibet; ſic videmus in febribus admodum calidis & ardentibus, in inflammationibus partium internarum & aliis morbis in quibus bilioſus humor acredinem & uſtionem contraxit, intenſam ſitim perpetuò vigere.

Quod de bile acriore & præaſſata in maſſa ſanguinis redundante dictum eſt, de eadem ex verſicula fellea aut poro biliario per ductum choledocum in duodenum inteſtinum deſcendente, & inde in ventriculum aut per ſe aut per ſuos halitus eructata dici ſimiliter poteſt, aut de ejuſdem, ut Sylvio placet, cum ſucco pancreatico, aliiſve humoribus acidioribus in primis viis congeſtis effervescentia, unde halitus calidi & exſiccantes elevantur, qui non ſolùm in ſtomachum, ſed œſophagum & fauces feruntur.

Verùm ne vomitum inde potiùs quàm ſitim inducendum eſſe quis regerat, ſupponendum eſt bilioſum dictum humorem, utpotè præaſſatum & retorridum ſale magis quàm ſulphure oleoſo in primis & tenui ad vomitum excitandum apto, utpotè qui per calorem avolavit, abundare; ac proinde bibendi potiùs quàm vomendi deſiderium creare; cujus rei rationem affemus in ſequentibus ubi de vomitu.

Nec minorem in augenda ſiti efficaciam habet humor ſalſus muriaticus, quàm acris, amarus & bilioſus; & hoc experientia quotidiana confirmatur, qua videmus ſalſa & ſale marino condita edulia non minùs quàm acria, piperata & calida bibendi aviditatem accendere; quare ſi ſanguis diatheſim ſalinam induerit, ut in hydrope accidit, catarrho ſalſo, &c. & in iis qui ſalitis alimentis ferè ſemper veſcuntur, morboſa ſeu præternaturalis & aucta ſitis ſuperveniet quatenus prodiens inde ſale magis ſaturata ſaliva, aliique humores ſeroſi aut lymphatici faucibus & œſophago humectandis deſtinati ſalſiores facti in iis ipſis partibus, ubi ſitis excitatur, impreſſionem ariditatis atque corrugationis facient; ſalſa quippe præſertim intenſa, vim habent cauſticam exſiccantem, & uſtoriam corrugandis fibris partium ſenſibilibus idoneam.

Externas aut evidentes ſitis auctæ cauſas eruere non erit difficile, nec earum agendi modum explicare, ſi ad ea quæ modò dicta ſunt pauliſper attendamus; quæcumque enim humorem ſanguinis ſeroſum atque lymphaticum conſumere valent, orificia vaſorum ſalivalium aliorumque conſtringere, & ariditatis atque corrugationis ſenſum ſuprà dictis partibus inferre, in cauſarum ſitim morboſam producentium claſſe ponenda ſunt. Talia cenſentur aer fervidus, alimentorum calidorum ſiccorum acriumque aut ſalſorum nimius uſus, liquorum ardentium aut vini generoſi potus præter modum continuatus, exercitia ſeu corporis ſeu animi immodica, vigiliæ diutiùs protractæ, peregrinatio canicularibus diebus præſertim quæ pedibus fit, alvi fluxus diuturnior, urina & ſudores copioſiùs excreti, ſemitis denique, lactis, aut ſanguinis effluxus notabilis.

Innoteſcit ſatis ſuperque affectus iſte ex ægrorum relatu; cauſæ verò ſi externæ aut procatarcticæ fuerint, per ſe etiam patebunt; ſi verò internæ, notæ fient ex oris ſalſedine aut amarore, ex humoribus ſalſis aut bilioſis excretis, ex temperamento ægrotantium, ex catarrho ſalſo, vomitu, alvi fluxu &c. præcedentibus, atque etiam ex præcedente acrium, calidorum, aut ſalſorum, vel ſale conditorum eduliorum uſu.

Periculum nullum portendit ſitis illa

quæ à cauſis procatarcticis trahit originem, ſiquidem aſſumpto potu & remotis iiſdem cauſis facilè compeſcitur; quæ verò ab intrinſeco excitatur pejoris ſemper eſt omnis, idque pro ratione depravati plùs minùs ſanguinis, & pro gravitate morborum à quibus plerumque dependet.

Sitis modum excedens, ſaltem quæ remediis indiget, cùm raro per ſe ſola ſubſiſtat, ſemperque ferè aliorum morborum conſectaria ſit, febris putà continuæ aut ardentis, inflammationum internarum, hydropis, diabetis, alvi fluxus, ſudoris, ſeminis, aut ſanguinis immodicarum vacuationum, &c. non videtur peculiarem ſui therapejam requirere, effectus enim ſemper tollitur ſublata cauſa; quia tamen nonnunquam remedia ad ſe dirigenda poſtulat, neglectis etiam morbo ejuſque cauſis (urgentiori namque occurrendum eſſe clamat Medicina) quædam de methodo ejus curativa ſubjungere viſum eſt.

Ac primò, quod venæ ſectionem ſpectat, ea, ſitis ratione ſemper locum habet, magis tamen dum à bile uſta & præaſſata dependet, aut ab aliis cauſis ſanguinem excalefacientibus, quæ ſemel, bis, ter, inſtituenda eſt, modò nil contraindicet & vires ſint vegetæ; nam ſi immoderatam humorum utilium & ſpirituum abſumptionem conſequitur, minimè convenit. Venæ ſectionem ſequi debent aqueorum refrigerantium & diluentium uſus, imò & acidorum, quæ omnia mirum in modum lixivum bilis ſalem infringunt, ejuſque acrimoniam demulcent, atque etiam arefactas & corrugatas oris, gutturis, & œſophagi fibras nerveas eluunt & humectant.

In hoc cenſu ponuntur ptiſana refrigerans copioſius & ſæpius ebibita, etiam glacie aut nive parum refrigerata, ſerum lactis ad plures dies uſurpatum, balnea, & fotus abdominis, aquarum mineralium & acidularum uſus, ſi per adjuncta liceat, herbæ omnes refrigerantes, lactuca nempè acetoſa, endivia, portulaca, bugloſſ. utrumque cichor. &c. ſem. quatuor frigid. majora & minora, ſem. papav. alb. flor. nymph. flor. cordial. ſucci limon. berberis, granat. acidor. aurantiorum pomorum, &c. ſpiritus vitriol. ſulphur. ſal. ſal. prunellæ quod ſpecificum cenſetur, ſicut & nitrum purificatum, & multa alia de quibus ante facta eſt mentio. Parem in hoc affectu expugnando virtutem habent emulſiones, amygdalata, hordeata, valde diluta, quia ſalium aculeos valeant irretire & aſiditatem partium atque calorem minuere. Quia verò humor ſalſus iiſdem ferè remediis corrigitur atque acris, retorridus, & bilioſus, in tradenda ſitis læſæ curatione, dum à tali humore ortum ducit, non amplius immoramur.

Notandum ſupereſt purgantia, habita præcisè ſitis ratione, non ſtatim & temerè præſcribenda eſſe, nec eadem valida & vehementia, metus enim eſſet ne efferarentur magis humores peccantes, & corpore magis excalefacto ſitis intenderetur potiùs quàm ſedaretur; ſed eadem poſt humorum dictorum præparationem per ſuprà dicta remedia inductamque ſanguini & corpori temperiem uſurpanda eſſe, atque ex benigniorum claſſe petenda; ut ſunt tamarindi pulpa caſſ. ſal. polychreſt. rhab. mann. aut infuſ. & ſyrup. roſ. aut flor. perſicor. imò & ſenn. in decoct. admodùm refrigerant. additis pomis aut limonib. in fruſta diſſect.

Notandum quoque clyſteres ſæpiùs injiciendos, ex dec. refrig. ex lact. ſero lact. oxycrato cum caſſ. catholic. diaprun. ſimpl. electuar. lenitivo, mell. & criſt. miner. Emetica denique in uſum adhiberi poſſe, ſi ſtomachus idiopathicè laboret, & humorum bilioſorum ſalſorumve in ipſo congeſtorum adſit ſuſpicio, ſecùs enim, niſi à morbo cui ſitis adjuncta eſt indicentur, magis plerumque nocent quàm proſunt.

Verùm cùm ſitim ſic depravatam aliis effectibus corpus affligentibus ortum ſuum ferè ſemper, ſaltem ut plurimum atteſtari ſupra innuerimus, hydropi ſcilicet, diabeti, febri elodi ſeu ſudatoriæ, ardenti, nimiæ ſanguinis aut ſeminis profuſioni, alvi fluxui, inflammationibus

va-

variis, &c. venire quoque in uſum medicum debent propria & ſpecifica dictos morbos expugnantia medicamina, ut ſitis, quæ horum effectus & ſymptoma eſt, debelletur.

NOTA.

ILlis quæ ſiti morboſæ curandæ adducit Clariſſ. Auctor vix eſt quod addamus, hìc enim aqua acidis adjuncta quicquid propè agendum venit, abundè perficiunt. Ne tamen frequentior potus ingurgitatio ſtomachum gravet, ac inteſtina debilitet, imò ne funeſtiùs quid inducatur, ut de nimio aquæ frigidæ potu mortem in tribus conciliante, refert Amatus Luſitanus. E re apprimè fuerit ſubinde gargariſmos adhibere ex aquis appropriatis confectos, additis ſpiritibus acidis ſucciſque clarificatis; tum variorum fructuum citri, & prunor. acidor. granator. berberor. ribium, cydoniorum; tum etiam plantarum, ſempervivi, portulacæ, naſturtii aquatici, eryſimi, trifolii acetoſi, ipſiuſque oxalidis: Sique viſcidius quid faucibus impactum ſaleque fixo irritationi, ac propterea ſiti, prorogandæ aptiſſimo, prægnas, incidendum ac eluendum veniat, commodius hoc non perficietur quàm per parcè gargariſmis admiſta volatilia puriora, ac ſpirituoſa medicamenta.

CAPUT VI.

De Singultu.

QUamquam ſingultus ad pectoris potiùs quàm abdominis affectus pertinere videatur, utpotè qui à diaphragmate tamquam proprio & vero ejuſdem auctore, atque ſubjecto dependet; de eo tamen hìc agere viſum eſt, tum ut veterum, ſaltem quoad ordinem, inhæreamus veſtigiis, qui illum inter ſtomachi ſymptomata recenſent; tum quia licèt ventriculum pro ſede ſua non agnoſcat, ab eo tamen primariam ut plurimum accipit originem; affecto enim & irritato ejus ſuperiori orificio, quod membranoſum tendinoſumque diaphragmatis centrum penetrat & cum ipſo ſtrictè connectitur, ſingultus ferè ſemper, quamvis per conſenſum, ſubſequitur.

Ille autem vel citra ullum ſingultientis damnum & ſine morboſo apparatu, à ſolidis nempè aut ſiccioribus & copioſis alimentis voraciter glutitis excitatur, ſtomachi nerveum orificium duritie ſua & ſcabritie laceſſentibus, in quo caſu medicam manum non expoſcit, & plerumque aut ſponte, aut aſſumpto potu ceſſat: vel contingit malis hominis rebus & cum morboſa ejuſdem diſpoſitione; dum ſcilicet præſentem alium affectum eumque plùs minùs gravem atque ſenſibilem conſequitur aut comitatur, & in hac ratione utpotè remedia propria ſæpe requirens, à nobis conſiderandus venit.

Definiri poteſt convulſivus, non ſtomachi, ut Antiquis placet, ſed diaphragmatis ſeu ſepti tranſverſi motus & deſcenſus per intervalla brevia recurrens, & cum ſonora & ſubita inſpiratione conjunctus. Quod, ut clariùs adhuc pateat, advertendum veteres Medicos ideò ſedem ſingultus in ventriculo ſtatuere, quia videbant illum potiſſimùm excitari iſto aut nimis repleto, aut in ore ſuo ſuperiori à quacumque cauſa irritato, eumdemque ſanari atque compeſci, tum hauſto copioſo potu, tum rejectis per vomitum ventriculum gravantibus aut laceſſentibus humoribus, vel aliis contentis; ſed etiamſi hoc ita eſſe haud negare audeamus, non tamen inde jure arguitur motum illum vehementem, quo natura noxium aut irritans corpus excutere per ſingultum nititur, ad ſtomachum licèt irritatum pertinere potiùs quam ad diaphragma, quod re ipſa muſculus validus & motus hujuſmodi magis capax, & quod tendinoſo ſuo centro nerveum ſtomachi ſuperius orificium arctè amplectens ut ſuprà dictum eſt, ejuſque nervorum commercio gaudens magnum cum ipſo conſenſum habet; eò magis quò motus ille inſpirando perficitur, quod actioni diaphragmatis plurimùm congruit, per quam in hoc caſu è ſtatu convexo

ſeu relaxationis, in planum ſeu contractionis ſe redigit ad majorem pectoris & pulmonum pro aeris receptione dilatationem, & fortiùs tunc temporis dictum ſtomachi orificium ſtringendo quod ipſum fatigat, excutit, & verſus inferiora detrudit; contra quam fieri ſolet in conſtrictivo ſeu expulſivo ventriculi motu, in quo tantum abeſt ut aer inſpiretur, quemadmodùm inter ſingultiendum accidere cuivis notum eſt, ut potiùs propter contractionem tùm ipſius ſtomachi, tum muſculorum epigaſtricorum ad hoc opus concurrentium, & viſcera introrsùm propellentium, ſeptum tranſverſum aſcendere & relaxari neceſſe habeat, ac proindè concidentibus ſimul coſtis & pulmone expirationem efficere. Adde quod imitari ſingultum atque mentiri quiſque facilè poteſt, quod probat ipſum ad partem voluntati quodammodò ſubditam ſpectare, quale eſt diaphragma, minimè verò ad ſtomachum, cujus motus imperio voluntatis non ſubjicitur.

Ex his colligitur quàm inanis ſit exquiſita illa quam vomitum inter atque ſingultum ſtatuunt veteres differentia, dicentes in illo inſurgere naturam ad expellendum & reverà expellere, in iſto verò inſurgere quidem ad expulſionem, ſed eam aſſequi non poſſe: neque enim ex parte ſtomachi, ſive efficaciter, ſive fruſtrà ad expulſionem contentorum inſurgat, excitari poteſt ſingultiendi actus, qui motus eſt verſus inferiora, motui ventriculi conſtrictivo, qui verſus ſuperiora ſit, planè contrarius.

Colligitur quoque cauſas ſingultus frequentiſſimas, etiamſi in os ſuperius ſtomachi primò vim ſuam exerant, & illi potiſſimùm inhæreant, non tamen vomitum plerumque inducere, qui ſuccedere potiùs debere videretur, quia per talium cauſarum ſtomachi dictum orificium ſtimulantium actionem trahitur ſubitò, & quidem ſecundum naturæ intentum, in conſenſum diaphragma, tum ob nervorum communionem, tum ob ſui tendinis adhæſionem, & vi ſua muſculoſa, utpotè fortiori, actioni ventriculi prævalet, atque ipſum magis ſtringendo & verſus inferiora deprimendo, materiam ori ejus adhærentem excutit: ne dicam materiam illam irritantem ſufficientem non eſſe, nec ſatis per ſtomachum diffuſam, ut ad vomitum excitandum requiritur.

Singultus duæ potiſſimùm ſpecies afferri poſſunt, ſecundùm varias partes primariò affectas, vitiùmque ventriculo & diaphragmati ingenitum, aut aliunde tranſmiſſum; unde alius idiopathicus dicitur ex ſolo & proprio ſepti tranſverſi vitio pendens, quamvis rarior eſſe ſoleat: ſympathicus alter, qui ab affecto orificio ventriculi ſuperiore diaphragmati labem ſuam communicante originem ducit, aut à vicinis partibus irritatis inflammatis &c. In prima ſpecie materia quædam acris, ſpaſmodica, & ſpiritibus animalibus eò delatis heterogenea à ſanguine ſuggeſta carneam diaphragmatis circumferentiam, ſeu ejuſdem muſculi ventrem ſubitò inflat, ut in aliis muſculi convulſione, aut convulſivo motu detentis contingere ſolitum eſſe infrà videbimus, ubi de ſpaſmo & epilepſia ex profeſſo agemus. In ſecunda ſpecie quæ frequentior eſt, humor aliquis aut materia irritans & vellicans orificium ſtomachi occupat, quæ aut inibi genita eſt & congeſta, aut aliundè, ex partibus nempe propinquioribus, aut à maſſa ſanguinis ſuppeditata.

Quæ ſingultum excitant, ſunt præprimis alimenta ſicciora, copioſa, duriora, medicamenta acriora, venena hauſta, lumbrici mordentes, humores acres, biliоſi, ſalſi &c. à ſanguine vitiato, & depravato exſudantes & viſciditate ſua tenaciùs adhærentes, halitus acres, & mordaces ab humoribus aut alimentis corruptis elevati, aut etiam ab ipſo ſucco pancreatico depravato, ichores aut exhalationes admodum fervidæ, ſulphureo-ſalinæ, & irritantes à partibus vicinis phlogoſi laborantibus emanantes, & ori ſtomachi, qua diaphragmatis centro ſeu tendine ambitur, communicatæ; quæ omnes cauſæ ideò dicto muſculo convulſivos creant motus, quia propter intimum

quem

quem cum ore ventriculi ſuperno ab ipſis valdè irritato & laceſſito conſenſum habet, hoſpitantes in eodem ſpiritus animales & fibras ejus carneas implentes commoventur plus æquo & agitantur, unde muſcularis motus depravatur; vel materiæ elaſticæ & exploſivæ quam ſemper ſanguinis in omni animali motu ſuggerit, quæque in ſingultientibus, ſaltem cum febre, plerumque exaltata eſt, intimior cum iiſdem ſpiritibus mixtio efficitur ab proindè major efferveſcentia & major fibrarum inflatio, undè ſpaſmodicos atque iteratos, perſeverant ſcilicet irritatione ſequi motus neceſſe eſt.

Si quærat aliquis num affecto ſic ſtomacho qua nerveis magis gaudet propaginibus cum plexibus cardiacis commercium, ut Anatomia demonſtrat, habentibus, cardialgia quandoque cum ſingultu conjungatur? Reſpondemus eamdem ob jam dictam rationem nonnunquam dictum affectum comitari, dum nempè humorum aut contentorum in ſtomacho acrimonia major eſt, & capax longiùs ſe ſe diffundendi, minus verò dum ipſa remiſſior aut in minori humoris copia reſidens ſolùm & magis vicinum diaphragma in conſenſum trahere potis eſt.

Nec cardialgia tantùm ſingultum ſequitur aut comitatur, ſed etiam nauſea quandoque, nec non vomitus, quanquam ipſum motu planè contrario fieri ſuprà adſtruxerimus: ſiquidem hoc uno & eodem inſtanti non accidit, ſed motus ſingultiendi atque vomendi reciprocè fiunt atque ſucceſſivè; dum alter alteri prævalet & humorum aut irritantium corporum virtus vel in totum ſtomachum diffunditur, vel in ſolum ejuſdem ſuperius orificium agit; vel denique dum mutata ſede ab una ſtomachi regione in aliam migrat: ſic videmus mordentes ſupernam ſtomachi partem vermes ſingultum inducere, vomitum verò dum idem per validam diaphragmatis contractionem excuſſi in fundum ventriculi, ubi novos exerunt ſtimulos, præcipitantur.

Affectus iſte per ſe ſatis patet; cauſæ verò illam parientes magis obſcuræ ſunt. Quare ſi idiopathicè & ex peculiari diapharmatis vitio excitetur ſingultus, quod rarum eſt, hoc eſt à ſola materia ſpaſmodica & elaſtica in hujus muſculi ventre depoſita aut congeſta, & ſpiritus animales ipſi miniſtrantes ultra modum explodente & rarefaciente, ut in pluribus aliis corporis muſculis ſingulariter accidere compertum eſt, notum illud fiet per alios ſpaſmos motuſve ſpaſmodicos alias corporis partes agitantes, vix enim materia ſpaſmodica, etiamſi modica onuſtus ſanguis in unum ſolum muſculum exoneratur; & quod diagnoſin in hoc caſu facit certiorem, aberunt tunc temporis ſigna omnia alias cauſas multò magis frequentes indicare ſolita, & ſingultum ſympathicum denotantia. Talia ſunt nauſea plerumque, cardialgia, vomitus, & ab ipſo levamen, ructus fœtidi, ſtomachi inflatio, tenſio & gravitas, doloris ſenſus in ſummo epigaſtrii ſeu ſub cartilagine xiphoide, alvi fluxus, rugitus & dolor ventris, &c. quæ omnia ſtomachum primariò affectum deſignant; ne quid dicam de iis quæ præceſſerunt, aut quæ comitantur aut ſequuntur, ut ſunt aſſumpta alimenta & remedia acriora, aut venena, vermes per vomitum aut feceſſum excreti, humores erodentes per eaſdem vias evacuati, febres acutæ & malignæ ſimul vigentes, vicinarum ſtomacho aut diaphragmatis partium inflammationes, &c. quæ genuinam ſingultus cauſam & in ſpecie notam faciunt.

Prognoſis varia in ſingultu inſtitui debet, pro ratione cauſarum à quibus dependet & aliorum adjunctorum morborum atque ſymptomatum; nam ſi à cauſa procatartica proveniat, cibo nempè acriore, duriore, ſicciore, copioſiore, aſſumpto remedio cathartico aut emetico vehementiore, humoribus aut lumbricis ſtomachum irritantibus, halitibus acribus ab alimentis in ſtomacho malè ſubactis & corruptis manantibus, &c. non ita mali omnis eſſe conſuevit; ſicut nec quando criticum in febre quapiam vomitum antecedit: verùm ſi à veneno hauſto, à febribus acutis atque malignis, ab

alvi fluxu diuturno, ab ileo, dyſenteria, ab immodica ſanguinis evacuatione, aliiſque gravibus morbis exſurgat, periculi plenus, imò & plerumque lethalis dicendus eſt. Unde Hippoc. *in Coac. Si quis in laborioſa febre ſingultiat, morbo laborat peſſimo.* Et *in Aphr. Ajecoris inflammatione, a vomitu &c. ſingultus malum.*

Cura ſingultus dum à lumbricis procedit, aut à ſtomachi, hepatis, lienis, aliarumque partium vicinarum inflammationibus, per remedia his affectibus, à quibus immediatè oritur, accommodata, & inferiùs ſuo loco recenſenda inſtituetur. Ille verò qui idiopathicus eſt ex ſolo diaphragmatis vitio pendens curabitur, ut aliæ convulſiones ſeu convulſivi motus, de quibus in ſequentibus agetur. Qui pariter ab alimentis aut medicantis acrioribus, aut à veneno hauſto originem habet, curationem accipiet à remediis primò ſtomachum vacuantibus, ut ſunt vomitoria, modò nihil obſtet; ſecundò ab oleoſis, lenientibus, atque diluentibus, lacte nempè, emulſionibus, amygdalatis, butyro, oleo olivarum aut amygdalarum dulcium, juſculis pinguioribus, mucilaginoſis &c. aqua copioſiùs ebibita, atque etiam narcoticis, expurgato ſcilicet ſufficienter corpore.

Quòd ſi humores acres, bilioſi, ſalſi, à maſſa ſanguinis prodeuntes ſingultui ortum dederint, adhibenda tunc erunt ea omnia quæ humorum acrimoniam demulcere & diluere apta nata ſunt, illorumque motum, ſi adſit, refrænare, qualia ſunt jam jam recenſita, atque etiam balneum, ſemicupium, acidularum aut thermalium aquarum uſus, pro humoris affectum parientis conditione & differentia; & ut verbo dicam, remedia univerſa quæ in præcedentibus capitibus ad bilioſum humorem, ſalſum, acrem & corroſivum expugnandum propoſita ſunt, non prætermiſſis tamen emeticis, quæ in hoc affectu potiora ſunt aliis remediis; atque etiam purgantibus ſive pilulis, ſive potionibus, ſive clyſteribus, quorum uſu ſi non penitus, ſaltem ex parte cauſa morbum faciens eliminatur & per inferiora detruditur.

De venæ ſectione non ita facilè ferri judicium poteſt, ſaltem quoad ſingultum in genere conſideratum, undè obſervandum in ſpecie num vires ſint vegetæ, plethora adſit, ætas juvenilis, menſium aut hæmorrhoidum ſuppreſſio; num febris vigeat, num humor morbificus calidus ſit, num morbus, à quo ſingultus pendet, ſit in principio ſuo aut augmento, &c. in quibus omnibus caſibus utiliter vena ſecari poteſt, ſemel, bis &c pro Medici judicio: ſecùs verò, ſi æger parum ſit vegetus, ut ſæpiſſimè accidit, aut ab aliquo gravi, maligno, acuto, aut etiam diuturno morbos labefactatus, ſi evacuationes copioſæ præceſſerint, ſi morbus augmentum & ſtatum percurrerit, &c. tunc enim certum ægrotanti, quod aliundè ſatis impendet, exitium pararet phlebotomia.

Præter jam dicta remedia ſingultui opem ferentia aſſignantur & alia quamplurima ab Auctoribus, quæ ab ipſis velut ſpecifica reputantur, hujuſmodi ſunt pilulæ ex rheo & aloe, hiera Galeni aut Pachii, & omnia ex aloe parata medicamenta, utpotè quæ humores viſcidos & tenaces potenter abſtergunt; in hoc quoque caſu ponuntur ſemen anethi & papaveris albi, ſemen aniſi, coriand. carvi, atq. etiam ſummit. abſint. ſal ejuſdem, imò & theriaca; quæ tamen utpotè calefacientia vitanda ſunt, aut moderatè ſaltem uſurpanda, dum febris viget, aut corpus quoquo modo excalefactum videtur. Sunt qui pilulam ex aloe ℥. j. circiter, diagrid. gr. v. aut vj. & laudat. opiat. gr. j. ij. aut iij. paratam ſummis in hoc affectu extollunt laudibus; alii diaphænicum cum philon. roman. ad juſtam doſim, alii ſternutatoriorum uſum, alii clyſterum acriorum parevellendos à ſtomacho humores, alii caſtoreum ex mulſa datum alii aquilam albam cum diagridio &c. ſed quæ omnium Medicorum ſaniorum conſenſu & judicio palmam omnibus aliis remediis præripiunt, ſunt emetica etiam valida, ſi effectus contumax videatur,

& nar-

& narcotica, laudan. nempè pilul. de cynogloſſ. diacod. ſyrup. papav. alb. quæ tamen non niſi poſt evacuatos humores ſuperfluos & vigetis ſufficienter viribus adhiberi debent.

Taceo topica nonnulla remedia ab iisdem Auctoribus plurimùm laudata, epithemata nempè ori ſtomachi ſuperiori applicari ſolita, cataplaſmata, linimenta, ſinapiſmos, placentas, animalia per medium ſecta, aliàque hujuſmodi, quæ magno plerumque ſumptu & Medici faſtu, minimo verò effectu atque ægri levamine adhibentur; in hoc namque ſæculo obſoleverunt planè remedia hujuſmodi apud ſaniores Medicinæ practicæ cultores, & non niſi apud Agyrtas ignaros, aut fœminei generis Medicos, qui plures hodie extant, invaleſcunt.

Si cardialgia & animi deliquium ſingultum ſtipent & urgere quoquo modo videantur, illis per remedia propria ſeu cardiaca eſt occurrendum, vacuato, ſi fieri poteſt, priùs ventriculo. Tandem ut finis huic curationi imponatur, habenda præ primis eſt ratio morbi acuti aut chronici, peſtilentis aut maligni, à quo velut è radice plerumque manat, eidemque, ut ejus natura requirit, medica manus adhibenda eſt.

NOTA.

IN ſingultu commendantur opium cum caſtoreo, & ſemine aniſi aut anethi, zinziber in India conditum; cornu cervi uſtum ad ʒ.j. & alii pulveres abſorbentes. Externe conducit oleum aniſi umbilico illitum; item ſpongia aceto acerrimo cum caſtoreo, pipere & ſinapi imbuta, & ventriculo applicata.

Attendendum ad varias ſingultus cauſas, pro quarum ratione aliquando vacuandum, per vomitoria potiſſimùm; aliquando ab omni vacuatione abſtinendum.

CAPUT VII.

De Nauſea, & Vomitu.

NAuſeam hìc non immeritò cum vomitu confundimus, quippè quæ tantam cum ipſo affinitatem habet, ut ab eodem non niſi ſecundum magis & minus, ut ajunt, diſcrepet & eadem prorsùs ratione fiat, eaſdem cauſas, minùs tamen intenſas agnoſcat, atque iiſdem remediis curetur.

Eſt autem nauſea inanis vomendi niſus cum anxietate & humoris cujuſdam ſalivalis excretione, ſeu levis & non integra, ſubita tamen, totius ſtomachi conſtrictio, qua ſtomachus contenta per vias ſuperiores expellere conatur, ſed reverà non expellit, quia non omninò contrahitur, nec valida muſculorum epigaſtricorum, quæ ad vomitum requiritur, contractione adjuvatur. Vomitus verò, qui præcipuè hìc à nobis conſideratur, & ex cujus notitia omnia ad nauſeam pertinentia facilè deducentur, eſt valida, perfecta ſeu integra, ſubitaque totius ventriculi contractio ab ſpiritu animali in fibris ejus muſcularibus præter naturam expanſo, copulamque elaſticam ipſi adjunctam, aut advenientem, vehementiùs, ut in convulſione fit, explodente procedens; vel, ut clariùs loquar, eſt motus ventriculi convulſivus, quo contractis fortiter ſeu inflatis ſimul & ſemel fibris omnibus carneis mediam ejus tunicam muſcularem dictam conſtituentibus, quod in cavitate ſua continet foras per œſophagum & os rejicere nititur, atque reipſa rejicit; cui operi non parum, imo magnam partem conferunt muſculi epigaſtrici ad excretionem tum catharticam, hoc eſt per inferiora, tum anacatharticam, ſeu per ſuperiora deſtinati, qui per ſtrictum inferiùs explicandum conſenſum, quem cum ſtomacho irritato ſortiti ſunt, una cum ipſo in convulſivos cientur motus, & totum abdomen conſtrictione ſua forti pariter & prompta introrſum propellentes ventriculi cavitatem infernè ſurſùm comprimunt

munt & anguſtant.

Ad pleniorem jam dictorum intelligentiam exponenda hìc foret nativa ſtomachi ſtructura, & quidquam de motu muſculari & convulſivo in genere dicendum eſſet; ſed quia hoc eſſet Iliada, ut ajunt, poſt Homerum ſcribere, utpotè quæ apud Vvilliſium, Stenonem, varioſque hujus ætatis Auctores & Anatomicos adamuſſim conſcripta habentur, ſufficit nobis innuere contractivum ventriculi motum, non à membranoſa externa internave nervea, ſed media tantum ejuſdem carnea ſeu muſculoſa tunica perfici, quæ duos fibrarum muſcularium admittit ordines; alium quo fibræ orbiculares ſeu annulares dictæ, quæ ſublato exteriori involucro ſtatim apparent, ita ad ſe invicem diſponuntur, ut ſtomachum a jugo ad fundum annullorum inſtar cingant ſatis denſo numero, atque ejus cavitatem ab imo ad ſummum, ubi quaſi in tendinem deſinunt, ſtringant & anguſtent: alium jam dicto ſubſtratum, quo fibræ longitudinales nuncupatæ, quæ internam ventriculi membranam reſpiciunt, ita diriguntur, ut à ſuperiori & ſiniſtra ejuſdem regione, ubi tenuiores ſunt & magis tendinoſæ, ad inferiorem & dextram, ubi craſſiores multò & magis carneæ ſunt, protenduntur, annulares non rectis, ſed inæqualibus angulis decuſſantes.

Notatu interim dignum eſt fibras muſculares ſupremam ſtomachi partem occupantes & ab uno ad aliud orificium excurrentes, non alterius quàm jam dicti ordinis eſſe, nec ab iis ita differre, ut manipulum diſtinctum efficiant, ut Vvilliſio viſum eſt, & ſeceſſum aut vomitum peculiariter eliciant, ut eidem Auctori placet, prout in uno aut altero extremo irritatæ orificium ſtomachi ſuperius ad inferius, aut vice verſa adducunt; ſed ab eodem cum ipſis principio promanantes ſecundum ventriculi apicem ferri, dum aliæ ſucceſſivè paulò inferiùs declinant, ita ut cum iiſdem in actione concurrentes & orificia duo ſtomachi, & oras ejuſdem diverſas inferiorem nempè & dextram, ſuperioremque & ſiniſtram, ad ſe ſe mutuò attrahere valeant, ſicque una cum annularibus inflatæ hujus viſceris capacitatem omni ex parte conſtringere.

Fibræ illæ omnes ſpiritibus animalibus pari octavo ſeu vago, quod in ſtomachum tanquam ultimum ſui terminum quadruplici primò, deindè multiplici ramo deſinit, atque etiam à plexu nerveo ſtomachico & lienari dicto & ab intercoſtali nervo derivato ſuppeditatis turgidæ, eo quo in omnibus muſculis fieri ſolet modo, pro ſpirituum dictorum motu expanſione & copia copulaque elaſtica ipſis varia, vel à ſanguine vel ab ingeſtis & in ſtomacho contentis præbita, quam ad motum muſcularem ſuum conferre ſymbolum nemo hodie audet ire inficias; fibræ, inquam, illæ modò leniter & ſucceſſivè, ut in motu periſtaltico naturali, modò paulò validius & citius, ut in catharſi, modo denide omnes ſimul promptiſſimè atque vehementiſſimè turgent & contrahuntur; & hic eſt ultimus motus in quo vomitum conſiſtere, concurrente tamen valida muſculorum abdominis contractione, optimis innixi rationibus exiſtimamus.

Quamvis enim contentorum in ſtomacho per ſuperiora rejectionem in ſolam contractionem fibrarum jugum ſtomachi occupantium & ab uno ad aliud orificium diſtincto, ut putat, ordine protenſarum refundat ſupradictus Vvilliſius, quatenus ſcilicet ea parte qua œſophago proximæ ſunt, halitibus acribus à materia ingeſta, aut contenta exhalatis laceſſitæ pylorum verſus orificium ſiniſtrum ſeu ſuperiùs validè pertrahunt, quemadmodùm eædem qua pylorum ſpectant, à ſimili cauſa irritatæ orificium ſiniſtrum & ſuperius verſus dextrum ſeu dictum pylorum fortiùs rapiendo ſeceſſum inducere aptæ natæ ab eodem Auctore creduntur. Si res tamen indagetur altiùs atque accuratiùs penſitetur, vix ac ne vix quidem dictarum fibrarum contractio vomitui aut ſeceſſui excitandis par reputabitur; ut enim nihil dicam de æquali ferè utriuſque orificii mobilitate, qua neque hoc ad illud, nec illud ad hoc

tra-

trahi potiùs poteſt, motus namque muſcularis fit ſemper verſus partem magis immobilem; quid aliud, quæſo, præſtare poterit dictarum fibrarum ab irritatione in dextris aut ſiniſtris facta ſe ſe contrahentium abbreviatio, quàm ut ora duo ſtomachi ad ſe invicem accedant; undè ſi ventriculi figura ſpectetur, non videtur deducenda nec ſuperna nec inferna contentorum egeſtio; niſi dixeris ad actionem illam conſpirare & annularium & longitudinalium fibrarum totum ſtomachum ambientium contractionem, non quæ ab irritatione in ſuperiori aut inferiori, dextra aut ſiniſtra parte facta procedens, hanc ventriculi partem in aliam rapere apta eſt, ut laudato Auctori placuit, ſed quæ à ſpiritibus in tota muſculari tunica plùs minus, prompriùs, lentiùs à copula heterogenea & elaſtica expanſis dependens ſtomachi cavitatem variis vehementiæ & celeritatis gradibus coarctare valet, & quæ forti magis & minùs muſculorum abdominis contractione adjuvatur.

Vomitum & ſeceſſum irritationi illi diverſis ventriculi locis inductæ minimè tribui debere probant ſtomachi figura dicta & orificiorum ejus poſitio; fundus enim hujus viſceris arcus aut ſemicirculi figuram exactè referens æque à pyloro ac œſophago diſtat, ac proindè ingeſta, dum ad contractionem ſtimulatur, hùc aut illùc protrudere indifferenter debet; poſitum verò è regione ferè ſtomachi duplex orificium fibræque muſculares ab altero ad aliud excurrentes velut in plano conſtitutæ æquè expirantibus ac contentis in ſtomacho vaporibus aut halitibus acribus obviæ ſunt, unde non magis pylorum versùs quàm œſophagum moleſtari debent, & per conſequens aut neutram in partem, aut utramque ſimul materiæ propulſionem fieri neceſſe eſt.

Nec minùs in vomitu atque ſeceſſu explicandis à ſcopo aberrarunt qui in catharticis, aut iis quæ ſecundum naturam per vias inferiores excludi ſolent, ſulphur quoddam, aut ſal fixum imaginati ſunt, quæ cùm ad orificium ſuperius ſublimari non poſſent, per inferiora humores deducerent; in emeticis vero ſulphur aut ſal volatile, quæ ſubtilitate & levitate ſua ad ſuperiora dum deferrentur, illùc ingeſta aut quæcumque in ventriculo continerentur dirigerent, ut per œſophagum & os excludantur.

At ſunt hæc ſpecioſa verba rem obſcuram parùm aut nihil illuſtrantia, & ex ſuprà dictis penitùs corruentia, non abſimilia eorum hypotheſi quæ vomitoria comparat pulveri pyrio effectum ſuum ſurſum verſus ſortienti; purgantia verò aliaque per anum exerceri ſolita auro fulminanti quod parat Chymia, deorſum vim ſuam exerere ſolito: quæ hypotheſis ex ſe pariter concidit ſpectato ventriculi & orificiorum ejus jam prædicto ſitu, perpenſiſque attentè quas ex iis deduximus rationibus.

Non eſt quod refellam Chymicorum quorumdam circa vomitum placitum, qui ipſum excitari putant, quoties humores aut ingeſta ita in ſtomacho fermenteſcunt, ut propter maximum quem ineunt expanſionis motum in œſophagum & os eo prorsùs modo exundent, quo varii liquores chymici invicem mixti in matracio, & nimis per fermentationem agitati ad ſummum ejuſdem collum aſcendunt; præterquam enim quod incredibile eſt tam vehementem in nobis excitari poſſe fermentationis motum, nulla ad hoc opus requireretur ventriculi & muſculorum abdominis contractio, imò potiùs impediretur, nec omnia in ſtomacho contenta poſſent unquam eliminari, quod tamen & rationi & experientiæ refragatur.

Reſtat igitur dilucidanda de vomitu hypotheſis, quam utpotè veriſimillimam aliis quibuſque jure anteponendam cenſuimus, quæ hunc affectum à ſeceſſu & catharſi hac ſolùm ratione diſcriminat, quod ille per conſtrictionem ſubitam validamque ab omnibus ventriculi muſcularibus fibris ſimul & ſemel agentibus inſtitutam, parique muſculorum abdominis contractionem adjutam excitatur; dejectio verò per inferiora, tum quæ naturaliter fit, tum quæ purgantibus

pro-

promovetur, per eaſdem fibras & muſculos non vehementer, ſed blandè; non ſubitò, ſed lentè & ſucceſſivè magis aut minùs, pro qualitate materiæ in ventriculo contentæ aut ſpirituum copia, motum, inordinatione & exploſione contracta peragatur. Hoc autem ita ſe habere non ſolùm ratio probat, qua notum eſt excludenda per vomitum, utpotè quæ aſcendere debent, maxima propulſione, ac proindè fortiſſima ventriculi coarctione & compreſſione indigere, cui etiam œſophagus ventriculo continuus & ſtructura non abſimilis compatiatur & in actione conſpiret, verùm & rerum magiſtra docet experientia, qua validiſſimos ſtomachi motus atque ſubſultus validiſſimaſque muſculorum abdominis contractiones quiſque inter vomendum in ſe ipſo perſentire poteſt.

Sed undè intimus ille muſculorum abdominis cum ſtomacho conſenſus proveniat, quo ſpaſmum ipſo patiente illi ſtatim in ſimiles motus adigantur, res eſt caligine non facilè diſſipabili involuta; neque enim ulla nervearum propaginum variis ſibi invicem conſentientibus partibus proſpicientium communio aut connexio, unde in ſpecie mammarum cum utero, oculorum cum partibus genitalibus, olfactoriæ membranæ cum muſculis exſpirationi inſervientibus, & ſtomachi cum muſculis epigaſtricis ſympathia dependet, aciei unquam cultri aut viſus etiam lyncei obvia fuit; quare in tanto dubio dici probabiliter poteſt ſapientiſſimum animalis machinæ artificem ad perfectam ejuſdem œconomiam, quæ certas partes ſibi mutuò reſpondentes exigit, nervos illos omnes, ſi non in via, ſaltem in origine corpore ſcilicet cerebri calloſo, conjunxiſſe, ratione cujus conjunctionis & in hanc, & in illam partem, quæ in una actione concurrere debent, dum alterutra convellitur aut irritatur, ſpiritus animales majori copia, majorique velocitate reſpectivè influant; ſicque ab una ad aliam motus facilè transferatur.

Quòd ſi quærat aliquis, qui fiat ut conſtrictus fortiſſimè omni ex parte ſtomachus contenta per œſophagum potiùs quam per pylorum protrudat, cùm tamen utriuſque par ferè ſit altitudo & à fundo receſſus? In promptu eſt reſpondere, in illum quàm in iſtum directiorem, patentiorem, atque faciliorem aditum eſſe; directiorem quidem, quia œſophagus in ſtomachum perpendiculariter deſinit, ſtomachus verò in pylorum non niſi indirecta & circulari via; patentiorem, quia præter amplitudinem qua orificium ſiniſtrum dextro præcellit, adeſt inſuper in iſto inſignis valvula ſeu plicatura interioris membranæ, quæ difficilem & non niſi attenuatorum in ventriculo ingeſtorum tranſitum permittit, faciliorem denique, quatenus fibræ, qua pylorum ſpectant, craſſiores & magis carneæ in violenta & ſubita ſtomachi contractione multò magis expanduntur, & propter ſui intumeſcentiam pylori canalem magis anguſtant, atque etiam materiam contentam ſiniſtrorsùm & œſophagum verſus propellunt; ne quid dicam de valida muſculorum abdominis compreſſione, quorum vis, dum intenſa eſt, magis ad ſuperiores quàm inferiores vias determinare videtur, ſpectato eorumdem & ſtomachi ſitu.

Vomitùs differentiæ plures afferri poſſunt; vel enim accidit citra morboſum apparatum, quando ſcilicet motu quaſi voluntario & habituali peragitur, ut videre eſt in quibuſdam qui ingeſta ad libitum revomunt, aut dum intruſo in gulam digito, aut ex rerum fœdarum & exoſarum aſpectu, equitatione, navigatione, &c. ſupervenit; vel idem cum morboſa conſtitutione conjungitur, ut patet ex pleriique morbis vomitum inducere ſolitis. Ideo nempè, cholera morbo, colico & nephritico dolore, febribus variis, obſtructionibus, &c.

Præterea vomitus alius naturalis dicitur, qui naturæ ſolius noxium aut ſuperfluum excutere nitentis miniſterio fit; artificialis alter, quem natura quidem exequitur, ſed medicamentis ab arte ſuppeditatis provocata; naturalis ut plurimum a ſenſibili vel inſenſibili morbo dependet, eſtque vel criticus, unde integra

mor-

morbi ſolutio, aut illius imminutio, propter materiæ morbum facientis evacuationem, conſequitur; vel ſymptomaticus, qui malis ægri rebus contingit, aut quia in ſpiritibus & humoribus maximum latet vitium in ſtomacho potiſſimùm ſe ſe prodens, aut quia continua humoris aut cauſæ vomitum producentis fovetur præſentia, aut quia non ſufficienter humores peccantes ſunt elutriati.

Vomitus differentias, quæ ab excretis deſumuntur, & quibus ille modò chyloſus, modò ſanguineus, modò bilioſus, modò ſeroſus, purulentus, &c. dici conſuevit, hìc non attingemus, utpotè quæ & parvi ad vomitus naturam eruendam momenti ſunt, & quæ per ſe ſatis innoteſcunt.

Ne verò præcipuam inter alias vomitus diviſionem reticeamus, ille tandem vel idiopathicus dicitur à ſtomacho primariò affecto ortum ducens; vel ſympathicus & ab aliarum partium, capitis putà, renum, diaphragmatis, hepatis, lienis, inteſtinorum, uteri, meſenterii, pancreatis &c. affectibus dependens. In priore ſtomachus proprio vitio laborare dicitur, quamvis cauſa morbifica à ſanguine aut veſicula fellis plerumque derivetur; in altero laborat quidem ventriculus, ſed vitio & affectu aliundè accepto.

Immediatam vomitus cauſam colligere non erit arduum, ſi ad ea quæ jam dicta ſunt paululùm attendamus; conſtrictionem namque ſtomachi validiſſimam, qua vomendi actus elicitur, & quæ verè convulſivus eſt motus, non niſi à ſpiritibus animalibus in fibris ejuſdem carneis præter modum & ſubitò expanſis, ut in aliis muſculis ſpaſmo correptis accidit, originem ducere nullus, ut opinor, inficiabitur; verùm qua ratione cauſæ mediatæ, tam internæ, quàm externæ, quæ certè plures ſunt, immediatam illam in actum deducere valeant, explicare hoc opus, hic labor; neque enim ex iis quamplurimæ ullum, niſi valdè remotum, cum ſtomacho reſpectum habere videntur.

Ut ergo à vomitoriis incipiamus quæ Chymia ex mineralium regno deprome-re ſolet, antimonio ſcilicet, vitriolo, mercurio, & arſenico, quorum alia aliis fortiora ſunt & periculoſiora; ea nobis non alio modo vomitum provocare videntur, niſi in quantum certa ſulphuris & ſalis minùs fixorum combinatione & quantitate donata dum à calore ventriculi ſolvuntur, attenuantur, & commoventur, nerveam ejuſdem tunicam pro ſui tenuitate & acutie quam à ſale habent, penetrant, in qua etiam levem aliquam aut gravem, pro emetici majori aut minori acrimonia, irritationem faciunt, moxque ſpiritibus in media ejus tunica ſeu muſculari, contentis ſe ſe adjungentiam, motu quo donantur maximo, aut propter heterogeneitatem qua ipſis facilè miſceri non poſſunt, eorum motum exploſionem ſeu fermentationem naturalem augent & pervertunt, ita ut quæ ſenſim & ſucceſſivè in fibris ſtomachi orbicularibus & longis fieri ſolebat, nunc ſubitò & vehementer in tota muſculari membrana peragatur, undè ſupernam ejectionem ſubſequi, eo quo diximus modo, neceſſe eſt.

Dum autem ſulphur volatile cum ſale minùs fixo combinatum vomitui ciendo aptum cauſam ſtabilimus, hoc non ita volumus intelligendum, ut ſulphur ſemper ſali prædominetur, ſed aliquando etiam ſal ſulphuri, ut in vitriolo, ſale ejuſdem & gilla, atque etiam in ſublimato corroſivo, cujus dimidium granum multa aqua dilutum vomitum potenter ciet, adeò tamen ut neque magna ſulphuris copia ſalem, nec ſalis abundantia ſulphur obſcuret & intricet, unde certè vis emetica multum imminueretur; ſic videmus & antimonium crudum, & ex eodem cum majori nitri quantitate paratum hepar ſeu crocum metallorum ad vomitum excitandum minoris eſſe efficaciæ, illud quidem propter nimiam ſulphuris copiam quod per calcinationem aut detonationem avolare debuerat; hoc verò propter ſalis exſuperantiam reſidua in antimonio ſulphura figentis atque irretientis.

Quæ de antimonio aliiſque mineralibus dicta ſunt, de vegetantibus emeticis,

Azaro

Azaro nempè, Ipecacuana, elleboro albo & nigro, cataputia majore & minore, ſambuco, geniſta, gutta gamba, elaterio, raphani ſucco, nicotiana, &c. dici, cum aliqua tamen diſparitate, poteſt: quamvis enim de intima illorum compoſitione non planè conſtet, ſuſpicandi tamen locus eſt ſulphur & ſal, quæ omnibus hiſce acrem ſaporem conciliant, ea proportione inter ſe ligari & cæteris eminere principiis, qua vomitum inducere ſuo modo apta ſint, quamvis interim acriores aliæ plantæ talis proportionis defectu idem præſtare non valeant.

Quod verò ſulphur volatile cum ſale certa proportione conjunctum conſtrictionis ſtomachi vehementiſſimæ per motum præternaturalem ſpiritibus inductum producendæ capax ſit, unus inſtar omnium bilioſus humor oſtendit hiſce duobus principiis vim ſuam emeticam, quam non infimam habet, acceptam referens; probant etiam pinguia & oleoſa, quæ ſulphurea ſunt acidum involventia & convulſivum ventriculi motum, tum præſertim promoveri maximè idonea; cum à calore tepiditatem nacta & ad motum magis depoſita ſunt; evincit emeticorum omnium à liquoribus acidis ſulphur ligantibus & fingentibus caſtrigatio atque correctio: deſignant demum & ſimplex antimonii crudi decoctum aut tinctura, propter ſolius ferè ſulphuris & pauci nec ſufficienti ſalis copia ſtipati ſolutionem, ad vomitum excitandum impotens & inefficax, atque ejuſdem calx ſeu antimonium diaphoreticum, non niſi fixo paucoque ſulphure donatum, quo diaphoreſim per varias in corpore circulationes promovere valeat.

Una eſt inter vomitus cauſas aqua tepida quæ Medicorum fatigavit animos; in ipſa etenim nullum ſulphur, nullum ſal guſtui ſaltem obſervabile deprehenditur, ex quibus tamen emeticorum virtus vulgò deſumi ſolet. Sunt qui copiæ, qua aſſumi debet magnæ, vomitum ciendi facultatem tribuant, quæ tamen ſola tali præſtando effectui impar omninò videtur, cùm eadem, imò major frigidæ quantitas ne nauſeam quidem parere poſſit, quod tamen ſi copiæ effectus tribui deberet, ſecus ſe haberet. Undè igitur præterquam à copia petenda ſit, aquæ tepidæ in ſtomachi invertendo motu vis, non video, niſi à nitro aqueo illa deducatur, cujus præſentiæ ſi ſenſus fidem non faciant, ratio ſaltem, quæ per illud piſcium vitam conſervari docet, ſicut cæterorum animantium per nitrum aereum, in ipſa idem perindè reſidere clarè demonſtrat; hoc quippè nitrum ab aere aquam omnem continuò lambente ſuggeſtum, quod in eadem frigida iners valde eſt, craſſum, & motu carens, & in eadem nimiùm calefacta paucum ob magnam ejus evaporationem, in aqua tepente juſtum & motus, & quantitatis, & ſubtilitatis modum obtinet, ratione cujus & in ventriculi fibras ſe ſe inſinuare & copulæ ſanguinis elaſticæ, ad motum muſcularem neceſſariæ, cui valde affinis eſt, vim adaugens ſpiritus præter modum expandere potens eſt. Adde quod aqua tepida rarò vomitum per ſe ſolam excitat, & ſi quandoque eumdem ciet, hoc accidit in bilioſis, picrocholis, & ad vomitum pronis, quatenus humores bilioſos in eorum ſtomacho reſtagnantes & ipſius tunicæ impaſtos diluit, commovet, & in actum deducit, qui nitro aqueo juncti ſpiritus ventriculi hoſpites inordinatè agitant.

Ab eodem non aqueo, ſed aereo nitro vomitum, qui intruſo in fauces digito ſuccedit, provenire valde probabiliter ſuſpicari poſſumus; quamvis enim appulſus digiti in ſenſiles œſophagi fibras motum aliquem inordinatum ſpiritibus in hac parte hoſpitantibus inducat, ille tamen impar eſt tantæ ſtomachi contractioni, quantam vomitus deſiderat; ſe ſolo ſaltem efficiendæ, alioquin alimenta ſicca, dura, & ſolida quæ majorem aliquando quàm digitus in pharynge impreſſionem & irritationem faciunt, vomitum ſimiliter parerent, niſi ſuppetias ferant, nitroſæ aeris partes, quæ per digiti in gulam immiſſionem in ejus carnalem aeri antè impervium, imò & ad ventriculum, quo pertingere non ſolitæ ſunt, copioſius

ferun-

feruntur, & quaſi tot ſubtiles mobileſque aculei tunicam utriuſque muſcularem ſubeunt, ubi ſpiritibus admixtæ vi qua pollent elaſtica ipſos maximè commovent & expandunt, concurrentibus humoris bilioſi particulis ſtomacho ſemper impactis & cum nitro aereo hauſto aſſociatis.

Partes autem nitroſas tum aeris, tum aquæ tepidæ, in ſtomachum deſcendentes non immeritò vomitus excitandi capaces aſſerimus, cùm præter experientiam, qua eaſdem tunicam narium internam, dum ad ſolem facies elevato naſo convertitur, magno motu ferientes ſternutationem invehere omnibus notum eſt, eam inſuper ſanguinis partem elaſticam & exploſivam dictam, quam motui muſculari non minùs quàm ſpiritus animales conducere paralyſis ligata arteria, æquè ac nervo ſuccedens probat, nitroſam maxima ex parte eſſe, & ab aere per inſpirationem hauſtam, & ſanguini infuſam cenſeamus. Cui ſententiæ, ne gratis adhærere videamur, attendendum paululùm ad motum cordis recens extracti in aere perſeverantem, minùs verò in cucurbita aut machina Boiliana aere vacua, eumdemque motum jam deperditum & fatiſcentem in aperto animalis thorace per aeris in pulmones inſufflati copioſum adventum ſubitò reſtitutum & redintegratum, quod ſanè non niſi nitro-aeris in ſanguinem & cor mediatè aut immediatè pertingentibus imputari jure debet particulis. Obſervandum quoque vim antimonialium emeticam, qua ſpirituum in ſtomacho motum intendunt, in regulo præ primis tum ſimplici, tum martiali, ſulphure ejuſdem aurato, floribus, & vitro antimonii, imò & croco metallorum à nitro in eorumdem præparatione adhibito magna ex parte dependere.

Tuſſis vehemens, notante Sylvio, vomitum excitare non ſemel viſa eſt, eum verò ea de ratione tunc ſuperveniſſe cenſendum eſt, quòd valida muſculorum abdominis fuerit contractio, inteſtina & ventriculum forſan ſaginatum & bilioſis humoribus imbutum, fortiùs & ſubitò comprimentium, quorum actioni dum ex alia parte concurreret vehemens coſtarum, præſertim inferiorum, quæ ventriculi dextro & ſiniſtro lateri incumbunt, concidentia, ejuſdem cavitatem per fortem utrimque compreſſionem, maximè & promptè anguſtari, & ingeſta, præſertim ſi in magna copia eſſent, ſurſùm excludi oportuit, ſpiritibus inſuper à tali ſtomachi quaſſatione motum in muſculoſa ejuſdem membrana majorem & inordinatum conſecutis, aut humore aliquo vitioſo in ejuſdem cavo latente, & in actum deducto.

Ingeſtorum quantitas, eorum in primis quæ ſpirituoſa ſunt & ſulphurea, ut vinum, cereviſia, & liquores ardentes vomitum pariter inducere plerumque conſuevit. Hunc autem effectum non ſola copia præſtant, ratione cujus & ſtomachum gravando, & fibras ejus ultra modum tendendo, ſpiritus in hanc partem plures advocare, & promptiorem dictarum fibrarum elateris inſtar ad priſtinum ſuum ſtatum, imò & ultra reductionem promovere apta ſunt; ſed etiam effluviis elaſticis & exploſivis à magna aſſumptorum quantitate copioſiùs ſuggeſtis, aut ſulphureo-ſalinis particulis à vino, aqua vitæ, &c. uberiùs ſuppeditatis, quæ dum ſpiritibus ventriculo diſpenſatis accedunt, ipſos in motus adigunt præternaturales, undè fibrarum muſcularium maxima contractio, ac proindè capacitatis ſtomachi omni ex parte diminutio.

Ictum ſeu percuſſionem capitis notabilem æquè ac jam prædictas cauſas ventriculi motum incurrere poſſe, frequens demonſtravit experientia; ita ut mos ſit apud Chirurgos, ab inflicto capiti vulnere fracturam cranii trepanique applicandi indicationem ex vomitu ſuccedente, tanquam uno ex propriis ſignis deducere; hujus ergo ratio ſi inquiratur, non aliundè procedere exiſtimandum eſt, quàm ex inordinatione & tumultu ſpiritibus ſtomacho ancillantibus ab iis qui in cerebro hoſpitantur communicatis, motuque quem ab ictu ſuſceperunt à capite ad ventriculum, quò directa patens

& mul-

& multifida præ cæteris partibus via eſt, faciliùs propagato, cui tamen effectui accedunt in conſortium aut humores pravi & irritantes per ſubitam totius corporis ab ictu commotionem partiumque conſtrictionem in ſtomachum inſtillati, eumque laceſſentes, aut ſtagnans ſemper plùs minùs in eadem parte humorum biliioſorum colluvies, quæ vel minima data occaſione, commota & ſpiritibus adjuncta ſcenam peragit.

Navigatio, corporis circumactio, & inde proveniens vertigo non diſpari ratione ventriculo convulſivum motum creare valent; in utroque namque caſu, dum per oblata ſucceſſivè oculis objecta varia multoſque ab iis reflexos & in retinam catervatim impingentes lucis radios, viſorii ſpiritus, ac proindè quos thalami optici & cerebri continent meditullium, maximè commoventur, aut dum per continuam corporis verſationem iidem ex natura ſua impetum facere ſoliti in cerebro, ubi tamquam in proprio emporio diverſantur, magis ac magis agitantur, motus hic ſpirituum in origine auctus de facili in ſtomachum inſignioribus, pluribuſque quàm quælibet alia pars donatum nervis transferri poteſt, atque inde vocata ſemper in ſubſidium ſuprà dicta humorum ſaburra in ſtomacho ferè ſemper reſtagnante, vomitus tandem ſupervenire debet.

Imaginationem ſeu excuſſas in cerebro objectorum quorumdam ideas ſuam in vomitu excitando energiam habere teſtatur rerum fœdarum exoſarumque aſpectus, imò & recordatio, quæ ventriculum convellere ſæpè ſæpiùs valent. Hujus autem phœnomeni, ut ratio reddatur, ad perceptionem ſeu cogitationem in anima ex talium rerum viſione aut reminiſcentia reſultantem recurrendum eſt; quam varii enim propter ſtabilitum à Deo corpus inter & animam commercium, ex variis animæ cogitationibus motus in corpore, ſicut diverſæ ex diverſis corporis factis impreſſionibus in anima perceptiones & paſſiones excitentur, multifariæ ex multigenis animi motibus in pulſu, facie, oculis, & artubus ſubortæ alterationes evidenter probant, quamvis, qua ratione & mechanica id fiat, non ita clarum ſit.

Ex rerum itaque exoſarum obſcænarumque aſpectu aut recordatione, atque hinc prodeunte in mente perceptione convulſivus ventriculi motus ſubſequitur, ea præcipuè ratione, quod anima ad guſtus organum, aut ad ſtomachum objecta illa ſemper referre ſoleat; quapropter in partes illas idem debet eſſe ſpirituum influxus & motus, qui revera eſſet, ſi res illæ injucundæ, tetræ, & exoſæ aut deguſtarentur aut glutitæ fuiſſent; quàm verò magnus, inordinatus, atque tumultuoſus in hoc caſu eſſe conſueverit, experientia frequenti compertum & comprobatum habemus; ſicut & exemplo brutorum & animalium ratione carentium videmus eorumdem ſtomachum, talis perceptionis atque cogitationis defectu, nec vomere, nec nauſeare ex rerum etiam teterrimarum aſpectu atque olfactu.

Verùm ne toti ſimus in cauſis vomitus externis enarrandis, ad eas quæ intra corpus latentes ventriculi motum depravare & pervertere ſolent, jam noſter ſe convertit ſermo; atque ut ab iis faciamus initium, quæ vomitum per conſenſum ſeu ex aliarum à ſtomacho partium vitio derivatum parere aptæ natæ ſunt; Nephritis in primis & colicus dolor hunc affectum accerſere plerumque conſueverunt, idcircò quod motus ſpirituum à dolore in inteſtinis, plexibus nervorum meſentericis, aut renibus excitato auctus & inordinatus facilè ad ventriculum extendi poteſt, atque ibi parem edere tumultum: inteſtina enim præter tunicarum omnium cum ſtomacho continuitatem, qua cum ipſo unicam efficiunt & componunt fiſtulam, ramos inſuper nerveos à plexibus meſentericis dictis maximum inter ſe commercium habentibus ſortiuntur, è quorum numero lienaris ſeu ſtomachicus, cùm ſit, qui non in ſplenem tantùm, ſed in ventriculum plures mittit propagines, aut in fundum ejus protenſas, aut per ſiniſtram ejuſdem regionem excurrentes, & cum quibuſdam,

quæ

quæ à pari vago hac parte deſcendunt, quaſi per anaſtomoſim junctas, imò etiam & ille plexus, qui renibus proſpicit, ideo renalis nominatus: non mirum ſi ab effectis illis omnibus partibus ſpirituum inordinatio in primæ coctionis organum, à quo non longè diſtant, haud cunctanter excurrat; ubi fibras propter majorem expanſionis motum magis inflando capacitatem ejus undequaque conſtringunt; concurrentibus aliis ſuperiùs enuntiatis cauſis, ſeu humoribus pravis ſtomachum ſemper imbibentibus.

Hepatis potiſſimùm circa partem concavam, lienis item, diaphragmatis, pancreatis, partiumque aliarum ſtomacho vicinarum inflammatio eumdem effectum præſtare poſſunt, ac plerumque præſtant; idque non ſolùm per effluvia ſeu corpuſcula admodùm mobilia, calida, & ſulphureo-ſalina ab inflammata parte manantia, & in ſtomachi tunicas penetrantia; verùm etiam ob auctam à phlogoſi febre in maſſa ſanguinea biliоſarum partium copiam, earumque ex arteriis gaſtricis in membranas ejus eruptionem, aut ex veſicula fellea in ejusdem cavitatem, quæ omnia quàm in ciendo vomitu efficacia ſint, ex ſupra dictis ſatis ſuperque colligitur.

Vomitus variolas, febres acutas, malignas, intermittentes, peſtem, alioſque id genus morbos conſequens ad labem ſpirituum particulis heterogeneis admixtorum referri debet, aut ſanguinis in craſi ſua vitiati pravam diſpoſitionem recrementa ſua in primas vias & potiſſimùm ventriculum emandantis; ut enim liquor ſpirituoſus atque ſanguineus, quandiù naturæ limitibus coercetur, ad motum muſcularem naturalem & rectum confert atque concurrit; ſic utriuſque aut alterutrius vitium, non qualecunque, ſed in heterogeneorum admixtione conſiſtens reſpectu ſpirituum, & in ſalis unà cum ſulphuris certa exaltatione reſpectu ſanguinis; ventriculo non ſecùs ac pluribus aliis corporis muſculis convulſivos afferre motus ſolitum eſt, prout in illo, aut in iſtis magis ſe exerit; eò magis quò humores pravi & potiſſimùm biliоſi, quibus ſemper ſcatet ſtomachus, à ſupradictis morbis commoventur, & in actum deducuntur.

Obſtructio tam viſcerum, quàm quæ tubum inteſtinorum in ileo occupare ſolet, vehementi illo ventriculi ſymptomate ſtipatur, quamvis non eodem illud modo ſemper inferat; in hoc enim morbo ventriculus ideo in vomitum pronus fit, & in conſenſum ab inteſtinis trahitur, quia nec excrementa, nec ipſa bilis à meatibus biliario & cholidoco in duodenum depluens inferiora verſus protrudi ob interpoſitum qualemcumque obicem poſſunt; unde cùm ſemper orbiculares ſeu annulares fibræ effluviis tum ab excrementis, tum à bile exhalatis, à quibus etiam irritationes patiuntur, in contractivos inſtigentur motus, quæ per inferiora deturbari non potuerunt, ſuperiora verſus & ſtomachum repelli neceſſum eſt; quò cùm pervenerunt, ipſum quoque in ſpaſmodicam contractionem cient. In obſtructionibus verò quæ lienem, hepar, pancreas, uterum, meſenterium &c. tentant, ea præcipuè de cauſa vomitus excitari dicitur; quod ſanguinis recrementa per hæc omnia colatoria ſecerni ſolita in ejuſdem maſſa eorumdem infarctum exundent, ſicque per varios circuitus in ventriculo & primis viis tanquam totius corporis ſentina magis ac magis deponantur, quibus deinceps ſpirituum motus & expanſio in fibris ejus carneis non parum intenditur.

Quod ad vomitum ſpectat idiopathicum dictum, qui ex ſtomacho propriis morbis detento ortum ſuum accipit, is vel à tuberculo in pyloro præternaturaliter genito procedit, ut ex obſervationibus practicorum conſtat, vel à cholera morbo læſa coctione, ſtomachi inflammatione, ulcere aut ulceroſa diſpoſitione, vermibus tunicam ejus internam rodentibus, &c. Horum verò omnium ut ratio ſimul afferatur, dicendum in his caſibus commoveri plus nimis & agitari ſpiritus animales, aut ab halitibus acribus & particulis ex ingeſtis diù retentis, putrefactis, aut non benè ſubactis, erumpentibus, vel à bile ex cyſtide fellea,

lea, poro biliario, aut ſanguine in duodenum & ſtomachum copioſiùs & impetuoſiùs ruente; vel demum ab irritatione in ventriculo inflammato, aut ulceroſo, ab alimentis aut humoribus variis excitata, quæ quomodò effectum ſuum ſortiantur, ex præmiſſis attendenti cuilibet manifeſtum erit.

Ad vomitum cauſaſve ejus externas dignoſcendum, non multum impenditur operæ, quippè, quæ aut per ſe, aut ex adſtantium ægrorumve relatu facilè innoteſcunt; quæ autem ipſum ab intrinſeco producere idonea ſunt, non ita facilè deteguntur, ac proindè propriis debent ſignis indigitari.

Si ergo vomitus idiopathicè, hoc eſt ex propria ventriculi labe contigerit, illius affecti ſigna ſe ſe prodent, ſymptomata ſcilicet læſam coctionem, ſtomachi ulcus aut phlogoſim, choleram morbum, vermes, &c. conſequi ſolita, & in ſequentibus propiiſque capitibus recenſenda, quorum abſentia nullo alio in corpore vigente morbo, tuberculi aut tumoris in pyloro genitorum ſuſpicionem dabit, ſi præſertim vomitus perſeveret pertinaciter, & remediis vulgaribus non cedat.

Sin verò ſympathicè ſtomachi pervertatur motus, aderunt febres variæ, icteritus, menſium aut hæmorrhoidum ſuppreſſio, chloroſis, peſtis, variolæ, colicus aut nephriticus dolor, obſtructio viſcerum, hepatis demum, lienis, pancreatis, diaphragmatis, aut partium circumjacentium inflammatio, qui omnes morbi propria habent indicia per quæ cognoſcantur, quæ ſuo pariter loco commemorabuntur.

Vomitus prout à variis tum externis, tùm internis dependet cauſis melioris quoque aut pejoris omnis eſt; ſic qui aſſumptis vulgò excitatur, niſi ea venenata ſint, admodum irritantia, aut virtutis vehementioris, exiguum aut nullum protendit periculum, quemadmodùm & ille qui ab aliis extra poſitis originem trahit, ſi validum capitis ictum excipias, qui periculoſus ſecundùm morbum à quo fluit, cerebrumque magis aut minùs læſum dicendus eſt. Qui autem ab internis fovetur cauſis, ſive idiopathicus, ſive ſympathicus; modò periculi plenus eſt, modò expers, pro ratione morbi corpus, viſcera, aut ſtomachum divexantis: unde vomitus choleræ, ileo, peſti, febribus malignis, ventriculi aut vicinarum partium inflammationibus, tuberculo in pyloro exiſtenti, nephritidi, aliiſque gravioribus morbis ſuccedens, niſi criticus extiterit, malè ſemper ominatur, & ſuſpecti eventus eſt; minùs verò obſtructionibus non admodùm inveteratis, in colico ordinario dolore, vertigine, ictero, & chloroſi recentibus, &c. quia morbos non ita ſævos conſequitur. Denique ſymptomaticus, frequentiùs repetens, laborioſus, paucus, æruginoſus, niger, fœtidus, ſanguineus, purulentus, & cum cardialgia viriumque proſtratione, aut ſymptomatum aliorum incremento conjunctus omnium vomitus ſpecierum peſſimus eſt atque periculoſiſſimus.

Ad curationem quod attinet, notandum ſtomachi convulſivum motum, qui remedia requirit, nec enim omnibus illius ſpeciebus medela debetur, duplici modo curari poſſe; primò quidem mediatè & per morborum, quorum ipſe ſymptoma eſt, ſanationem; ſublata namque cauſa effectus tollitur. Secundò immediatè & per medicamina, quæ ipſi ſpecialiter vomitui, quandoque urgenti competunt, aut ipſum nimis repetentem vireſque dejicientem ſedant.

Primam vomitum curandi rationem hìc auſpicatò prætermittimus, ne pathologiam & praxim medicam integram conſcribamus, innuentes ſolummodò ad affectus quamplurimos ſuprà dictos, quibus vomitus ſupervenit, remedia propria, ſelecta, & ſpecifica, & præſertim vacuantia dirigi debere, ut deinceps depravatus & inverſus ſtomachi motus faciliùs, promptiùs, imò & tutiùs expugnetur.

Præmiſſis ergo univerſalibus, ſi neceſſe videatur, & iis quæ cuique ex prædictis affectibus in ſpecie conveniunt, ad vomitus per remedia, quæ ipſe ſolus indi-

indicat & quæ bilis frequentiſſimæ, ne dicam perpetuæ ejus cauſæ ferociam & copiam minuunt, ſic nos accingemus; præſcribendo nempè ſtatim vomitoria in præcedentibus capitibus enuntiata, ſi humorum ſaburra, ut ferè ſemper accidit, in primis viis deliteſcat; eaque majoris aut minoris virtutis, pro varia humoris peccantis conditione, & ægrotantis ætate, temperamento, atque viribus; vomitus enim repletionem uſque conſequens, viamque indicans quam natura eligit ad ſuam ſarcinam deponendam, efficaciùs plerumque curatur vomitu, modò nihil contraindicet, ſicut alvi fluxus alvi fluxu; quibus ex alia parte clyſteres ſuccedere debent: niſi alvus multùm ſimul fluat, refrigerantes, emollientes & mediocriter aut paulò validiùs purgantes; ſecùs verò lenientes, deterſivi, & humorum acrimoniam demulcentes & contemperantes; illorum namque uſu, qui ſatis frequens eſſe debet, humores à ſtomacho avocantur, atque ad inferiore velluntur.

Nec minùs in curando aut ſedando vomitu ſubſidium affert venæ ſectio iterum atque iterum repetita, modò vires ferant, & morbus à quo plerumque fluit, non contraindicet; per illam enim portio materiæ ſpiritibus generandis deſtinatæ ſubtrahitur, & exhauſto quodammodò vitali ſpiritu ſpirituum animalium proventus & motus conſequenter cohibetur; ne quid dicam de maſſæ ſanguineæ per ſanguinis extractionem refrigeratione, undè neceſſariò ſequitur & minor ſpirituum inordinatio, & minor humorum commotio.

Propter eamdem rationem laudantur quoque in hoc affectu compeſcendo refrigerantium, diluentium, & acidorum uſus, niſi vomitus à morbo frigido, aut ad obſtructionibus oriatur; quare aqua frigida copioſiùs bibita, oxycratum, aquæ deſtillatæ refrigerantes & herbæ, ſucci & ſpiritus acidi, ſerum lactis, emulſiones, & julepi refrigerantes in modica copia, ne ſtomachum nauſeantem fatigent, aliaque id genus plurimum levaminis afferunt iiſqui vomitu divexantur, non ſecus ac cryſtallus mineralis, tartarum vitriolatum, cryſtallus tartari, aquæ minerales acidulæ, &c. quod experientiæ & rationi non abſonum eſt; experientiæ quidem, quatenus per exhibita hujuſmodi remedia immodicam ſanguinis fermentationem & inordinatum ſpirituum animalium motum ſedari uſus practicus docet; rationi verò in quantum frigida & diluentia motum humorum & ſpirituum *ſufficiendo* iis quietem, qua ipſa fruebantur, impertiunt, & humores acres, bilioſos, heterogeneos, aut quoquo modo irritantes diluendo & demulcendo, eorum activitatem imminuunt. Acida autem modo peculiari ſuum in hoc affectu compeſcendo effectum ſortiuntur, quatenùs ſcilicet particulis longiuſculis, rigidis, & aculeatis, quibus gaudent, in ſanguinis globulos aut lymphæ ramoſas partes ſeſe infigendo, eorum motum, ac proindè ſpirituoſi inde prodeuntis liquoris ſufflaminant, aut vim humorum emeticam, quam in ſulphuris cum ſale combinatione reſidere ſuprà ſtatuimus, caſtrant atque corrigunt.

Non inutile etiam reputatur rheum per plures dies jejuno ſtomacho maſticatum, aut idem in liquore idoneo refrigerante aut acidiuſculo infuſum, aut ſub forma pulveris ſumptum; illud namque & ſtomachi tonum conſervat, & primas vias atque ſtomachum pravis & bilioſis expurgat humoribus, iiſque motum verſus inferiora conciliat. Huic adjungenda ſunt multa in ſedando vomitu & ſtomacho roborando non minùs efficacia, nempè ſuccus menthæ, oxalidis, lactucæ, portulacæ, cydoniorum, granatorum, tinctura roſarum rubrarum, aut corallorum, aqua plantag. acidulata, ſal. abſin. cum ſucco limon. corallia, margaritæ, oculi cancrorum, cornu cervi raſum aut uſtum, mirobalani, bolus armena, maſtiches, terra ſigillata, conſervæ & ſyrupi roborantes & adſtringentes, imò, etiam & theriaca, liquores ſpirituoſi, aliaque cardiaca in præcedentibus relata, dum nempè ex rebelli & perſeverante vomitu vires collabaſcunt, aut tonus ventriculi labefactatus eſt, nec febris viget,

aut ulla notabilis corporis excalefactio, in quo casu etiam aquæ thermales utiliter, cum cautione tamen, adhiberi possunt.

Sed cavendum præ primis ne hujusmodi remedia acida, refrigerantia, & præsertim adstringentia, quæ vomitui sedando idonea jam diximus, perperam adhibeantur; hoc est antequam morbi fomes expurgatus magna ex parte sit, & humores ventriculum & primas vias infarcientes evacuati; in omni enim seu morbi, seu symptomatis, nisi summoperè urgentis, curatione, præcipuus Medici scopus esse debet causæ morbum facientis ex corpore ejectio; quare post vomitoriorum usum semel atque iterum, si expedit, ægro præscriptorum, & in substantia, aut cum pauco admodùm liquore sumptorum, ne statim & sine ullo effectu rejiciantur, quemadmodùm de aliis omnibus remediis intelligendum est, ad purgantia & à stomacho avocantia, post quædam usurpata refrigerantia & diluentia, quæ humores peccantes præparant & fluxiores reddunt, deveniendum est; ea verò peti debent in isto casu ex aloeticis, rhabarbaro, tamarindis, cassia, mirobalanis, syrup. de cichor. compos. sale polycrest. imò senna atque manna: &c. Sed quia inversus stomachi motus liquidas purgationes plerumque non patitur, aut non retinet, ad usum pilularum confugiendum est, aut bolorum purgantium, quæ in parva copia & in substantia sumpta non tam facilè à stomacho ejiciuntur. Pilulæ ergo quæ in præcedentibus capitibus enuntiatæ sunt, hìc etiam locum habent, additis, si opus videatur sale absint. rhab. pulverato, mastiche, coralliis, aut aliis stomachicis; boli verò ex pulpa cass. tamarind. cum rheo, aliisque dictis præparari possunt, quibus catharticis si stomachus morem non gerat, eaque vomitu rejiciat, ut sæpè accidit, addi etiam iisdem non sine fructu potest laudanum opiatum ad duo, tria, quatuor, aut quinque grana, pro varia ejus dispensatione: sed tunc temporis diagridia aliaque fortiora, in justa tamen dosi, aliis purgantibus adjungenda sunt; eorum namque vis ab opio multum infringitur. Laudanum itaque sic mixtum purgantibus primò ventriculi subversionem sedat, fibras ejus sensiles obstupefaciendo, & spiritibus animalibus compedes, ut ita dicam injiciendo; mox exoluta opii facultate, purgantium vis sopita exsuscitatur & exeritur, fibræque à stupore expergefactæ eam sentiunt, quæ tamen si non abundè succedat, clystere acriori provocanda est.

Verùm quandoquidem narcoticorum jam mentio injecta est, ea nobis non infimum in vomitu compescendo locum occupare videntur, modò ea cautione adhibeantur in usum, ut vel multùm urgeat, vel elutriata priùs sit & expurgata, quantum fieri potest, pravorum & vomitum excitantium humorum saburra; vel demum purgantibus, ut jam dictum est, validis admisceantur; quanquam enim non inficiamur, cum universa Medicorum saniorum familia narcotica ordinaria, qualia sunt syrup. nymph. papav. alb. & rubr. diacodium, pilul. de cynogloss. extractum opii seu laudanum variè in variis regionibus præparatum & magis aut minùs compositum, quod proindè secundùm variam dosim præscribi debet, miræ & specificæ virtutis esse in omnibus convulsionibus, motibus convulsivis, in omni vehementi & inordinato spirituum & sanguinis motu, in vigiliis nimiis, delirio, phrenitide, mania, &c. & in variis corpus torquentibus doloribus, non tamen plerumque ita temerè, ut vulgò fit, adhibenda mihi videntur, præsertim ubi vires exolutæ sunt, & ad fatum æger quoquo modo inclinat, nec nisi perpensis ritè omnibus circumstantiis, & expurgato, si fieri potest, stomacho atque corpore; alioquin enim aut attritæ vires fatiscunt omnimò, depressis & ligatis spiritibus, & impendens acceleratur exitium, aut morbificus humor ad exitum disponendus figitur magis, & per inductum spiritibus animalibus torporem ab evacuatione arcetur.

Opiatorum verò si inquiratur spiritibus narcosim inducendi facultas, quam mul-

multi Medici poſt Dioſcoridem & Galenum in imaginaria ſtatuunt frigiditate, alii in vaporoſis & cerebrum replentibus ab illis manantibus effluviis, alii in fuſione ſanguinis ab ipſis inducta, quæ cerebrum ſeroſis inundat humoribus; alii demum in peculiari & occulta qualitate. Nos in ſulphure oleoſo & viſcido, facilè tamen & ſummè fuſibili (quod experientia confirmatur, qua videmus opium menſtruis quibuslibet aqueis, ſpirituoſis, ſalinis, acidis, oleoſis, & ſulphureis abſque ſaporis deperditione promptè diſſolvi) ſitam eſſe pronuntiare audebimus, concurrente tamen ſanguinis dicta fuſione: quamvis enim deſtillatum per retortam opium Thebaicum, poſt pauci phlegmatis aſcenſum, ſpiritum fundat volatilem urinoſum, ſeu ſale volatili refertum, ratione cujus diaphoreſim & ſudores poſt ſulphuris craſſi actionem promovere aptum credimus; præeminet tamen in ipſo glutinoſum fixumque ſulphur; ut probat oleum copioſum, nigricans, & fœtidum ex eodem poſt ſpiritus & ſalis volatilis extractionem vulcani tortura elevatum, quod dum ſanguinem pervadit, & per ipſius ſerum propter facilem ſolutionem latè diffunditur, vehiculo eum ſuo ſpoliat, motumque illius, quemadmodùm oleoſi in venam injecti liquores, qui ſomnum inducunt apoplecticum, partibus ſuis ſtriatis, flexilibus, ramoſiſque imminuit; undè propter irretitam ſimul & inviſcatam ſpirituum animalium materiam ipſorum in corticalibus cerebri glandulis minor ſuccedit ſecretio, aut particulæ quædam opii reſinoſæ ſubtiliores cum ſpiritibus ſeu liquore ſpirituoſo tranſcolantur volatilitatem illorum perimentes, ſolitumque materiæ æthereæ in ipſos ingreſſum denegantes, ex quibus certè inordinatio, ſi quæ ſit, & vehemens motus ceſſare protinùs debet, & minùs agitatis ſpiritibus, atque ſanguine cerebri corticem aggravante torpor, ſopor, & inſenſibilitas variis corporis partibus induci.

In ſpiritus quoque immediatiùs agere poteſt opii narcoticum ſulphur, cùm nondum ex ventriculi cavo egreſſum, ut ita dicam, ſomnum & ſtupiditatem inducat; hoc autem non niſi per nervos ſtomachicos, qui plures ſunt & inſignes, præſtare valet, quorum dum penetrat ſubſtantiam calore ſolutum, ſpiritus ibidem contentos & qui ſucceſſivè à cerebro fluunt ligat, aut vanas gaſtricas ſubiens, non ſecùs ac tenuiores alimentorum aut cardiacorum ſumptorum particulæ ſubitam ab illorum aſſumptione reſtaurationem efficientes, ad cor, & hinc ad cerebrum fatis promptè appellit; ubi quia in tenui ſanguinis parte ſolutum eſt, quæ in ſpiritus animales faceſſere debet, aut ejus ſecretionem retardat & impedit, ut jam dictum eſt, aut cum ipſa in tubulos nerveos pergit, undè torpidi minuſque agiles evadunt ſpiritus animales.

Corticis Peruviani pulverem in liquore idoneo, aut eumdem ſumptum in ſubſtantia ſeu forma ſolida, non infimæ poſt evacuantium uſum virtutis eſſe ad vomitum compeſcendum praxis medica docet, quod præſtat particulis ſuis terrenis & abſorbentibus, ſicut & alia adſtringentia, aut amaritie & ſtipticitate ſua, qua ſtomachi tonum reſtituere aptus efficitur, tutiùs tamen & utiliùs operatur, ſi cum laudano & confectione hyacinthorum miſceatur, vel ejuſdem extractum cum extracto rhabarbari. Taceo hìc quamplurima alia ſtomachica dicta remedia ventriculo vomenti & fatigato opem ferentia, utpotè quæ paſſim apud practicos omnes reperiri poſſunt.

Inter topica ſeu externa remedia ſola ſunt balnea aut ſemicupia aquæ dulcis, atque etiam fotus abdominis & ſtomachi initio refrigerantes, deindè paululùm adſtringentes, quæ incurando vomitu, aut ſaltem ad curationem diſponendo in uſum venire poſſint; balnea tamen ſupponunt febris abſentiam & vires ægrotantis ipſis ferendis non impares.

Denique ſi vomitus ab aſſumpto toxico aut mochlico remedio originem trahat, ei oleoſis, pinguibus, lacteis, aqueis, di-

luentibus, gelatinis, juſculis conſummatis, poſt vomitoriorum uſum ſuccurrendum eſt; deindè cardiacis & ſtomachicis: ſi ab obſtructionibus, aperientibus & chalybeatis, ſi ab aliis morbis ſuprà commemoratis, per remedia, ut antè innuimus, ipſis accommodata, quæ proponere hujus loci non eſt.

NOTA.

Hic circa Vomitum ejuſque curationem nihil addimus; quippe *Clariſſ. Auctor in iis eſt abundans*, & præterea in eodem prope argumento quædam videri poſſunt capitibus de Vomitu Sanguinis, & Cholera morbo.

CAPUT VIII.

De Vomitu ſanguinis.

Quid ſit vomitus ſanguinis ex ipſo nomine patet, quo verò modo excitetur, ex iis quæ in præcedenti capite dicta ſunt, ſatis ſuperque colligitur; cruor enim, dum ſemel in ſtomachi capacitatem effuſus eſt, putreſcit, aut acrimoniam acquirit; undè & ſtimulandæ interiori ventriculi nerveæ tunicæ, & inordinationi ſpiritibus conciliandæ idoneus efficitur.

Quoad ejus cauſas, non aliæ hìc afferendæ veniunt, quàm quæ rixim, anaſtomoſim, aut diabroſim vaſis ſanguineis per ejus ſubſtantiam, præſertim internam, diſperſis creare poſſunt, hoc eſt extrema dictorum vaſorum aperire, aut eorum tunicas rumpere, dilacerare, & erodere; diapedeſis enim ſeu ſanguinis etiamſi tenuioris per membranas venarum aut arteriarum tranſudatio, quidquid Antiqui reclament, concipi non poteſt, & fruſtrà vaſa illa ab auctore naturæ conſtructa cenſerentur, ſi per eorum poros contentus liquor tranſmeare potuiſſet.

Sanguis quantitate peccans, aut idem in ſuis canalibus plus æquo bulliens & fermenteſcens vaſa rumpere, aut eorum ora extrema dilatare & aperire potis eſt; vel idem diſſolutus admodùm & attritus de facili ab extremis & capillaribus arteriis elabitur & excidit, minùs deindè per venas revehendus; quare plethorici & habitu athletico donati, item & qui victu euchymo & copioſo utuntur, aut eodem ſpirituoſo & calido tali vaſorum ruptioni atque dilatationi, ſive in ſtomacho, ſive in aliis partibus præ aliis obnoxii ſunt; cùm enim diſtentis vaſis ſanguiferis, ſive à cruoris redundante copia, ſive ab ejuſdem aucto incendio & fermentatione, non poſſit ille continuo cordis motu propulſus libere circuitum ſuum peragere, neceſſe eſt ut hìc; aut illìc fractis ſuis parietibus & repagulis erumpat, ac faciliùs quandoque in ſtomacho interiori, ubi vaſa magis laxa & mollia ſunt, utpotè ſemper irrigua, & per plures digeſtiones multoſque ventriculi labores debilitata.

Quod de plethoricis athleticiſque corporibus dictum eſt, dici pariter debet de iis qui febre ardente, maligna, purpurata, peſtilentiali, variolis & morbillis &c. tentantur, aut qui ab aliqua externa & procatartica cauſa, inſolatione putà, exercitio immodico, ſeu corporis ſeu animi, vini, & liquorum ardentium immoderato uſu admodùm excalefacti ſunt &c. in quibus, quia ſanguis eſt valde attritus & attenuatus, aut vehementiùs in vaſis ſuis efferveſcit, non poteſt vel minima data occaſione non effundi, ſive hoc per anaſtomoſim fiat, ſive per rixim, ſic *videbimus* dicti affectibus plurimos laborantes, dictiſque cauſis deditos, hæmorrhagias pati, modò per nares, modò per hæmorrhoides, modò per os &c. ità copioſas ut facilè cohiberi non poſſint.

Suppreſſio menſtruorum aut hæmorrhoidum, quia ſanguinis in corpore redundantiam facit, & in vaſis plethoram, atque etiam retentis in maſſa recrementis, motum ejus atque fermentationem auget, rixim quoque aut anaſtomoſim vaſorum in ſtomacho nonnunquam parit; & inde eſt quod quædam fœminæ reperiantur, in quibus menſtruæ purgationes obturatis uteri viis per

vomi-

vomitum periodicè fiunt, & alii ægrotantes in quibus deficiente hæmorrhoidum ſolito & ordinato fluxu, ſanguis per os, aut nares ſtato tempore rejicitur.

Verùm quæ frequentior mihi videtur & efficacior cauſa ruptionis præſertim venarum (neque enim arteriæ, utpotè duplici eaque denſiori tunica munitæ, rumpi tam facilè poſſunt) aut anaſtomoſeos ſeu dilatationis extremarum & capillarium arteriarum, obſtructio eſt in peculiari aliquo canale quacunque de cauſa ſuborta, tunc ſiquidem retentus à grumo, verbi gratia lympha concreta, lapillo, craſſitie ipſa ſanguinis, contuſione alicujus partis, aut alio quocunque obice, adveniens novus ſanguis, nec ipſe propter obſtans repagulum ulteriùs progredi valens, neceſſariò aut ex extremis exſilit arteriis, aut venas minùs reſiſtentes diffringit; undè ſequitur ſanguinis effuſio atque extra vaſa collectio, plurimarum hæmorrhagiarum, imò & inflammationum parens, ac in ſpecie vomitus ſanguinei, ſi dicta obſtructio in vaſis gaſtricis excitata ſit.

Rixim demùm, externas inter aut evidentes cauſas, in ſanguiferis ſtomachi ductibus creare valent conatus hujus viſceris vehemens in vomendo, ejuſque percuſſio ab extrinſeco, aut inflictum vulnus, item equitatio, ſaltatio crapula ingens, aliaque hujuſmodi, quorum effectus nimiæ ventriculi diſtenſioni, agitationi, attritioni atque dilacerationi & ſolutioni tribuendus eſt.

Non minùs verò frequenter à diabroſi ſeu venarum & arteriarum, quæ ſtomachum perluunt, eroſione & exulceratione procedit vomitus ſanguinis, quàm ab earumdem ſupradicta rixi vel anaſtomoſi, eaque fieri ſolet per illa omnia quæ virtute acri, cauſtica, & corroſiva donata ſunt apta proindè tunicam ſtomachi internam & per ipſam perreptantia vaſa exedere & exulcerare; talia cenſentur purgantia vehementiora, venena hauſta, liquorum acidiorum uſus, pulvis cantharidum aſſumptus, fungi comeſti & alii pravi cibi acredinem & corruptelam venenatam facilè contrahentes, lumbrici mordentes, hyrudo fortè cum aqua fontana aut fluviatili glutita, ut legitur apud Riverium *obſervatione* 26. *centuriæ* 4. humores etiam acres, ſtygii, aut per moram in ſtomacho tales facti, aut à ſanguine ſalibus onuſto ſuppeditati, & in ſtomachum depluentes, non abſimiles iis qui in pulmonem delapſi hæmoptoen pariunt, aut in articulos arthritidem, bilis acrior & ſale magis quàm ſulphure ſaturata, ſuccus pancreaticus acidior, quæ omnia quomodò ſanguinis in ſtomacho congeſtionem efficere poſſint, ipſis lippis & tonſoribus notum eſt.

Nec ullatenùs Antiquis aſſentiendum eſt, qui ſtagnantem in ventriculo ſanguinem à capite, liene, utero, &c. tanquam à partibus mandantibus deducunt; error namque ille ſatis ſuperque concidit per ſolam circularis ſanguinis motus doctrinam, quanquam non negamus eumdem aut ex ore in ſtomachum deſcendere poſſe, ut in puero recens nato, poſt filium ſeu frœnum ſublinguale reſectum, contigiſſe notant Obſervatores, undè vomitus, ſanguineus ſecutus eſt: aut ex gutture, faucibus, & œſophago aſero acriori eroſis atque exeſis, imò ex inteſtinis ſtomacho vicinioribus; atque etiam ex pancreate, atque hepate ulcere laborantibus, ſi nempè per ductum Virſungianum, porum biliarium, aut cholidochum deferri in duodenum poſſit atque hinc in ventriculum exantlari.

Affectus iſte per ſe dignoſcitur, & ab hæmoptoe ſufficienter diſtinguitur, ex eo quòd ſanguis in hac tuſſiendo & expectorando rejiciatur, in illo verò vomendo aut cum ſubverſione ſtomachi. Ejus autem cauſæ ex iis quæ præceſſerunt, vel agrotantis, adſtantiumve relatu utplurimùm manifeſtantur; ſi verbi gratia à veneno ſumpto, purgante mochlico, cibis acrioribus aut calidis, contuſione, vulnere, exercitiis immodicis, equitatione, fermentatione ſanguinis immodica, vermibus, ſuppreſſione menſtruorum aut hæmorrhoidum, catarrho ferino in fauces delabente &c. provenerit. Secùs enim accuſanda erit humo-

humorum acrimonia tunicas & vaſa ventriculi erodens, aut ſanguinis, ſucci pancreatici, aut bilioſi nimia ſalſedo, aut vaſorum ſtomachi ſanguiferorum obſtructio.

Notandum interim ſanguinem per moram diuturnam in ſtomacho & inteſtinis nigredinem contrahere; undè vomitiones nigerrimæ atque etiam dejectiones ſæpè emergunt; quod à mixtione humoris ſalivalis, fermenti ſtomachici, ſucci pancreatici, aut aliorum humorum acidorum cum partibus ſanguinis bilioſis & amaris procedit, pari ratione ac decoctum gallarum cum vitriolo mixtum in atramentum migrat.

Vomitus ſanguinis periculo non caret, atque in hoc præcipuè caſu, ſicut & in ſputo ſanguinis, è pulmonibus per tuſſim rejecto, dicit Hippocrates *Aphor.* 25. *ſect.* 4. *ſanguinem ſupernè efferri malum*, periculum tamen majus dicendum quò majus & notabilius erit vas ruptum, & copioſior ſanguinis rejectio; item ſi arteria potiùs quàm vena rupta ſit, utpotè ſanguinem, magis floridum magiſque vitalem vehementiùs fundens: ſi notabile ſtomacho vulnus inflictum ſit; ſi lipothymia & ſyncope frequenter ægrum infeſtent; minus verò portenditur periculum, dum affectus ex ſuppreſſione menſtruorum aut hæmorrhoidum prodit, dum vas dilaceratum non eſt admodùm inſigne, nec ſanguinis rejecto copioſe, dum ſanguis ex ore, faucibus, œſophago in cavitatem ſtomachi delapſum eſt, aut ex inteſtinis proximis aſſurrexit, vel ex pancreate, &c. niſi aliundè partium cruorem fundentium dilaceratio magna ſit.

Curatur hic affectus per remedia quæ ſanguinem à ventriculo revellunt, & quæ vaſa quoquo modo disfracta conglutinant & conſolidant, quibus ſemper adjungenda ſunt quæ ſanguinis vitium, ſi quod ſit, corrigunt. In prima claſſe reponitur venæ ſectio ex brachiis & pedibus iterum atque iterum, imò & ſæpiùs, ſi expedit, & vires ferant, celebrata; hyrudines ano applicatæ, ſi præſertim hæmorrhoidum ſuppreſſio affectui occaſionem dederit; quæ evacuationes ſanguinis copiam minuendo ipſum in propriis ductibus magis ac magis retinent, & à ſtomacho avocant. In ſecunda verò collocantur adſtringentia omnia, ſtyptica, emplaſtica, glutinoſa, repercutientia, qualia ſunt oxycratum in quo roſæ rubræ infuſæ aut decoctæ ſint, tinctura roſarum rubrarum & corallorum, decoctum gallarum nucum cupreſſi, macorii, balauſtiorum, millefolii, ſymphyti majoris, plantaginis, equiſeti, portulacæ, myrthi, centinodiæ, &c. Aquæ ex iiſdem vegetantibus deſtillatæ, ſucci expreſſi, & præſertim millefolii, plantaginis, cydoniorum, urticæ, atque granatorum; aquæ ſtypticæ à variis Chymicis deſcriptæ ad guttas aliquot in liquore idoneo, ſyrup. myrthinus & de roſis ſiccis, de cydoniis, granat. acidis, corallorum, aut qui ex ſuprà dictis herbis, aut floribus, aut ſuccis magiſtrales parari poſſunt. Conſervæ denique adſtringentes radicum ſymphyt. roſar. rubr. cynorr. coc. corallia, bolus armena, terra ſigillata, ſang. draconis, maſtiches, amylum ſine calce paratum, trochiſci de carabe, acacia, hypocyſtis, ex quibus omnibus julepi, opiatæ, juſcula, miſturæ, pulveres &c. conflari poſſunt, quæ ſemper in parva copia ægrotanti exhibenda ſunt, ne ſtomachus remedii quantitate fatigetur.

Quia verò cruentus vomitus non rarò, ut ſuprà innuimus, à nimia ſanguinis accenſione fovetur, à lumbricis, obſtructionibus, ſuppreſſione menſtruorum aut hæmorrohidum, aliiſque morbis, illi tunc temporis præter jam dicta, per remedia idonea, & iiſdem affectibus à quibus dependent accommodata, & inferiùs, ubi de iiſdem agetur, recenſenda, eſt occurrendum. In humorum verò acrimonia, catharro ferino, &c. aut cùm cibi acriores & currupti, cathartica vehementia, venena aſſumpta, aliaque id genus vomitui ſanguineo ortum dederunt, ad oleoſa, pinguia, lactea, mucilaginoſa, diluentia, imò & vomitoria blanda ex butyro, oleo olivar. aut amygdalarum cum aqua tepida confugere debet Medicus &c. atque etiam ad balnea & refrigerantia, ubi

exca-

excalefactus à quacumque cauſa interna aut externa ſanguis vomitum cruentum inducit.

Narcotica locum habent, dum affectus tenuitati ſanguinis, ejuſque nimiæ fermentationi, aut humorum acrimoniæ ortum ſuum atteſtatur; in quo etiam caſu incraſſantia uſurpari utiliter poſſunt. Camphora & mumia ad ſcrupulum ſemis in liquore adſtringente, teſtantibus Platero & Rondeletio, in hoc affectu plurimùm conferunt, præſertim ubi concreti in ſtomacho ſanguinis ſuſpicio adeſt; alii verò Auctores ad ſedandum vomitum ſanguinis perſeverantem ſicut & omnes alias hæmorrhagias, commendant manuum, pedum, & partium genitalium in aquam frigidam aut oxycratum immerſionem.

Interim clyſterum non negligendus uſus, iique non admodùm acres, ſed leviter purgantes eſſe debent, & ſæpiùs repetendi ſunt, niſi alvus multùm ſimul fluat, ut purgationis loco ſtent, quæ vix adhiberi poteſt, niſi remiſſo admodùm affectu, atque non ex aliis quàm ex iis quæ blandè aut cum aliqua adſtrictione alvum ſubducunt comparanda; cujuſmodi ſunt caſſia, manna, tamarindi, rheum pulveratum, myrobalani citrini, ſyrup. de cich. compoſ. de floribus perſicorum &c. quæ in exigua quantitate aut cum decocto aut aqua adſtringente ægro debent exhiberi, vel in formam boli, facilius ut retineantur.

Lactis uſum ſilicibus præſertim candentibus uſtulati modò à febre aut obſtructionibus & humorum craſſitie affectus non pendeat, poſt aliorum remediorum adminiſtrationem & ſedato vomitu, nullus eſt qui non probet, præſertim ſi dicto affectui ægrotans quoquo modo obnoxius ſit, illeque ſæpiùs recurrat; tale namque remedium omnes adimplet indicationes, refrigerat enim, incraſſat, reficit, humorum acrimoniam demulcet, &c. Sed inter omnes lactis ſpecies vaccinum utpotè ſpiſſioris conſiſtentiæ & velut magis adſtringens omnibus aliis præponi debet, & ſi illud ferre ſtomachus non valeat, tertia aut media parte decocti aut aquæ adſtringentis diluendum eſt, & in minori copia ſumendum.

Si lypothimia, ſyncope, atque virium exolutio affectum iſtum comitetur, ut ſæpè contingit, in primis poſt magnam rejecti ſanguinis copiam remediis ſuprà dictis adſtringentibus cardiaca & vires reficientia admiſcenda ſunt, præcipuè confect. hyacinthorum, alchermes, aqua cinnamomi, pulveres bezoardici &c.

Victus ratio, quæ in hoc affectu præcipuè conſideranda venit, debet eſſe demulcens & incraſſans in tenuitate & acrimonia cauſæ morbificæ, atque in hoc caſu avenata, hordeata, gelatinæ, oryſata, amygdalata, carnes juniorum animalium, omniaque viſcoſa & glutinoſa edulia plurimùm conveniunt. In humorum incendio & nimia fermentatione debet eſſe refrigerans & acidiuſcula; in habitu euſarco & plethorico debet eſſe tenuis & parca; in obſtructionibus aperiens, &c. ſemper verò in omni occaſione plùs minùs adſtringens, ut ſtomachi vulnus, quod maximè urget, citiùs coaleſcat, vitando cane pejus & angue ſalſa omnia, acria, piperata, amara, & nimis detergentia, uno verbo quæcunque ſolutam ventriculi unitatem refricare poſſunt, novamque ſanguinis effuſionem inducere. Præterea modicum admodùm, euchymum ſeu facilis coctionis, & ſæpiùs repetitum alimentum ſumere ægrotans debet; inter fructus cydonia condita aut cocta, malus punica, ceraſa acidiuſcula, gloſſulariæ & berberis fructus, imò & pulpa ſorborum atque meſpillorum, parca tamen quantitate ſumpta, locum habere poſſunt. Somnus ſit moderatus, aer temperatus, potus exiguus, & ex decocto aliquo adſtringente, cum ſucco cydoniorum aut granatorum, alvus ſit libera, exercitia & animi pathemata fugiantur.

Exteriùs & ſupra ſtomachi regionem applicari ſolent fotus ex oxycrato aut decocto adſtringente, cruſta panis in aceto roſaceo macerata, fermentum acre aceto acerrimo & ſucco aliquo adſtringente im-

butum, placenta roſacea in decocto gallarum, balauſtiorum, aut vino auſtero infuſa, & pulvere quodam adſtringente ſynapiſata, aliaque multa, quæ videri poſſunt apud Auctores, ſed ea exiguæ admodùm ſunt energiæ, & plùs imponunt quàm præſtant.

NOTA.

IN vomitu ſanguinis ſpecificè proſunt ſucci urticæ, portulacæ, plantaginis, imò reſpectu urticæ ejuſdem radix decocta, vel tantùm infuſa. Magnæ item eſt efficaciæ ſyrupus è ſucco plantagin., & radice ſymphyti majoris paratus, necnon aqua urticæ majoris pauco ſpiritu vitrioli acidulata. Hiſce omnibus adde quæ capite de Cholera inter ſpecifica adducuntur, uno tantùm excepto, quòd ſcilicet in vomitu ſanguinis minùs conveniat materiarum alcalicarum inibi propoſitarum ex ſpir. ſal. armoniaci impræ-gnatio. Verùm aliis omnibus palmam facilè præripit, radix illa Americana *Ypecacuanha* dicta, quæ mirò ſane effectu, dum vomitus etiam ciet, ſanguinem eadem via erumpentem non minus interea comprimit.

CAPUT IX.

De Cholera morbo.

MOrbus hic, qui à cholera ejus frequentiſſima cauſa nomen ſortitus eſt ſeu bile, quæ Græcis χολὴ dicitur, eſt aſſidua, copioſa, & violenta bilioſorum, acrium, aut corruptorum humorum per vomitum ſimul & ſeceſſum excretio, cum vehementi totius corporis perturbatione, præcordiorumque & partium vitalium anguſtia.

Ejus duplicem ſtatuunt ſpeciem Auctores cum Hippocrate, aliam quæ humida vocatur, & quæ jam deſcripta eſt; alteram, quæ ſicca dicitur, ex eò quòd non humores, ſed halitus atque flatus acres & mordaces per os ſimul & alvum copioſiùs & plerumque cum inflatione & ſtrepitu erumpant, atque etiam ventris & lumborum ac laterum dolore.

De cholera flatulenta & ſicca non eſt hìc ut pluribus agamus; nam præterquamquod rara eſt & minùs periculoſa, non tam ſedulam proindè Medici operam requirens, ad colicum dolorem qui à flatibus excitatur, aut affectionem hypochondriacam ita accedit, ut ab his affectibus inferiùs deſcribendis differre parùm videatur, quippè quæ & eaſdem agnoſcat cauſas, & eadem requirat remedia. Dicemus tantùm hìc per tranſennam flatus illos, qui in cholera ſicca rejiciuntur, ex duplici fonte derivari poſſe, cibis ſcilicet crudis, pravis, flatuoſis, copioſiùs aſſumptis, aut iiſdem, ſi eupepta ſint, ob fermenti ſtomachici, bilis, ſucci pancreatici, aut aliud primarum viarum vitium malè ſubactis atque fermentatis; vel, ut Hermeticis & Sylvio placet, ex contrariis & heterogeneæ indolis humoribus, bile putà magis lixivioſa, & ſucco pancreatico acidiori, aliiſque ſimilibus in ſtomacho & duodeno ſibi mutuò occurrentibus & intensè efferveſcentibus, ex quibus non niſi copioſi flatus & halitus ut in liquorum Chymicorum mixtione accidit, elevari poſſunt.

Cholera autem humida, quanquam morbus per ſe ut plurimùm ſit, ex ſolo ventriculi & duodeni vitio pendens, humorumque bilioſorum aut bilis naturam redolentium his partibus copioſiùs affuſorum; alterius tamen morbi quandoque effectus & ſymptoma eſt; ſic videmus plerumque febribus variis atque infimi ventris inflammationibus choleram ſuccedere, quia per tales affectus magnus fit humoris bilioſi acrioris in corpore & primis viis proventus, cujus vis in vomitu atque ſeceſſu inducendo ipſis Medicinæ tyronibus non eſt incognita.

De ſede hujus affectus, quanquam controverſia ſit apud Auctores, quorum alii ventriculum, alii inteſtina præcipuè ac primariò affici aſſerunt; ea tamen facilè dirimi poteſt, dicendo choleram in ſtomacho ſimul & duodeno potiſſimùm & ferè æqualiter reſidere; cùm enim ejus natura conſiſtat in bilioſorum, acrium

acrium & pravorum corruptorumve humorum, tam per inferiores, quàm per ſuperiores vias excretione, ut ſuprà dictum eſt, & hujuſmodi humores in his potiſſimùm partibus redundare æquè & accumulari ſoleant, ſive illi ex ingeſtis proveniant, ſive ex extremis arteriis, ſive ex poris biliario & cholidocho, utramque partem in vitio eſſe cenſendum eſt: ut enim vomitus ad ſtomachum, ſic feceſſus ad inteſtina pertinet, & in hoc caſu ad duodenum, quia hìc primo humores peccantes vim ſuam exerunt.

Cauſæ choleram morbum producentes vel ab intrinſeco veniunt, vel ab extrinſeco: ab intrinſeco accuſandus eſt humor bilioſus & copia & acredine admodùm exaltatus, & in ſtomachum & inteſtina per vias jamjam dictas delatus, qui quantùm ſulphure ſuo cum ſale combinato contractivum & ſpaſmodi cum, tam in ventriculo, quàm in duodeno, aliiſque finitimis inteſtinis motum excitare idoneus ſit, ex iis quæ de Vomitu diximus facilè colligitur; humor verò acidus merè aut ſalſus, quidquid dicant Auctores varii, talem affectum ex ſe invehere minimè poteſt, utpotè qui eam non habet diathèſim, quæ ad inordinandos explodendoſque ſpiritus animales requiritur, imò potiùs contrariam; acida namque & ſalſa emeticorum & purgantium vim multum infringunt. Dixi humores ſalſos acidoſque per ſe choleram inducere non poſſe, per accidens enim id præſtare poſſunt, ſi cum aliis humoribus, præſertim contrariæ indolis & configurationis, miſceantur, qua ratione ſuccus pancreaticus, ſi fluorem ſolito majorem paſſus ſit, & bili præter modum alchalinæ aliundè fluenti obveniat, propter excitatam indè tumultuoſam effervescentiam, & ſulphuris cum ſale cominationem vomitum ſimul ac feceſſum excitat.

Si quæratur undè tanta bilis copia originem ducat, quanta in hoc morbo vomitu atque feceſſu rejicitur? Reſpondere eſt, primò bilem illam meram non eſſe, ſed multo ſero aliiſque humoribus in primis viis reſtagnantibus, & ex arteriis ob violentos ſtomachi motus atque irritationes velut emulctis, ut in hypercatharſi accidit, dilutam, aut aſſumpto potui, juſculis, aut aliis, quibus colerem proprium & acredinem conciliat, mixtam. Secundò bilem eamdem in ſanguine exaltatam & redundantem, ſeu propter obſtructum hepar, quod ejus colatorium eſt; ſeu propter bilioſum temperamentum, ſeu propter immodicam humorum fermentationem & motum, ſeu propter maximam maſſæ ſanguinæ excalefactionem à vigiliis, exercitiis, vini generoſi & aliquorum ardentium potu, inſolatione, ira, ciborum acrium & calidorum uſu, &c. in ſtomachum & inteſtina depluere per extrema arteriarum his partibus proſpicientium orificia, ut ſuprà inculcavimus, quæ multa eſſe debuerunt, cùm alvus & primæ viæ ſentina totius corporis facta ſint, ac proindè magnam humorum copiam data occaſione fundentia.

Ex alio etiam fonte peti poteſt luxurians in primis viis & choleram generans bilis quantitas, ſcilicet ex veſicula fellea & poro biliario, ubi, ſi quacunque de cauſa diù retenta fuerit per conſequens acrior & copioſior facta, reſeratis deindè eam deferentibus ductibus, in duodenum affatim irruit, & hinc partim in ſtomachum aſſurgens, partim per alvum deturbata conſtrictivos & expulſivos ubique motus ciet.

Cauſæ choleram ab extrinſeco parientes ſunt cibi omnes pravi, dyſpepti, crudi, & corruptibiles, ut ſunt cepæ, allia, braſſicæ, melones, cucumeres, fungi, nuces, avellanæ, ficus, mala perſica, fructus immaturi, vinum vappidum, dulce, immaturum, aut immoderatè ſumptum, carnes porcinæ &c. quæ omnia in ſtomacho minùs digeſta atque ſubacta putreſcunt atque corrumpuntur, talique putredine acrimoniam bili, quam vocant in ſubſidium, analogam acquirunt, undè partim in dicto ventriculo reſtitantia, partim in duodenum & inteſtina deſcendentia, irritationes & motus contractivos, eoſque validos utrobique excitant, undè vomitus ſimul & feceſſus ſubſequitur, concurrente præſertim dicto

humo-

humore bilioſo, qui ſemper, tum in veſicula fellea, tum in ſanguine, hepate, & poro biliario continetur, qui à dictis cauſis exaltatus, aut in motum concitus, per irritationes motuſque dictarum partium concuſſivos in illas confertim depluit tragœdiam ab extra inceptam peracturus; ea verò affectum ſuum faciliùs adhuc ſortiuntur æſtate quàm hyeme, ut notat Hippocrates, quia tunc non tam rectè fit alimentorum digeſtio, & bilis illa tempeſtate magis viget atque exaltatur.

Præter jam enarratas choleræ cauſas extrinſecas aſſignantur & aliæ in eodem affectu producendo non minùs efficaces, cibi nimirùm acres & admodùm excalefacientes copioſiùs ingeſti, purgantia vehementiora & venena, aut venenata omnia, quorum vis, in perturbando, pervertendoque ſtomachi & inteſtinorum periſtaltico motu, ex dictis, tum in hoc capite, tum in præcedentibus, argui facilè poteſt.

Affectus hic etiamſi nulla diagnoſi indigeat, utpotè qui ex ſupra allata ejuſdem definitione abundè manifeſtatur, afferenda tamen ſunt eo loci atque explicanda, cùm ut plurimum comitantia aut conſequentia ſymptomata; ac primo ventriculi & inteſtinorum morſus unde eſſe poteſt, niſi à bile acriori humoribuſque erodentibus nerveam harum partium interiorem tunicam lancinantibus. Inflatio & dolores unde oriri poſſunt, niſi à dictorum humorum ferocium & fervidorum ebullitione atque effervescentia membranas diſtendente, atque ex ipſorum aculeis eaſdem irritantibus? Æſtus & ſitis undè, niſi à bilioſo humore aut bilioſum æmulante ſenſum caliditatis atque ſiccitatis ventriculo, œſophago & gutturi inferente? Anxietas & cardialgia, undè niſi à laceſſito ab iiſdem cauſis præter modum ore ſtomachi ſuperiori maximum cum corde, ut alibi innuimus, conſenſum habente? Undè tandem pulſus debilis, ſyncope, extremorum frigiditas, ſudor frigidus, facies hippocratica, aliaque mortis prænuntia, niſi ex languido & fatiſcente cordis motu, tùm per ſpirituum conſequenter ad magnas evacuationes exolutionem; tùm per cardialgiam inſignem ſeu oris ſtomachi irritationem primum hoc vivens in conſenſum trahentem?

Cauſarum verò choleram inferentium diagnoſis ex adſtantibus aut ægris ipſis haberi poteſt, ſi eædem externæ ſint; ſi autem internæ ex humorum vomitu atque ſeceſſu rejectorum qualitate, acrimonia & colore, eorum quæ præceſſerunt & huic morbo occaſionem dederunt ſemper rationem habendo, atque etiam eorum quæ choleræ adjuncta quandoque ſunt; putà temperamenti, febris, inflammationis partium internarum, obſtructionis &c.

Prognoſis hujus morbi ita inſtitui debet, ut non acutus modò, ſed peracutus dicatur, promptam plerumque mortem inferens, ac intra unam aut alteram diem hominem de medio tollens: qui tamen rectum de ipſo omen ferre cupiunt, eam inter ejus ſpecies ſeu potiùs gradus ſtatuere debent differentiam, ut ſi affectus non admodùm gravibus ſtipetur ſymptomatis, ſi ab aſſumptis ſaltem non venenatis procedat, vires quodammodò vigeant, minuſque exaltata in corpore & redundans bilis ſit, minùs de ægri ſalute deſperent; magis verò in omni alio caſu, præſertim ubi graviora adſunt ſymptomata, ſyncope ſcilicèt, convulſio, membrorum ſtupor, extremorum frigiditas, facies livida, pulſus debilis, & virium collapſus &c.

Curatio hujus affectus, ſi à venenis atque venenatis admodùm acribus & corroſivis ingeſtis ortum duxerit, repetenda eſt, ne actum agere videamur, ab iis quæ in curatione præcedentium morborum à ſimili cauſa pendentium dicta ſunt, quibus hìc adjungere placet lixivium ſarmentorum vitis, corrodentium vires plurimum infringens; cùm verò ab aſſumptis pravis, crudis dyſpeptiſque recenſitis cholera morbus procedit, humoreque bilioſo aut occaſionaliter aut per ſe in primas vias copioſiùs irruente, tunc temporis non ſiſtendis, quæ ἄνω & κάτω fiunt, evacuationibus incumbendum

eſt,

eſt, ut faciunt Empyrici & Circumforanei, ne humores peccantes in corpore retenti quidquam adhuc pejus molientur: ſed permittenda eorum ejectio uſque dum eoſdem ſufficienter excluſos videas, imò ipſorum evacuatio per vomitum molienda magis atque juvanda, ut citiùs eliminata cauſa morbifica compeſci vomitus atque ſeceſſus poſſit omniaque indè prodeuntia ſymptomata mitigari.

Hoc præſtare valebunt vomitoria blanda ſæpiùs & copioſiùs aſſumpta, quæ humorum acrimoniam ſimul diluent & demulcebunt; aqua ſcilicet tepida iterum atque iterum bibita, vel ſola, ſi magis diluere animus eſt, vel cum pauco oleo olivarum, amygdalarum dulcium, aut butyro recenti mixta, juſcula mediocriter pinguia magna copia & magno numero hauſta, quibus ex alia parte reſpondere debent clyſteres refrigerantes, pingues, lenientes, aut detergentes, atque etiam refrigerantes ſæpiùs injiciendi humorum ferociam & calorem in inteſtinis ſe exerentem pariter mitigaturi, tales ſunt qui componuntur ex lacte, ſero lactis, decocto inteſtinorum & capitis vervecis, decocto pulli aut carnis vitulinæ, decoct. hordei, acrimon. lactuc. violar. malv. biſmalv. cich. portulac. endiv. furfur. roſar. rubr. flor. nymph. chamon. hyer. flor. cordial. liquir. paſſul. tapſ. barbat. ſem. 4. frigid. major. ſem. lini &c. cum pulpa caſſiæ, electuar. lenit. aliquatenus purgantes eſſe debeant, ut aliquando expedit; atque etiam catholic. duplicat. cum vitellis ovorum, mucilag. ſem. pſyll. & cydonior. in. aqu. roſ. extract. ol. roſac. butyro inſulſo, ol. amygd. dulc. mell. roſac. & ſacch. rubr. aliiſque leniendi, detergendi, & refrigerandi vi pollentibus.

Sed dum hæc celebrantur, videndum nùm venæ ſectio locum habere videatur, ea enim in ipſo morbi inſultu valdè dubia eſt, & laudatur à quibuſdam practicis, ab allis verò rejicitur; quare attendere toto animo Medicus debet ad virium & cordis ſtatum, atque etiam ad ſymptomatum gravitatem & cauſam primariam affectus; ſi enim vigente etiam vomitu, atque ſeceſſu vires ſint ſatis vegetæ, minùs decolor æger; minùs debilis pulſus, aliaque graviſſima ſupradicta ſymptomata abſint, aliundè verò febris quoquo modo appareat & excalefactum aut plethoricum corpus, vel bilis à maſſa ſanguinis eructetur, vena tutò ſecari poteſt in brachio aut pede ſemel aut bis pro Medici judicio; indè namque refrigeratus ſanguis & minorem bilis copiam ſtomacho ſuggerit, & eam ferocientem reprimit atque temperat; minimè verò concidentibus notabiliter ab immani horrendaque humorum evacuatione viribus, & cardialgia, animi deliquio, frigiditate corporis, pulſu debili præſentibus, in quo caſu, etiamſi oppreſſæ tantùm, & non diſſipatæ vires videantur ratione temporis à quo morbus invaſit, exolutæ tamen verè dicendæ ſunt ratione acutiſſimi affectus, qui tàm celeriter, tàm promptè agit, ut una die ſua plerumque percurrat tempora & ſcenam tragicam abſolvat. Satiùs ergo tunc eſt humorum impetum primò cohibere, cordi & ſanguini vigorem conciliare, mox pacatis ſymptomatis & reſtitutis viribus ad venæ ſectionem, ſi neceſſaria videtur, & æger eam ferre poſſit, confugere.

Cùm ſufficienter excluſa videbitur pravorum humorum colluvies, vomitus atque ſeceſſus qui multùm ægrotantem fatigant compeſcendi & ſedandi ſunt; quod fit vel oxycrato per os & anum injecto, vel ſero lactis cum aquis aut ſuccis adſtringentibus exhibito, vel aqua fontana frigidiuſcula & ſucco limonum acidulata, vel julepis & juſculis refrigerantibus acidiuſculis & adſtringendi virtute donatis, aut emulſionibus valdè dilutis; quæ omnia in parva doſi ſumi debent & ſæpiùs repeti ne à ſtomacho nauſeante rejiciantur. Quòd ſi liquida facilè non ferat ſtomachus, ea in formam opiatæ, tab. pulver. boli uſurpari poſſunt, ex rheo pulverato, corallis, margarit. ocul. cancr. raſur. eboris, con. cerv. acacia confect. hyacinth. & alcherm. bolo, terr. ſigillata, ſyrupis & conſervis adſtringentibus, & ut verbo dicam,

cam, ex iis omnibus quæ pro vomitu bilioso & sanguineo superiùs sunt proposita; non neglectis paris virtutis clysteribus, hoc est refrigerantibus, & quodammodò constipantibus, detergentibus, qualia inferiùs describentur, ubi de diarrhœa bilosa.

Narcotica in hoc affectu sedando non infimum quoque locum obtinent, ac præprimis theriaca recens per os assumpta atque etiam in clysteribus dissoluta, quæ narcosim quodammodò inducit, stomachi atque intestinorum tonum in hoc casu deficientem restituit & languidum cordis motum restaurat; opiata etiam omnia medicamenta, & stuporem atque somnum inducentia in præcedentibus enarrata, quæ eodem planè modo hìc usurpari debent.

Notandum tamen remedia hujusmodi summa cum cautione adhibenda esse; dùm enim atritæ sunt valdè vires, & functiones vitales languent, vix præscribi debent, ne ligatis atque irretitis spiritibus animalibus cor penitùs in motu suo deficiat, ut alibi innuimus; vel si ea præscribere necessitas cogat, in minori dosi & cardiacis adjunctæ ægro sunt exhibenda.

Notandum insuper falli interdum Medicum atque adstantes, dum vomitu atque alvi fluxu cohibitis viribus quodammodò redintegratis, cessantibusque symptomatis seu per se, seu per usum remediorum, choleram curatam existimant, & ægrum à periculo liberatum; fit enim nonnunquàm ut post unum atque alterum intermissionis diem, pravis humoribus nondùm penitùs evacuatis, aut iisdem opiatorum usum in corpore retentis, aut de novo congestis, fortior atque vehementior reviviscat morbus, ægrum à priori insultu multùm debilitatum ad exitium præcipitans. Quare non ita hujus affectus ejusque symptomatum intermissioni fidendum est, ut ab omnibus statim abstineatur remediis: Sedato etiam morbo continuari debent ea quæ bilis fervorem demulcent & corrigunt, quæ eamdem à corpore extrudunt & ad inferiora determinant, quæ vires, si fractæ sint, restaurant, & tonum ventriculi primarumque viarum restituunt &c. Venæ sectio verò tunc etiam, ut antè notatum est, convenire poterit, si quoquo modo indicetur modò non admodùm debilis videatur æger, & vires ex se aut cardiacorum ope sint recreatæ.

Quid de cardiacis atque catharticis in hoc affectu sentiendum sit, post alia exposita remedia, jam tempus est ut inquiramus; illa verò, etiamsi bilem magis exaltare & commovere videantur, & præterea humores morbum facientes sufficienter per vias superiores atque inferiores expurgentur; absolutè tamen vitari non possunt, urgens siquidem cardialgia, lypothimia, syncope, debilis & languidus pulsus, reficientia, & stomachum corroborantia indicant; quæ tamen in magna dosi & perperàm sumi non debent nec frequentiùs iterari, ne in scyllam æger incidat, dum animus est eumdem à Charybdi avertere.

Purgantia autem, quæ ad auferendas morbi reliquias recidivæ parentes pariter necessaria sunt, & quæ humores à superioribus nobilioribusque partibus ad inferiores & minùs nobiles deducunt, non nisi, remisso vomitu atque alvi fluxu sunt imperanda; eaque non vehementia, sed lenia atque benigna, aut quæ purgando simul adstringunt & roborant, sumenda in formam pulveris, tabellæ, aut boli, & opiatis ut dictum est, ubi de Vomitu, vel cardiacis admiscenda, ut faciliùs retinantur minoremque stomacho & intestinus laborem faceſſant.

Verùm dum de cardiacis habetur sermo, sub eorum quoque censu intelligenda veniunt quæ stomacho speciatim dicata stomachica à practicis nominantur, in præcedentibus capitibus iterum atque iterum decantata, quæ per morbi decursum identidem usurpari summo cum fructu possunt, ipsoque curato repeti ad primarum viarum restitutionem. Inter illa verò commendatur potissimùm, expurgato quantùm expedit corpore, corticis Peruviani pulvis cum granis aliquot laudani,

ni, cujus dragma una in formam boli cum pauca conſerva roſar. rubr. cynorrhod. aut mivæ cydoniorum in unam aut duas doſes mirum in modum furentem hunc affectum compeſcit; quod etiam præſtare valet infuſus in decoct. cichorr. verbi gratia, lactuc. portul. aliove conveniente liquore refrigerante aut leviter adſtringente.

Acidularum mineralium aquarum & balnei uſus, quia in tam veloci affectu præſcribi minimè poteſt, non niſi ad curationem quam prophylacticam vocant, commendatur, & ad præcavendam novam bilioſi humoris exſuperantiam, aut ipſius impendentem effectum avertendum.

NOTA.

IN Cholera morbo, præprimis poſt venæ ſectionem commendat Clar. Sydenhem copioſiorem potum juſculi tenuiſſimi pullorum gallinaceorum juniorum ſyrupo nymphææ admiſto, ejuſdemque etiam medicamenti frequentiorem per inferiora injectionem; ſic enim retunditur ac diluitur acrimonia humorum turbas haſce cientium, quo faciliùs poſtea ſpecificis prorſus ſiſti valent. Inter ſpecifica ſanè ſint Cryſtallus præparatus, bezoardicique pulveres prope omnes, oculi cancri, corallia, margaritæ, bezoardicum minerale & animale, ſmaragdi, terra ſigillata, ſanguis draconis, bolus armena: Hæcque omnia eò magis fructuoſa fient ſi priùs ſpiritu ſal. armoniaci volatili imprægnata, deſiccata poſtea fuerint. Non inutiles etiam ſunt largæ abbominis unctiones ex oleis chamæmelino, liliorum alborum; imò balſamo noſtro viridi ex infuſo variarum plantarum aromaticarum in oleo olivarum parato; ſuperinducto omento vervecino. Item fotus ex plantis emollientibus & aromaticis lacti incoctis; illitis præterea ventriculi regioni theriaca, ut & diaſcordio, balſamo de Mecha aut Peruviano, ac oleo nucis moſchatæ expreſſo admiſtis.

CAPUT X.

De Dolore Ventriculi.

DOlorem ſtomachi non eſt ut pluribus proſequamur, qui in ſequentibus dolorem colicum ad inteſtina ſpectantem & huic affectui valdè affinem ex profeſſo ſumus tractaturi; attamen ut cauſæ illius peculiares & ſigna diſtinctiva innoteſcant, pauca hìc de eo libet ſubjungere.

Prætermiſſa ergo hujus morbi definitione, quæ ejuſdem nomine clarior practicis eſſe non poteſt, innuendum ſtatim exiſtimo exquiſitum ventriculi ſenſum in interna potiſſimùm ejuſque nervea dicta membrana reſidere, quæ ideò glandulis villiſque ſuperſtratis velamentum bombycinum dictum conſtituentibus obſita eſt, ne ab impinguentibus durioribus atque ſolidioribus ingeſtis ſtatim irritetur; quanquam non negandum eſt alias membranas, mediam nempè atque externam ſentiendi etiam facultate donari. Illa verò totius ſtomachi ſentiendi poteſtas ab octavo nervorum pari, vago apud Neotericos nuncupato conſpicuis pluribuſque ramis in orificium ejus ſuperiùs, mox in univerſam ejuſdem ſubſtantiam ſe diffundente, atque etiam à lienari ſive ſtomachico dicto nerveo plexu ſpiritum animalem præcipuum motus atque ſenſus inſtrumentum deferentibus pendet: Atque hinc eſt quod magis in œſophagi fundo ſeu ore ſtomachi ſuperiori ſe manifeſtet; ubi, ſi irritatio quædam fiat, acutior, ob plùres inſignioreſque nervos quàm in aliis quibuſcunque hujus viſceris partibus, dolor excitetur, cui etiam cor ipſum compatitur ob nervorum commercium, quod anſam Auctoribus dedit dolorem illum cardialagiam & Græcis καρδιόγμον vocandi, & orificium illud καρδίαν. Dolor autem qui in aliis ventriculi locis quacunque de cauſa ſuboritur, niſi eadem fortis & vehemens admodùm ſit, obtuſior longè & minùs acutus eſt, tùm ob dictorum nervorum laxitatem, minorem copiam, eorumdemque exilitatem, tùm etiam

ob

ob mucum villoſque & glandulas exiguas quibus in tota ſua cavitate munitur, taliſque affectus dolor ſimpliciter, ſeu colica ſtomachi nuncupatur.

Dolor ille, de quo hìc præcipuè agimus, & qui perceptio animæ eſt ſeu ſenſatio, à nervorum huic parti proſpicientium concuſſione, ſpirituumque contentorum motu & reflexu ad cerebrum propagato pendens, ubicunque excitetur, pro cauſa immediata agnoſcit continui ſolutionem, ſicut & alii omnes qui corpus torquent dolores; undè quæcunque ſeu mordendo, ſeu pungendo, & dilacerando, ſeu etiam diſtendendo, ventriculi & membranarum ipſius continuitatem ſolvere apta nata ſunt, ſive ſenſibiliter id fiat, ſive inſenſibiliter, hoc eſt obſcurè aut conſpicuè, ſive ab intrinſeco, ſive ab extrinſeco, pro cauſis doloris, ſeu colicæ ſtomachi mediatis habenda ſunt.

Inter illa ſe ſe offerunt, primò humores nimium acres, ſalſi, acidi, mordaces, putridi, atque corrupti, iique aut in ejus cavo, aut in ejus ſubſtantia & inter ejuſdem tunicas congeſti, qui quantùm acutie ſua ventriculum componentes membranas erodere, irritare, & ſolvere valeant, ex ſe ſatis manifeſtum eſt, atque ex ſuprà dictis patet. Illi autem, ſi origo quærenda eſt, vel à ſanguine, vel à pancreate, aut hepate ejuſque cyſtide petendi ſunt, eo modo quo dictum eſt ubi de Vomitu; cum eo tamen diſcrimine, ut in iſto affectu, dum ſcilicet vomitu non eſt ſtipatus, dicti humores ſeu bilioſi ſint, ſeu pituitoſi; ſeroſi, atque lymphatici ſale copioſo ſulphur obſcurant abundent, ac conſequenter, irritationis quidem atque doloris excitandorum capaces ſint, minimè autem ſpaſmodici, & exploſivi ſpirituum motus ad vomitum perficiendum planè neceſſarii.

Præter jam dictos humores veniunt etiam & halitus acres atque mordaces, ſeu ex pravis corruptis & malè digeſtis cibis exhalantes & ventriculi tunicas ſtimulantes, ſeu ex variis humoribus in primis viis efferveſcentibus erumpentes; flatus ex ingeſtis crudis & dyſpeptis elevati, eaſdemque tunicas diſtendentes, cibi pravi, corrupti, acres, item & qui difficilis ſunt digeſtionis & ſtomachum gravant, aut nimia quantitate ſumuntur, medicamenta acriora & deleteria facultate prædita, venena, &c. Quæ omnia propter acrimoniam quam à ſe habent, aut quam corruptela ſua aut prava coctione nanciſcuntur, ſolvendæ ventriculi unitati idonea ſunt. Quibus doloris ſtomachi cauſis adjungi inſuper debent lumbrici tunicam ejus interiorem mordentes ac plerumque perforantes; & inter extraordinaria & infrequentia lapides, lignum aut alia quæ toto genere præter naturam ſunt fortuito caſu in ſtomachum ingeſta, ipſumque gravantia & fatigantia.

Morbi quoque ipſius ventriculi aut partium vicinarum hunc dolorem parere conſueverunt, inflammatio ſcilicèt, skirrus, vulnus, ulcus, &c. quæ vel ſtomachum comprimunt, vel ipſum diſtendunt, vel ichores acres & purulentos in ipſum effundunt, undè dolor facilè deduci poteſt.

Dignoſcitur dolor ſtomachi ex ſe ipſo, modò partis affectæ ſedes non ignoretur, admotum namque & comprimentem digitum ſub cartilagine xiphoice aut paulò inferiùs ægrè ferunt qui eo tentantur: Prætereà adſunt ructus plerumque, vomendi deſideria, inquietudines, lipothymiæ, &c. ſtomachi inflatio, *genere* extinſecùs apparens, gravitatis ſenſus, appetentia dejecta, cruditas &c. Quod ſi dolor ſublimiorem ſedem obtinuerit, ſi acerbior ſit, ſi anxietates, jactationes, & lipothymias graviores inferat, indicio eſt effectum eſſe ſuperiùs ventriculi orificium, ſecùs verò alias ejuſdem partes.

Non majori multò negotio dignoſcuntur cauſæ hunc affectum inducere ſolitæ; lumbrici namque & partium vicinarum morbi per propria ſigna inferiùs, ubi de iiſdem agetur, afferenda, ſe manifeſtabunt; cibi pravi, acres, remedia vehementia, toxica, aut alia quæcunque aſſumpta hunc affectum parientia ex relatu ægri & adſtantium nota fient: flatus atque halitus ex ructibus, borborygmis,

ten-

tenſione & inflatione ſtomachi, crepitibus ventris &c. apparebunt : humorum denique acrimonia, ſive ex maſſa ſanguinis prodiens, ſive ex partibus ſtomacho vicinis, ex aliarum cauſarum abſentia innoteſcet, atque etiam ex excretis, præſertim ſi bilis acrior, æruginoſa, flava, &c. affectui occaſionem dederit, aut humor ſeroſus lymphaticus, atque pituitoſus dictus.

Ventriculi dolor ex ſe ut plurimùm periculoſus non eſt, quandoque tamen, dum nempè orificium ſuperiùs afficitur, & ſymptomata gravia ſubſequuntur, aut dum inflamationis ſtomachi & partium vicinarum ſymptoma eſt, periculum non leve involvit, ſicut & quandò febribus acutis aut malignis conjunctus eſt : quare Hippocrates *Aphor. 65. ſect. 4.* ſic ait : *In febribus circà ventriculum vehemens æſtus & cardiogmos malum*. Mali quoque omnis eſſe ſolet, dum major eſt cauſæ gravitas atque vehementia ; ſic qui à ferocibus admodùm humoribus pendet, aut à veneno aſſumpto ; aut à pravis & toto genere præter naturam ingeſtis, niſi promptè rejiciantur, aut à lumbricis ſtomachum terebrantibus, vulnere inflicto &c. periculum majus portendit, quam qui à flatibus, cibis malè ſubactis, crudis, copioſis, bilioſo humore, aut aliis levioribus cauſis procedit.

Curatio etiamſi varia huic affectui debeatur, prout à variis cauſis originem ducit, eam tamen hìc ſilentio prætermittendam cenſeo, utpotè quæ in prioribus capitibus tota ferè continentur aut inferiùs tradi debet ; nam bilioſus humor, calidus, acris, ſalſus, acridus in ſtomacho congeſtus ſufficienter expugnabitur evacuabiturque remediis ibi fusè expoſitis. Flatus & halitus atque etiam lumbrici domabuntur medicamentis ante hac relatis, aut inferius recenſendis, ubi de colico dolore & de lumbricis agetur. Aliæ denique omnes cauſæ ſeu pravi cibi, acres, ſeu venena, ſeu ſtomachi & partium adjacentium phlogoſis, skirrhus, ulcus, per remedia illis convenientia, & in præcedentibus enarrata, aut in ſequentibus afferenda ſatis evincentur; uno verbo nullus eſt ante tractatus, affectus è cujus therapeia aliquid ad iſtius curationem conferens deſum non poſſit, & plures deinceps tractabuntur, è quorum curatione, quæ ad dolorem ſtomachi compeſcendum requiritur, facilè colligi poterit.

CAPUT XI.

De Inflammatione ſtomachi, ejuſque abſceſſu & ulcere.

INflammari poteſt ventriculus, ſicut & multæ aliæ corporis partes, quod accidit dum ſanguis per arterias, quibus perluitur, apertas, exeſas, aut ruptas in ejus ſubſtantiam & membranas effunditur & extravaſatur, ubi tumorem, dolorem, calorem, cum febre præcedente aut conmitante aliiſque ſymptomatis infrà recenſendis efficit.

Talis verò ſanguis nonnunquàm fervens priùs & calidus in ventriculi ſubſtantiam irruit, cùm ſcilicèt præcedens febris & humorum in vaſis efferveſcentia quacunque de cauſa excitata ſanguinem, qui in propriis vaſis contineri præ turgeſcentia nequit, in dictam partem effundit & amandat : vel idem temperatus & naturæ modum non excedens, ob impeditum ab arteriis in venas progreſſum apertaque inde aut rupta vaſa, in ſtomachi membranas decumbit, ubi deindè per moram putreſcit & frementationem corruptricem ſubit, undè calor igneus parti affectæ conciliatur : atque toti maſſæ ſanguineæ in vaſis proximis circulanti, & corpuſcula quædam ſeu miaſmata ab inflammata parte ſecum ſucceſſivè rapienti, quæ, utpotè heterogenea & particulis ſanguinis minùs accommodata, fermentativum præter naturam & febrilem ipſis motum inducit. Quapropter iis minimè credendum eſt, qui in omni inflammatione febrem primariam & eſſentialem exiſtimant, ſicut nec aliis, qui eam ſemper ſecundariam ſtatuunt & ſymptomaticam, cùm ratio & experientia ipſam utroque modo accidere poſſe teſtetur.

Nec

Nec hìc loci videtur agitanda quæſtio cum veteribus Medicis, utrum ſanguis ille ſincerus ſit ut inflammationem phlegmonodem pariat; an cum bile, pituita, aut melancholia mixtus ut phlegmonem eryſipelatoſum, œdematoſum, & skirrhoſum excitet, tales namque diſquiſitiones varios & diſtinctos, in vaſi humores ſupponunt, & aliundè inutiles ſatis videntur: quare ſufficiet nobis ad inflammationis naturam eruendam innuere, quod ſanguis phlogoſim efficiens, fervidus potiſſimùm eſt, & principiis activis magis quàm paſſivis abundans; neque enim phlegma aut terra ſeu fæx ſanguinis, ut Veteres ſomniarunt, quidquam ex ſe ad inflammationem facere videtur, quanquam ſanguis ipſe phlogoſim pariens vario temperamento ſeu principiorum ſuorum mixtione donari poſſit, & reipſa donetur.

Cauſæ tàm externæ quàm internæ effectum hunc producentes, ſeu quærixim vaſorum ſanguineorum in ſtomacho, vel anaſtomoſim, undè ſanguinis effuſio in ejuſdem ſubſtantiam ſequitur, efficere conſueverunt eædem omninò ſunt, quæ vomitus ſanguinei, ac proindè ex capite; ubi de illo actum eſt, repetendæ ſunt.

Signa inflammationis ſtomachi diagnoſtica ſunt ingens dolor cum ardore, punctione, diſtenſione, atque pulſatione conjunctus, qui ex tunicarum ventriculi ſolutione, earumdem ab extravaſato & fervido ſanguine diſtenſione, atque arteriarum viſcus illud perreptantium ob interpoſitum obicem ſanguinis curſum præpedientem majori diaſtole pendet.

Præterea tumor adeſt in eadem parte, ſi non viſu, ſaltem tactu conſpicuus, qui ſi admota manu paululùm prematur, ægrum ad clamores & queſtus incitat; adeſt quoque reſpiratio difficilis ob deſcenſum diaphragmatis & hepatis illi appenſi ſtomachum in inſpiratione comprimentium: ſitis intenſa, linguæ ſiccitas, glutitio laborioſa, ob fauces & guttur & œſophagum ab halitibus admodùm calidis & acribus exſiccata & corrugata, lipothymia quandoque, dum phlogoſis ad os ventriculi ſuperius extenditur, propter commercium nervorum cum corde; febris vehemens ob ſuprà dictas rationes, & interdum lypiria, dum ſcilicet inflammatio intenſa eſt, qui à calore ſeu potiùs fervore centrum corporis occupante adeò rarefiunt humores in magnis vaſis, ut ad extrema capillaria ſuperficiem ejuſdem corporis perreptantia non ita facilè aut minori copia deferantur; undè dum interna uti videntur, exteriora rigent; vel quia cor à ventriculo affecto trahitur in conſenſum, minuſque vegetè ſyſtolem ſuam peragens ſanguinem caloris tàm innati quàm influentis ſedem & ſubjectum minùs ad corporis extrema propellit; & indè eſt quod pulſus minutus potiùs & obſcurus, quàm magnus & plenus in hoc affectu aliiſque internis inflammationibus plerumque appareat.

Sed quod hujuſce phlogoſeos certiorem adhuc facit diagnoſim, labor eſt ſtomachi & anxietates à ſumpto alimento etiam liquido, quia adolens hoc viſcus vix minimum onus ferre poteſt. Præterea calidum admodùm ſumptum juſculum vix tale à ſtomacho perſentitur, quia ipſe magis fervet, ne quid dicam de vomitu ſubcruento hunc affectum quandoque ſubſequente aut præcedente, cùm ſcilicet ſanguis extravaſatus internam permeat ventriculi membranam.

Cave tamen ne hepatitidem ſeu hepatis ſtomacho incumbentis inflammationem cum dicto affectu confundas, potiſſimùm cùm ejus concava pars laborat; ſed partium figura & ſitus, ſymptomatum ſævitia, quæ ſtomacho affecto major eſt, & inferiùs recenſenda hepatitidis propria ſigna hos affectus ab invicem ſatis diſtinguent, qui tamen complicari & conjungi ob partium dictarum viciniam & contiguitatem facilè poſſunt.

Periculi plenam; imò & funeſtam eſſe ventriculi inflammationem, ſaltem notabilem, quiſque fatebitur, qui ad partis affectæ ſitum, ſtructuram, officium, & commercium attendere voluerit, atque ad

ſym-

ſymptomatum, quibus ſtipatur, vehementiam; talis namque phlogoſis facilè hepati, diaphragmati, & cordia &c. utpotè vicinis communicari poteſt, præſertim dum illa ad ſuperiùs ſtomachi orificium propagatur, quo tempore animi deliquia atque ſyncopes contingunt. A membranis inſuper, quibus ventriculus componitur, utpotè exquiſito ſenſu nerviſque inſignioribus donatis vitium in cerebrum quandoque transfertur; & ſi functionis hujus viſceris ratio habenda ſit, quæ officialis eſt & toti corpori proſpiciens, quid aliud eo inflammato augurari poteſt prudens Medicus, quàm impendens aut non valdè remotum exitium ex defraudato alimentis toto corpore; ipſiſque non ſolùm malè ſubactis, ſed corruptis & putreſcentibus petendum, periculoſior tamen aut minùs periculoſus reputandus eſt hic affectus, dùm univerſam ſtomachi ſubſtantiam occupat, ejuſque partem nobiliorem, aut ſolam aliquam & minùs nobilem regionem, dum ſanguis phlogoſim faciens fervidior eſt & copioſior, aut minùs fervens minuſque copioſus; dùm denique graviora, aut minùs gravia infert ſymptomata.

Stomachi inflammationis curatio, ut & omnium aliarum, inchoanda eſt à venæ ſectionibus ſtatim & à primo, ſi fieri poteſt, morbi inſultu celebratis, & iterum atque iterum tum in brachiis, tum in pedibus, quantùm ſcilicet vires ægri, ætas, regio, temparamentum &c. ferre poſſunt repetendis; ita ut in robuſto, juvenili, & ſanguineo corpore, & in aliis eadem proportione, ad decem aut duodecim phlebotomias parcas aut largas una, duabus, aut pluribus diebus pro neceſſitate inſtitutas progredi non pudeat: hac enim via, ſi qua alia fiens morbus efficaciter reprimitur, & cauſa inflammationis antecedens, ſeu ſanguis qui præſto eſt è vaſis gaſtricis exilire ad incipientem phlogoſim aut fovendam aut ampliandam, à parte affecta revellitur.

Notandum tamen in hac & quacunque alia inflammatione; quod quantò magis progreſſus videtur affectus, & facta, ut ajunt, fluxio, tantò minùs neceſſarius ſit venæ ſectionum repetitus ſaltem numerus, niſi eadem fluxio renovari identidem videatur: præterquam enim quod vires in hoc caſu ſunt ſemper magis attritæ, tùm per morbum ipſum, tùm per alimenti tenuitatem, tum per ſanguinis evacuationes præcedentes, phlebotomia tunc temporis minùs revellere poteſt, aut in vaſa reducere quod ſemel ex ipſis effluxit.

Hæmorrhoidum apertio per hyrudines, ſi æger huic evacuationi aſſuetus ſit aut eædem tumentes appareant, plurimùm etiam conferre poterit; vacuatis namque ſic venis inferioribus, ſanguis liberiùs per primas & ſuperiores vias curſum ſuum peraget, atque in rectum, ubi ſe exonerare ſolitus eſt, allectus à ſtomacho potenter derivabitur.

Quod verò de cucurbitulis tum ſiccis tum ſcarificatis ſcapulis, dorſo & naribus admoris ſentiunt Veteres in hoc affectu, ut in pleriſque aliis, vix in Neoreticorum mentem induci unquàm potuit; neque enim in hoc ſæculo à ſuperfluis penitùs expurgato, torquens, illud magis quàm proficiens remedium ulli Medicinam ſaniorem colenti probatur, niſi forſan ubi à ſomno ratione doloris excutiendum eſt, aut humorum in cerebrum metaſtaſis derivanda; præſertim quandò phlebotomiæ cujus vicariæ dicuntur, non ampliùs locus eſt.

Præter memoratas ſanguinis evacuationes, convenient quoque & plurimum conducent incipienti affectui refrigerantia, & aliquo modo reppellentia per os uſurpata, & in modica doſi, ne ſtomachum fatigent, aſſumpta; tale eſt oxycratum dilutum, potus frigidiuſculus, aqua fontana ſucco limonum, berberis, aut malorum granatorum, &c. acidulata, vel tinctura roſarum rubrarum, ſuccus portulac. lactuc. cydoniorum, oxalydis aut eorum decoctum cum ſyrupis acidiuſculis; refrigerantibus, & paulò aſtringentibus; jucula herbis refrigerantibus, alterata; jus pulli feminib. frigid. & papaver. alb. aliiſque refrigerantibus infracti, julepi refrigerantes, acidiuſculi, & pa-

rum adſtringentes, aq. roſ. plantag. nymph. portulac. acetoſ. lactuc. &c. deſtillatæ; Emulſiones ex ſem. quatuor frigid. & ſem. papav. alb. paratæ, ſyrup. violac. limon. nenuphar. de papav. alb. præſertim ubi dolor urgens compeſcendus eſt, aut ſomnus neceſſariò conciliandus, deliriumve, ſi adſit, ſedandum; in quo etiam caſu alia ſupradicta narcotica, diligenti tamen adhibita cautione, & parcè uſurpari poterunt, ne relaxatis ſtomachi fibris humorum in eum fluxus magis promoveatur. Quibus omnibus meritò addi debet frequens ſalis prunellæ uſus refrigerandi & repercutiendi facultate pollens, ſpirit. ſalis, ſulphuris, vitrioli ad guttas aliquot, & multa alia ad febrem atque inflammationem compeſcendam aut minuendam idonea, quæ in pluribus hujus Tractatus capitibus jam comprehenſa ſunt, aut in inferioribus comprehendentur.

Interim dùm hæc remedia adhibentur in uſum, non omitti debent clyſteres emollientes, refrigerantes, & lenientes, quorum in præcedentibus facta eſt mentio, iique ſingulis diebus repetendi cum caſſ. electuar. lenit. diacathol. mell. viol. cryſtall. miner. aliiſque mitioribus purgantibus, quibus alii magis refrigerantes quàm purgantes intermiſceri utiliter poſſunt, ex ſero lactis, oxycrato, decoct. refrigerante, &c. parati. Progrediente verò ulteriùs morbo, ſupradictis remediis paulò minùs inſiſtendum eſt, vel iiſdem in parva doſi permiſcenda ſunt quæ factam jam ſanguinis fluxionem ad reſolutionem, aut in propria vaſa reductionem adjuvent, rad. nempè alth. enulæ campan. fol. menth. abſint. aneth. calamenth. origan. chamædr. ſem. lin. fœnugr. cumin. anethi; flor. chamomil. melilot. &c. Cavendo ſemper ne horum uſu febris magis exaltetur.

Quod ad purgantia ſpectat, ea non minùs in inflammatione ſtomachi, quàm in vomitu ſanguineo ſuſpecta haberi debent, præſertim ineunte morbo, quippè quæ per irritationes motuſque conſtrictivos quæ in ventriculi tunicis oriantur, non niſi affectum exaſperare poſſunt: Attamen remiſſo aliquatenùs morbo, aut eodem inducias dante, depletiſque primò vaſis ſanguineis, & poſt refrigerantium dictorum uſum, modò lenia & benigna ſint, aut in menſtruo refrigerante diluta, & minori repetitaque doſi aſſumpta, ſatis tutè præſcribentur; ſic tamarind. decoctum infuſum pulp. caſſ. mann. infuſ. & ſyrup. roſar. pallid. aut flor. perſicor. in juſcul. aut pauca ptiſan. diſſolutum, rhab. infuſ. aut ſenn. in minor. doſi cum limonibus fruſtulatim inciſis, in unam aut plures doſes pro Medici judicio laxandique ventris neceſſitate, humores parti affectæ hærentes expurgabunt, abſque ulla inflammationis aut ſymptomatum ejus exacerbatione.

Exteriùs remedia ſola, quæ inſtitui cum aliquo fructu poſſunt, ſunt fotus regioni ventriculi admoti, qui initio refrigerantes & repellentes eſſe debent, imò & frigidiuſculè applicari; declinante autem morbo, ut tumor reſolutione terminetur, quod maximè optandum, non ex refrigerantibus, ſed reſolventibus ſuprà dictis parandi ſunt.

Si quid ſanguinis vomitu rejiciatur, adjunge remedia ſuprà dicta ſanguinis fluxum cohibentia; ſi lipothymiæ urgeant, adhibe cardiaca & vires reſtaurantia ſæpiùs memorata, parcè tamen, ne ſtomachi aut ſanguinis fervor augeatur &c.

Inflammatio, de qua jam diximus, vel ægrum interimit, dum ſcilicet ita intenſa eſt, ut in totum ſtomachum parteſque nobiles vicinas diffundatur, & ita gravibus ſtipata ſymptomatis, ut functiones vitales & principales intercipiat: vel eadem reſolutione terminatur, cùm nimirùm fluxione ſanguinis initio per frequentes & iteratas venæ ſectiones aut alia de cauſa coercita, idem in membranas ſtomachi in parva tantùm quantitate depluit, qui deindè facilè per morbi decurſum remediorumque debitorum adminiſtrationem, aut in auras præ ſtomachi calore avolat, vel in vaſa ſanguinea, unde effluxit, reſorbetur; ceſſantibus qui circuitum ejus remorabantur cauſis.

Quod

Quod ſi neutra via finiatur, certè in abſceſſum affectus degenerat; tumor namque inflammatorius ſive ſanguis in ſtomachi ſubſtantiam effuſus & quidem in ſatis magna copia, membranaſque ejus à ſe invicem divellens atque diſtendens, cùm ſit extra vaſa poſitus moramque trahat, per calorem partis principiorumque ſuorum paſſivorum, activis diſſipatis, exaltationem, fermentationem putrefactivam & præternaturalem ſubit, à qua corrumpitur & in pus tranſmutatur, unde puris collectio ſeu abſceſſus conſequitur qui ex eo dignoſci poteſt, quod dum fit dolorem & febrem intendat, ſecundum Aphoriſmum Hippocrat. factoque dolor atque febris, perſeverante tamen tumore remittant.

Hujuſmodi autem ſanguinis in pus converſio & è colore rubro in album commutatio, petito à Chymia exemplo, facilè explicari poteſt; ſicut enim flores ſulphuris à ſale tartari diſſoluti, undè rubellum colorem induunt, mox album acquirunt & præcipitantur, ſi ipſis acidus quidam liquor affundatur, undè lac ſeu magiſterium ſulphuris emergit: Sic enim ſulphureæ ſanguinis, quibus magis abundat, particulæ, quæ in ſtatu naturali ideò ipſum rubro colore perfundunt, quia eædem à ſale ejuſdem lixivo continuò diſſolvuntur, dum ſemel extra vaſa poſitæ ſunt, & corruptionem patitur ſanguis albedinem puris nanciſcuntur, propterea quod avolantibus per putrefactionem ejuſdem partibus ſpirituoſis atque ſubtilioribus, ſal acidum exaltatur, quod ſulphureas partes craſſiores à ſale acri jamdudum diſſolutas pervadit & veluti præcipitat; undè ſequitur coloris ſanguinis rubicundi in colorem puris candidum tranſmutatio. Sed brevior erit phyſica hujus phœnomeni explicatio, dicendo ſanguinem, dùm putreſcit atque ſuppuratur, novum ſitum novumque ordinem in ſuis reſpectivè particulis obtinere, quæ quia ſimul junctæ ſuperficiem habent diverſam, eamque multò magis aſperam luciſque radiis reflectendis magis idoneam, non ampliùs rubro, ſed albo, aut in album vergente colore donatur.

Talis abſceſſus ob puris acrimoniam tunicas ſtomachi erodentem rumpitur neceſſariò, vel in eſterna, vel interna ejuſdem ſuperficie, undè ulcus ſubnaſcitur; quod etiam ex aliis cauſis oriri poteſt, potiſſimùm ex illis quæ vomitum ſanguinis inducere aptas eſſe ſuprà adſtruximus, vulnus namque ſeu ſolutio continui recens & ſanguinolenta in ulcus ſeu purulentam ejuſdem continui ſolutionem ſucceſſu temporis degenerat.

Dignoſcitur ſtomachi ulcus ex iis quæ præceſſerunt, inflammatione nempè & abſceſſu, aliiſque ſuprà enunciatis dolorem ejuſdem partis, aut ſolutionem atque dilacerationem efficientibus; ſed ſi ruptus ſit in partem ventriculi concavam abſceſſus, patebit magis tùm ex vomitu ſanguineo, purulento, atque feceſſu, tùm ex ructibus fœtidis, lipothymiis, &c. tùm ex dolore quem ſtomachus ab aſſumptis etiam lenioribus patitur; quæ ſymptomata minimè aderunt, aut non ita urgebunt, ſi in ſuperficie ejuſdem externa ſeu convexa ulcus excitetur, niſi forſan omnes ſtomachi membranas perforet. Ulcus denique ventriculi in quacunque ejuſdem parte ſeu regione ſedem obtineat, dejecta ſemper appetentia ſtipatur; ob minùs facilem fermenti ſtomachalis productionem atque ſecretionem, & febre aſſidua & lenta, ob corpuſcula quædam purulenta ſanguineæ maſſæ continuò ſuggeſta, quæ, ut potè ipſi minùs congruentia eamdem in febrilem motum ciet, quanquam non valdè intenſum.

Prognoſis in ulcere ventriculi funeſta ſemper inſtituenda eſt, niſi idem perexiguum ſit, & ſuperficiem ventriculi externam & lateralem potiùs quàm ſupernam aut infimam occupet; non tam quod (ut volunt Veteres) pars illa ſpermatica ſit & membranoſa, minuſque per conſequens, ut teſtatur Hippocr. *in Aphor.* caleſcere poſſit; ſi enim oſſa fracta coaleſcunt, quidni etiam partes membranoſæ ſeu per primam, ſeu per ſecundam, aut ajunt, intentionem conglutinari poterunt? ſed quod alimenta

in ventriculo ulcerato malè coquantur, & propter irritationem & gravitatem ante tempus rejiciantur; & præterea remedia quanquàm cum tota ſua virtute ad partem affectam ferantur, parùm aut nihil præſtent; ſive hoc proveniat ex eorum qualicumque acrimonia, aſperitate, aut pondere ſtomachum fatigantibus, ſive ex eorumdem cum eſculentis potulentiſque, quæ continuò & parcè aſſumi debent, mixtione, aut cum pravis in ventriculo reſtagnantibus, aut exſudantibus humoribus, ne quid dicam de febre lenta & habituali ulcu ſtomachi conſequente, quæ cum maximam humorum dyſcraſia, & quæ facilè emendari non poteſt, ſemper conjuncta eſt.

Si ſtomachi ulcus curationem recipere poſſit, hoc fiet pôtiſſimùm per ea quæ ſequuntur remedia in exigua doſi, non minùs quàm alimenta, ægrotantibus exhibenda. Ac primò quidem per uſum ptiſanæ ex conſolidantibus, vulnerariis, & detergentibus compoſitæ, & melle incocto ad deſpumationem, aut ſaccharo quæ plurimùm detergunt conditæ; aut juſculorum ex iiſdem paratorum: Talia ſunt rad. ſymphyt. maj. ariſtol. zedoar. gent. pentaphyll. tormentil. cich. lapat. acut. &c. Fol. pimpinel. bugul. ſanicul. ſcabioſ. piloſell. abſint. prunel. veronic. agrimon. chamædr. cent. min. cichor. ſylveſtr. vinc. pervinc. &c. hord. integ. liquir. paſſul. roſ. rubr. flor. hyper. & bellid. minor. Cavendum tamen pro ratione ulceris ne nimium detergentia, & aſperitate ſua aut amaritudine partem ulceratam ſtimulantia majori doſi præſcribantur, indè enim ulcus refricaretur & recrudeſceret; quare quandoque ſimplex hydromel., aut decoctum ſymphyt. & hord. cum ſacch. roſac. aut conſerv. roſar. aliis præferri debent.

Balſamus etiam ſulphuris terebinthinatus, ſpiritus & oleum terebinthin. balſamus Peruvian. ad gutt. aliquot in juſcul. aut potu magnis in hoc affectu extolluntur laudibus: Sed inter ea quæ conglutinant & humorum acrimoniam ulcus fovens demulcent, commendantur præprimis decoctum cancror. fluviatil. *carnis* juniorum animalium, mucilagines gumm. tragacant. ſeminis ſpyll. & cydonior. & alth. in decoct. hord. aut hydromelite extractæ.

Balnea aut ſemicupia ex aqua dulci tepida, lactis uſus ad plures dies, potiſſimùm aſini, hordeatorum, avenatorum, orizatorum valdè dilutorum, imò & bochoti ex chin. ſaſſafras, aut ſalſ. parill. ſi febris non admodùm vigeat, nec corpus valdè exſiccatum videatur; illud enim internis medetur ulceribus, non tamen quia humiditates ulcus foventes abſumit (ut Veteribus viſum eſt) ſed quia inſuper particulis quibus abundat ſulphureis diaphoreſim, & ſudorem excitantibus ſalium in ſanguine dominantium aculeos obtundunt & implicant.

Sed quia dum ulceri proſpicitur, febris illud comitantis & corporis conſumptionis habenda ſimul eſt ratio intermiſceri ſuprà dictis debent remediis, quæ ſanguinis ardorem temperant, vitatis in hoc caſu calidioribus vulnerariis: quare emulſiones julepi, juſcula ex vegetantibus refrigerandi facultate præditis comparata, ſerum lactis &c. ſicut & ea omnia quæ corpus macie conſumptum humectant & nutriunt, multùm ægrotanti proderunt, atque etiam venæ ſectio parca, ſi non ita ſpiritibus & ſanguine exhauſtus videatur, vireſque ipſi ſuſtinendæ pares ſint.

Sunt qui in ulcere præſertim diuturniori, aquarum mineralium acidularum tanquam valdè detergentium potum per plures dies commendant: ſed hac in re cautione, ut mihi videtur, opus eſt; cùm enim hujuſmodi aquæ impreſſionem quandam non ita levem in ſtomachum faciant, ipſeque non parùm ab illis repatiatur, eligendæ ſunt leviores, quæ minori copia mineralis onuſtæ ſunt, hoc eſt acidulæ magis temperatæ, aut eædem, ſi tales non ſint ptiſana diluendæ, nec magna copia ſumendæ, ne ſtomachum fatigent. Idem de aquis thermalibus, quæ non minoris in hoc curando affectu energiæ ſunt, dici poteſt.

Cathartica quia in omnibus morbis plùs minùs neceſſaria ſunt, in iſto quoque

affe-

affectu, ut fordes ſtomacho innaſcentes abſtergantur, & quæ ſanguinem inficiunt expurgentur, rariùs tamen, & parca manu ſunt adhibenda, & ex iis paranda quæ minùs ſtomachum laceſſiunt, caſſia nempè, tamarindis, rheo, infuſ. & ſyrup. flor. perſicor. aut de cichor. compoſ. mann. &c. in juſcul. aut ptiſana ordinat. Clyſteres verò frequentiùs uſurpari poſſunt emollientes, refrigerantes, atque purgantes pro alvi pigritie aut libertate.

Quibus omnibus remediis adjungenda ſunt, ſi præſertim ulcus ad conſolidationem tendat bolus armena, terra ſigillata, ſanguis draconis gumm. arabic. atque tragacanr. Manna thuris amylum ſine calce paratum, conſer. roſ. cynorrh. conſerv. radic. ſymphyt. ſyrupi adſtringentes & ex decoct. vulnerario parati, ſarcocolla è lacte muliebri nutrita; ex quibus pulveres, opiatæ, electuaria &c. confici poterunt ad uſum; plurima demùm in vomitus ſanguinei therapeia recenſita hìc etiam locum habere poſſunt.

NOTA.

INflammatio ventriculi pernicioſiſſimus ſanè eſt morbus, unde pauci admodum evadunt. Illi occurrendum per phlebotomiam & medicamenta ab Auctore noſtro propoſita, addendo ſæpius ſerum lactis cum acido citri, aut etiam ſulphuris præparatum, admiſta abſinthii minoris coma, non neglectis interim fortibus externis ex emollientibus, diſcutientibus ac aromaticis mitioribus confecti, quorum ſcilicet particulæ per vaſa cutanea exceptæ ſenſim, & mediante circulatione in partem affectam infundi queunt: imò ejus vicinias laxando, fibraſque animando circulationem humorum, quorum ſtagnatio tot tragœdiarum parens eſt, accelerare valent. Hartmanno quam maximè laudatur lapis prunellæ, ſi ejus ʒ. j. atque alter diſſolvantur in aqua menthæ, vel cichorii aut abſinthii q. ſ. & ſæpius pitiſſando abſorbeatur. Addit idem Auctor hoc certiùs etiam præſtari à ſpir. ſaturni ad gutt. j. atque alteram, in aqua prædicta exhibito. Ulcera ab inflammatione reſtitantia quod attinet iis apprimè faciunt decocta ſudorifica, ac precipuè ſyrupus è ſuccis hæderæ terreſtris, vincæ pervincæ, ſaniculæ & conſolidæ ſaracenicæ, cum ſarſæ & Chinæ extracto liquido, ſaccharoque abjecto confectis; ſed remedium aliis omnibus palmam præripiens ex ſulphure elicitur, non quidem ea ratione qua balſama illa vulgaria, terebinthinatum nempe, aniſatum, aliaque conficiuntur, ſed nobiliori methodo præparatum, ſcilicet qualiter deſcribit Nobiliſſimus Dom. Boyle in ſua experimentali Philoſophia, ut & de ſemplicibus medicamentis diſſertatione.

CAPUT XII.

De Dolore colico.

COlici doloris nomen vulgò deſumitur à colo inteſtino craſſo, longiori, & anfractuoſo, quod, utpotè excrementis recipiendis ſervandiſque deſtinatum, huic affectui præ aliis obnoxium creditur. Derivari etiam poteſt ἀπὸ τῆς χολῆς, hoc eſt à bile, quæ ejus frequens cauſa eſſe ſolet; ſed majori jure ἀπὸ τῶν χολάδων, id eſt ab inteſtinis, quæ ab antiquis χολάδες nominata ſunt, quæque in genere huic dolori non minùs quàm colon proclivia ſunt. Sed undequaque denominetur dolor ille, nos illum hìc loci non ita ſtrictè ſumimus, ut ad ſolum colon aliave inteſtina ſeu tenuia, ſeu craſſa ſint, tanquam ad partem affectam pertineat, ſed etiam ad ſtomachum, & aliquando ad nerveam meſenterii membranam, nerveoſque ibi plures poſitos plexus, ubi colicæ illius pertinacis & truculentæ, quæ Pictonum dicitur, quia Pictonibus familiaris eſt, paralyſi, ſtupore, convulſionibus, variiſque cerebri & nervorum vitiis plerumque ſtipatæ, ſedes non immeritò ſtatuitur.

Eſt ergo colica ſeu colicus dolor, ut omnes ejus ſpecies una deſcriptione com-

prehendamus, ſenſatio triſtis & moleſta in membranis inteſtinorum, ſtomachi, meſenterii, aut nerveis abdominis plexibus primò excitata, moxque in cerebrum mediantibus nervis propagata, & ab anima ibi hoſpitante percepta, quæ ab irritatione, diſtenſione, & ſolutione continui in dictis partibus facta pendet, & variis infrà recenſendis ſtipatur ſymptomatis. Dùm verò ſolutionem continui cauſam hujus affectus immediatam ſtatuimus, hoc non ita intelligendum eſt, ut ſolutio illa notabilis uſque ſit atque ſenſibilis, & indè ulcus aut vulnus neceſſariò ſubſequatur? ſic enim omnis colica puris aut ſanguinis excretione ſe manifeſtaret, ægroſque ſemper crudeliſſimè divexaret; ſeu inſenſibilis plerumque & minùs conſpicua, ob minorem cauſarum ejus copiam & vehementiam partes tamen affectas ſufficienter divellentium, irritantium, aut diſtendentium, ut inde plùs minùs acerbus dolor excitetur.

Cauſæ hujuſmodi frequentiſſimæ ſaltem internæ ſunt humores & flatus, quod locum dedit quibuſdam colicam dividendi in flatuoſam & humoralem, quanquam (ut dicam quod res eſt) rarò ſoli flatus accuſandi ſint, quippè qui ex pravis, corruptis, acribus humoribus, ingeſtis, aut excrementis ſemper elevantur. Inter humores primus ſe ſe offert bilioſus affectum ſuo nomine donans, & ex maſſa ſanguinea per extremas arterias, aut ex hepate cyſtideque fellea per porum biliarium & cholidochum extillatus, qui ut in naturali ſtatu irritationes facit minùs dolorificas motuſque conſtrictivos in inteſtinorum fiſtula, per quos clyſter audit naturalis, ſic ſi ab eodem ſtatu declinet acriorque factus ſit, per ſalis ejus lixivi majorem copiam aut exaltationem, fortiùs quoque actionem ſuam elicit membranaſque in quas impingit, erodit, atque dilacerat, undè dolor conſequitur.

Alii humores colicam inducere valentes ſunt potiſſimùm ſeroſus, mucoſus, atque pancreaticus acrimoniam præternaturalem & extraordinariam nacti; cùm enim ſales cujuſcunque generis ſint, ſi iis abundet ſanguis, in ſero ejuſdem vehiculo utpotè apto menſtruo, diſſolvantur: poteſt idem è ſanguine elabens & ſui juris factus in inteſtinorum aut meſenterii ſenſiles membranas decumbendo ſenſationem illam moleſtam efficere, undè affectus emergit, ſicut & alias dolòris creat ſpecies, dùm in diverſas corporis ſenſu exquiſito prædi tas partes irruit.

Quod de ſero dictum eſt, de muco ſeu humore lymphatico internam inteſtinorum membranam lubricante & obliente; & per diſſeminatas inibi exiles glandulas à ſanguine indeſinenter ſecreto dici eadem ratione poteſt, atque etiam de pancreatico ſucco, qui à lymphæ natura parùm deſciſcit; ii namque liquores, quos machinæ animalis Opifex ſummus acidiuſculos eſſe voluit, ad varios ejuſdem uſus, interdum, ſeu per moram quam in partibus faciunt, ſeu per commiſſa in ſex rebus non naturalibus errata varia, fluorem majorem patiuntur & in aciditate exaltantur, quo fit ut acutiores, longiores atque rigidiores in ſuis partibus facti, quod de naturam acidorum eſt, in tunicas inteſtinorum nerveas altiùs ſe ſe infigere valeat, ſicque per ſolutam earum unitatem varios doloris gradus excitare. Cùm verò corroſivi hujuſmodi humores nerveas dictarum partium fibras vellicando, non diſparem ſæpiùs à frigore impreſſionem, faciant, & plerumque diutiùs retenti craſſitiem & viſciditatem contrahant; hinc eſt quod cum frigiditatis ſenſu dolores nonnunquàm acerbos & pertinaces quaſi à palo infixo & terebra perforant excitatos inducant, ob eorumdem cum tenacitate conjunctam intenſam acrimoniam, atque ex eo deducendam puto crudelem illam colicam pituitoſam Veteribus dictam, qua Galenus ipſe olim laborans magnam pituitæ vitreæ actu frigidæ, ſeu potiùs refrigerantis & frigoris ſenſum inducentis, copiam excrevit.

Iidem quoque acidi humores alia ratione dolorem colicum inferre poſſunt, quatenus ſcilicet humoribus contrariæ & heterogeneæ indolis, hoc eſt alchalinis, bilio-

biliosis, & lixivio sale abundantibus in primis viis occurrentes (ut alibi dictum est) fermentativos, eosque intensos motus ineunt cum vaporum halituumque (ut in chymicis liquorum variorum effervescentiis accidit) magna eruptione, à quibus intestinorum tunicæ summam cum soluta insensibiliter unitate distensionem, ac proindè dolorem patiuntur. Doloris autem illius major aut minor intensio, præter jam assignatam variam humorum acrimoniam, aut effervescentiam, agnoscit etiam varium in partes plùs minùs sentientes & quæ strictioris sunt compagis decubitum, qua propter acerbior multò & magis contumax affectus est, dùm in mesenterii suprà dictis plexibus membranisque, aut inter tunicas intestinorum, undè difficulter dimoveri potest, causa morbifica congeritur, quàm dum in dictorum intestinorum cavitate, è qua faciliorem habet exitum.

Vvillisius aliundè quàm à massa sanguinis, à cerebro nempè per nervos paris vagi causam colicæ in plexus mesentericos ruentem derivat, vultque esse impuritates liquoris nervei per glandulas cerebri laxiores secretas, perque nervos patentiores delatas, quæ acres & irritantes sunt, atque etiam elasticæ quandoque & spasmodicæ, præsertim dùm particulis sanguinis contrariæ indolis occurrunt, undè cum mineras in mesenterio faciant, & ibi quacunque data occasione effervescant, spasmos, distensiones & contractiones convulsivas excitant, atque etiam tormina & cruciatus acerrimos. Verùm etsi in gratiam tanti Auctoris hypothesim illam sua probabilitate non carere fateamur, non tamen existimandum est recrementa illa tam facilem tamque frequentem (ut ipse adstruit) esse doloris colici causam, cùm viæ, per quas deducuntur, multò sint angustiores, & præterea maxima hoc affectu laborantium pars nullo cerebri vitio, nullis convulsionibus tententur, quod tamen contingere sæpè sæpiùs deberet, si cerebrum fons unicus esset, undè causa morbum faciens deduceretur; quare si aliquando hujusmodi causa admittenda videatur, in ea colicæ specie est, quæ Pictavienſis vocatur, quamque ad genus nervosum velut primariò pertinentem paralysis, stupor, vertigo, convulsiones, aliique nervorum aut cerebri affectus excipiunt; quæ tamen à serosa etiam colluvie sale acido corrosivo imprægnata, & in dictos mesentericos plexus nerveos ruente, & à sanguine suggesta oriri similiter potest.

Sed ne quis perperam nos hanc Vvillisii opinionem aliquandò etiam admittere suspicetur, ex eo quod non ita planum sit ullum succum ullumve liquorem, multò minùs impuritates atque recrementa, per densam nervorum omni cavitate saltem sensibili carentium substantiam fluere in ejus defensionem dicimus spiritus animales reipsa liquorem esse, quamquam admodùm tenuem, suoque vehiculo potiri, ut in omnes partes præsertim inferiores faciliùs devehatur. Cujus rei validum argumentum desumitur ex eorum origine, nempè sanguine, colatorio, nempè substantia cerebri corticali quæ tota glandulosa est, ut observavit lynceus Malphigius, & ex eorum canalibus, nempè substantia cerebri alba & callosa, quæ tota est striata, & fibris nerveis à glandulis suis promanantibus contexta, ex quibus plurimis in unum caudicem coeuntibus nervi tam intra, quàm extra calvariam conflantur. Ex iis itaque omnibus arguitur spirituum animalium materiam lympham esse tenuissimam, quæ à massa sanguinis in cortice cerebri cineritio per glandulas illum componentes secernitur, ut in aliis glandulosis colatoriis accidit, moxque in appensa ipsis vasa, seu fibras & nerveos tubulos exstillatur, ut indè ad varias corporis partes pro sensu & motu, imò & nutritione perficiendis, amandetur. Si ergo lympham, ac proindè liquorem esse spiritus animales glandulosus cerebri apparatus probat, aliorum quæ in corpore animali sunt lymphæ colatoriorum æmulus; quidni sordes suas atque impuritates habere poterit; si præsertim laxiori-

bus ſolito patentioribuſque factis cerebri glandulis ſpiritus puri & puti non ſecernantur; quidni etiam tales impuritates, quæ certè minùs craſſæ ſemper ſupponendæ ſunt, utpotè ad liquorem admodùm ſubtilem pertinentes, in denſam nervorum ſubſtantiam foraminulis tamen pertuſam & canaliculis minùs conſpicuis invicem copulatis & una tunica involutis conſtantem penetrabunt; cùm ſanguinem multò craſſiorem ſecundum eorum longitudinem etiam intrinſecùs per propria vaſa, minimè tamen apparentia, excurrere experientia anatomica demonſtret, qua compreſſus fortiter reſectus cruralis, aut alius notabilis nervus puncta rubra & ſanguinea in medio ſui exhibet, ne quid dicam de ſucco vegetantium omnium ligneorum nutritio, qui per eorum ſubſtantiam tam ligneam, quàm corticalem, nervis ipſis magis, ſaltem quoad ſenſus, imperviam ad eorundem nutritionem & accretionem excurrit; ne quid etiam loquar de multis aliis oculorum etiam miſcroſcopio munitorum aciem fugientibus in corpore tubulis, per quos tamen lachrymas, urinam, ſemen, lac, ſudores, alioſque ſenſibiles humores deferri in confeſſo eſt apud omnes Medicos.

Quod humores irritando, erodendo, aut fermenteſcendo præſtare poſſunt ad doloris colici productionem, idem flatus diſtendendo, membranaſque inteſtinorum à ſe invicem divellendo præſtant; ſi enim ſeu humores crudi atque pituitoſi in halitus à calore viſcerum reſoluti, ſeu ingeſta frigida, dyſpepta, & flatulenta edulia, vel, quod ſæpiſſimè accidit, minùs vegetus ſtomachus, deficienſque quoque modo ſuccus fermentativus & pancreaticus magnum flatuum proventum fecerint, quid aliud indè conſtricta præſertim alvo à fœcibus induratis, aut alia de cauſa, ut frequenter contingit, ſequi poteſt, quàm ſumma tunicarum flatus continentium diſtenſio? Imò tanta, ut eædem ruptioni proximæ ægros ſæpè in clamores & ejulatus, terrorem ſimul & miſerationem patientes, ſi non in quid pejus, adigant.

Notandum tamen quòd dolor à flatibus oriundus major eſt in tenuibus, quàm in colo inteſtino, non ſolùm quia iſtud excrementis praviſque humoribus congerendis & in ſuis cellulis reſervandis aſſuetum majoris dilatationis capax eſt; ſed etiam quia tenuia inteſtina membranoſa magis ſunt, anguſtiora, & exquiſitiori ſenſu donata.

Nec cum quibuſdam putandum eſt flatus illos inter membranas, meſenterium, aut inteſtina componentes includi, niſi ex humoribus ibidem fermenteſcentibus eleventur; quomodò enim halitus inter tam arctè unitas membranas penetrare poſſent, eaſque à ſe invicem divellere? ſi ergo colicus dolor ex cauſa tam arctis cancellis coercita natales accipiat, hoc humoribus imputandum eſt ſumma penetrandi & inter partes etiam cohærentes ſe inſinuandi vi præditis, minimè verò flatibus qui non niſi in ſpatio libero generantur.

Præter jam memoratas colici doloris internas cauſas, dantur & aliæ plures hunc effectum nonnunquam invehentes, ac in primis inteſtinorum obſtructio & ventris conſtipatio à pleriſque rebus inducta, per quam humores pravi & excrementitii in inteſtinorum cavo diutiùs commorantes, nec per vias inferiores & ordinarias ſatis promptè detruſi acrimoniam præternaturalem acquirunt, quæ fibras eorum nerveas ſtimulare magis apti efficiuntur, aut per copiam & motum, que interdum ſubeunt fermentativum, eorumdem tunicas præter modum diſtendunt; talia ſunt calculi in inteſtinis geniti, vermium globus, induratæ fœces, tumores viſcera comprimentes, inteſtinorum inflammationes, nuclei ceraſorum magna copia ingeſti, inteſtini in ſcroto per herniam ſtrangulatio, aliaque quæ in ſequenti capite, ubi delleo agetur, commemorabuntur. Ex quibus omnibus quædam ſunt quæ per ſe irritare poſſunt, ut lumbrici mordentes, calculus aſperitate lacerans, humores phlogoſim parientes, &c.

Cauſæ autem externæ & procatarticæ quæ hunc affectum parere ſolent ſeu per

ſe & immediatè, ſeu ſecundariò & cauſas internas in actum deducendo, ſunt primò cibi omnes acres, flatuoſi, craſſi, & concoctu difficiles, fructus immaturi, tubera, fungi, vinum acidum, immaturum, vappidum, & minùs defœcatum, potus frigidior, exercitia immodica & intempeſtiva, immoderata Venus, aeris conſtitutio nimium frigida aut calida; medicamenta, præſertim cathartica validiora, venena & quæ venenata qualitate donata ſunt; curæ, vigiliæ, alimentorum ſalſorum, acidorum; calidorum, nimius uſus; aliaque ex ſex rebus non naturalibus malè uſurpatis petita, quæ aut bilis acrimoniam, aut ſucci pancreatici atque lymphæ aciditatem, aut ſeri ſalſedinem exaltare, ſanguiniſque diatheſim vitiare poſſunt, quorum omnium colicum dolorem inducendi ratio & facultas mediata aut immediata ex iis quæ antè dicta ſunt colligitur.

Deſignatis ſic omnibus quæ paſſionem colicam producere valent cauſis, jam videtur oſtendendum undè procedant exacerbationes atque remiſſiones quibus illa veluti periodicè in quibuſdam, quamvis non ſtato tempore, recurrit; illud verò petendum exiſtimo, vel ex ceſſante humorum contrariorum in primis viis exaltatorum & ſibi mutuò occurrentium fermentatione, quæ deindè per novum illorum affluxum redintegratur, vel ex eorum, ſi irritando tantùm agant, à partibus membranoſis per fibras ſuas contractis excuſſione, donec novus acris, ſalſus, aut acidus liquor exſtillet; vel, quod non rarò accidit, ex cauſarum dolorem parientium, ſivè à remediis adhibitis, ſive ab aliis humoribus admixtis lenioribus mitigatatione; chylo putà ab ſtomacho deſcendente, muco inteſtinali, humore pituitoſo in inteſtinis reſtagnante, aliiſve humoribus per dolorem in partem affectam advocatis, qui partem illam & nervos ipſi proximos infarciunt & comprimunt, undè ſtupor ipſi inducitur, eo prorsùs modo quo videmus in odontalgia inflata gena atque gingivis dolorem evaneſcere, quæ tamen cauſæ denuò reviviſcunt, diſſipatis iis quæ eorum acrimoniam temperabant, & ſanguine novam materiam peccantem ſuggerente; vel denique petendi ſunt hujuſmodi colici paroxiſmi ex novo in diæta & regimine commiſſo errato cauſæque morbum facientis poſt eam à corpore extruſam nova congeſtione.

Colicæ diagnoſis in genere ſtatuitur, primò per dolorem abdominis plus minùs acerbum; nam ſi levior fuerit propriè colicus dici non debet, qui modò vagus eſt, & ex una in aliam partem excurrens, quod humoribus in inteſtinorum fiſtula fluctuantibus, aut flatibus facilè mobilibus eſt imputandum; modò ſtabilis & fixus, quia humores morbum facientes viſcidi ſunt & partibus adhærentes; vel quia inter inteſtinorum tunicas meſenteriive membranas colliguntur, & pro vario partis affectæ ſitu, inteſtinorumque tenuium aut craſſorum irritatione, modò in una, modò in alia abdominis parte urgent, modò ſupra, modò infra umbilicum, modò verſus hepar & in dextris, modò & frequentiùs, verſus lienem & in ſiniſtris, non ſolùm propter coli in eo loco incurvati à Baubino obſervatam anguſtiam, qua fit ut excrementa, humores, aut flatus hùc violenter propulſa majorem ſolito diſtenſionem efficiant; ſed etiam propter ibi factam ab excrementis induratis, aliave de cauſa humorum peccantium aut flatuum retentionem atque accumulationem. Secundò adeſt ſæpè vomitus in colico dolore, quo varii humores pituitoſi, bilioſi, acidi, auſteri, amari, flavi, virides, aut verſicolores rejiciuntur, petendus ex affecto per conſenſum ventriculo, ob ſpirituum inordinationem in partibus dolentibus excitatam, & huic viſceri mediante plexu ſtomachico ſeu lienari cum meſentericis commercium habente communicatam, atque inſuper ex iiſdem humoribus per irritationes, corrugationes, atque convulſivas conſtrictiones in ventriculum exantlatis. Tertiò ab aſſumptis cibis dolor intenditur, ob novum onus ſtomacho impoſitum, quo gravior ipſe ſubjectas & dolentes partes magis comprimit. Alvus denique ut plurimum

mùm ita adſtricta eſt, ut ægri nihil omninò per inferiora, ne flatum quidem, emittere poſſint; & ſæviente dolore validiora cathartica tardè admodùm aut nullo modo operentur; cujus adſtrictionis ratio hæc eſſe videtur, quòd diſtenta præter modum, irritata, corrugata, aut inflammata inteſtina, aut partes vicinæ quibus ipſa compatiuntur, & ut verbo dicam, dolentia, motum ſuum periſtalticum peragere minimè poſſunt. Adde quod eadem ſæpè à fœcibus induratis, globulo vermium, craſſis eduliis aſſumptis, calculo, aliiſque occupantur, à quibus ad inferiores vias tranſitus intercluditur.

Sed in dyſenteria, inquies, ubi adeſt tunicæ inteſtinorum interioris exulceratio, ac proindè irritatio & dolor, non tamen imminuitur periſtalticus eorumdem motus, quinimò frequentius alvus dejicit. Præterea cùm à bile ut plurimùm colicus dolor dependeat, quæ clyſter naturalis eſt, & alvi fluxus atque diarrhœæ parens, quomodò in hoc caſu alvus adſtricta eſſe poterit? Reſpondetur dyſenteriæ cauſam ejus naturæ eſſe, ut lentè agat, minùs copioſa ſit, & præter acrimoniam qua inteſtinorum tunicas ſenſim erodit, ea principiorum ſuorum, ſalis nempè & ſulphuris, combinatione gaudeat, qua ſpiritus ipſorum hoſpites in motus expanſivos adigere valet, unde fibrarum muſcularium contractio ſucceſſiva dependet, neque enim per ſolam harum partium irritationem, niſi occaſionaliter, contractivi ipſarum motus perficiuntur; in colica verò paſſione diſtenſio inteſtinorum à flatibus aut humoribus efferveſcentibus excitata eſt motus eorum coarctationi planè contrarius, ac proindè alvus pigra eſſe debet: Quòd ſi humores colicam parientes vellicando & ſtimulando agant, iidem ſeu bilioſi atque lymphatici, promptiùs agunt, quia corroſivi admodùm ſunt, nimioque ſale ſaturantur, quàm ut copulam idoneam ſpiritibus animalibus & elaſticam præbeant ad motum conſtrictivum ſaltem ſucceſſivum & periſtalticum peragendum, vel in membranis inteſtinorum aut meſenterii copioſiùs infixi, alioſque plures humores in dictas partes per dolorem intenſiorem advocantes, nervoſque aut fibras nerveas comprimentes, ſpirituum animalium liberum influxum aut eorumdem in fibris muſcularibus expanſionem prohibent.

His omnibus rationibus addendum in colica bilioſa, niſi abundè alvus clauſa ſit, ut ſæpè contingit, non ita neceſſariò adſtrictam eſſe alvum, ut nunquam copioſiùs & frequentiùs fluat; ſi namque bilis non ita ſalina ſit, quin congruam ſulphuris minus craſſi quantitatem ſibi adjunctam habeat, nec obicem inveniat ejus exitum impedientem, tantùm abeſt ut colicus dolor tunc ventris conſtipatione ſtipatus ſit, ut potiùs diarrhœam nonnumquam inferat.

Quod verò colici doloris diagnoſim adhuc facit certiorem, eſt ejuſdem à dolore nephritico, qui valdè affinis eſt, diſtinctio, quæ ſic fieri poterit.

Primò colica nephritica fixa ſemper eſt in regione renum, & ad teſtem ſecundum longitudinem ureteris exporrigitur; colica verò ventris vaga eſt, aut in medio abdomine, aut ſupra & infra renes, plerumque ſedem habet, & medium ventrem cinguli inſtar cingit.

Secundò à paſtu colicus dolor augetur, ob ſupra dictas rationes, minus verò nephriticus, quia renibus non ita incumbit ventriculus.

Tertiò in colico dolore præceſſerunt prava plerumque ingeſta, & ab excretionibus per alvum & vomitum factis levamen plerumque emergit, minùs verò in nephritico, quia cauſa morbum faciens per has vias non extruditur.

Quartò vomitus, cæteris paribus vehementior eſt & alvus adſtrictior in colica inteſtinorum, quàm ea quæ ad renes pertinet, propterea quod plexus meſentericus major ſolaris dictus, qui totus meſenterio & inteſtinis impenditur, majus habet cum ſtomachico commercium & per fibras inſigniores & numeroſiores ipſi cohæret, quàm renalis uterque plexus, undè inordinatio ſpirituum faciliùs ab inteſtinis aut meſenterio ad ſtomachum,

chum, quàm à renibus transfertur.

Prætereà affectis qui ſpiritus ad inteſtina deferunt nervis, aut ipſiſmet inteſtinis, facilius concipitur imminutus aut fatiſcens periſtalticus eorundem motus quàm affectis renibus remotioribus, undè urinarum potiùs ſuppreſſio ſequeretur. Dixi cæteris paribus vomitum & alvi adſtrictionem magis vigere in colico quàm in nephritico dolore, nam ita æquivoca ſunt hæc duo ſymptomata, utriuſque affectus ſigna, ut medicos etiam peritiſſimos fallant, & nephritis intenſior ut plurimùm vomitum & alvi adſtrinctionem majorem efficere poſſit, quam colica remiſſior; maxima ſiquidem ſpirituum inordinatio rerum diſtantiam compenſat, & minori plerumque inordinationi ex viciniori loco procedenti prævalet.

Tandem in colica paſſione urinæ craſſiores exiſtunt & ſaturato colore donantur, quia earum viæ non intercipiuntur; in nephritica verò propter contrariam rationem urina clara & limpida eſt initio, imò aliquandò ſupprimitur, aut parcè fluit, deindè reſeratis viis aliquid craſſum & ſabuloſum ſubſidet, tandem arenulæ aut lapilli externuntur, ne quid dicam de hæreditaria ad hunc affectum diſpoſitione, & de eodem ante perpeſſo.

Signa cauſarum colicam inducentium ita diſtinguenda ſunt. Si dolor à flatibus potiſſimùm excitetur, aderit abdominis inflatio & tenſio, borborygmi & rugitus frequentes infeſtabunt, non ſecùs ac ructus aut crepitus ventris, à flatuum excluſione levamen emerget; aderit major ventris conſtipatio, dolor erit vagus, inſtabilis, & per intervalla magis miteſcet atque renovabitur, denique victus ratio flatibus generandis preceſſerit, ut aquæ frigidæ potio intempeſtiva, uſus leguminum, olerum, fructuum, aut exercitia à paſtu, & ventriculi cruditas atque læſa concoctio.

Si affectus ab humore bilioſo oriatur, hoc notum fiet ex temperamento ægrotantis, ex dolore vellicante & pungitivo cum æſtu & ſiti, linguæ flavedine, & plerumque febre; ex urinis & excrementis valdè bilioſis, ex linguæ amarore, majori inappetentia, ex levamine à refrigerantibus & læſione à calefacientibus, ex victus ratione calida præcedente, ex vomitu humorum flavorum aut viridium, & morbi ab iis excretis remiſſione, ex alvo minùs quandoque adſtricta &c.

Si ab humore ſeroſo, pancreatico, aut muco inteſtinorum acidioribus colicus dolor procedat, illud manifeſtabitur ex dolore multò magis acuto & fixo atque pertinaci, vomitu humorum diſcidorum & aqueorum cum aciditatis ſenſu & ſtupore dentium, ex ructibus acidis, cruditate ſtomachi acida, acidorum ciborum aut liquorum præcedente uſu; ex humorum pituitoſorum & albumen ovi referentium per inferiora rejectione, & ab iis ejectis prodeunte ſolamine; ex frigiditatis ſenſu in abdomine, ex temperamento melancholico, ex abſentia demum ſignorum quæ alias ſuprà dictas cauſas demonſtrant. Quòd ſi iidem acidi humores colicum dolorem produxerint, non tam acrimonia ſua quàm efferveſcentia cum aliis humoribus excitata, dignoſcetur ex præditis ſignis cum iis, quæ flatus indicant conjunctis, in illo namque caſu adeſt ventris inflatio & tumultus cum flatuum ſuprà aut infrà excretione, imò & æſtus ſitim inducens.

Tandem dolor colicus à lumbricis dependens, à ventris, inteſtinorum & viſcerum obſtructione, ſkrrho, atque inflammatione, ab hernia ſeu enterocele, à venenis aſſumptis, mochlicis medicamentis acribus & pravis ingeſtis, potu frigidiore, &c. ex propriis horum affectuum ſignis, aut ex ægrorum relatu innoteſcet.

Quod ad morbi ſedem ſeu partem affectam ſpectat, ea deſignabitur ex variis ſymptomatis; ac primo ſi cauſa morbifica vim ſuam exerat in plexus nerveos meſenterii ejuſque membranas, aut inter tunicas inteſtinorum infixa ſit, dolor erit magis intenſus, continuus, fixus, atque contumax, nec ita per evacuationes ἄνω aut κάτω factas ſedabitur; ſi verò in cavitate inteſtinorum contineatur, dolor ex una parte in aliam mu-

ta-

tabitur, & remediis faciliùs cedet, nec tam crudeliter divexabit; affecta autem tenuia inteſtina, utpotè ſtomacho viciniora, vomitum promptiorem atque frequentiorem inducunt, quàm craſſa & dolorem acutiorem, propter exquiſitiorem illorum ſenſum.

Colica Pictonum dicta, quam ſuperiùs in plexibus nerveis meſenterii ſtatuimus, quamque quandoque ex impuritatibus & recrementis ſucci nervei deduximus, quandoque ex humoribus corroſivis à ſanguine ſuggeſtis & in dictas ſenſibiles partes fluentibus, demonſtratur primò per doloris ſummam acerbitatem, contumaciam, atque durationem, quæ ex partis affectæ exquiſitiſſimo ſenſu peti debent, cauſæque morbificæ anguſtioribus cancellis coercitæ ſumma acrimonia aut effervéſcentia.

Secundò per illi ſuccedentem paralyſim variarum partium corporis, aut ſtuporem, quæ ex recrementis ſordibuſque liquoris nervei proprios canales craſſitie ſua aut copia plus minùs & in hac aut illa parte obturantibus deducenda ſunt.

Tertiò per vertiginem, delirium, convulſiones, aut motus convulſivos, &c. deſumenda ex inordinatione magna ſpiritibus in toto cerebro, thalamis opticis, aut in variis muſculis inducta tam conſequenter ad vehementem illam nervorum meſenterii irritationem, quæ ad cerebrum propagatur, quàm ex ſuprà dictis ſucci nervei impuritatibus, aut humoribus pravis à ſanguine ſuggeſtis plerumque liquori ſpirituoſo contrariis atque hæterogeneis, motuſque proindè ſpaſmodicos inſolitos & præternaturales excitantibus.

Manifeſtatur denique interdum colica Pictavienſis per febrem velut lentam atque corporis contabeſcentiam, cùm ita vitiata eſt tum maſſæ ſanguineæ, tum ſucci nervei craſis, ut neuter liquor materiam partibus alendis idoneam ampliùs ſuppeditet & ſanguis pravis humoribus refertus principiiſque activis deſtitutus præternaturaliter quamvis ſegniter fermenteſcat quod non accidit niſi poſt plures hujus doloris recurſus atque paroxiſmos, & morbo habitum contrahente aut diutius protracto.

Quòd ſi (ut plerique Auctores obſervant) paralyſis ſpaſmi aut ſpaſmodici motus partes ſuperiores potiùs quàm inferiores frequenter invadant, hoc potiſſimùm fieri cenſendum eſt, quia refluentibus, ut ita dicam, & redundantibus in cerebro ſupra dictis impuritatibus eædem in nervos patentiores ſe inſinuant, viaſque magis tritas affectant, quales ſunt nervi partibus corporis ſuperioribus copioſo & iterato ſpirituum influxu indigentibus miniſtrantes.

Colicus dolor ut plurimùm periculo caret, dum nempè remiſſior eſt, vagus, non admodùm diuturnus, continuus, aut contumax, nec cum omnimoda alvi adſtrictione conjunctus. Minùs mali quoque omnis eſſe ſolet, dum ab aſſumptis, modò deleteria non ſint, aut aliis procatarticis cauſis, lumbricis item & flatibus aut humoribus biliosis præſertim in cavitates inteſtinorum fluctuantibus pendet. At ſi intenſus admodùm ſit fixus, perſeverans, pertinax, ſæpiùs recurrens, & alvi adſtrictionem diuturnam, vomitumque frequentem inferat; ſi ab humoribus craſſis atque viſcidis inter tunicas inteſtinorum aut meſenterii arctè concluſis excitetur: ſi vigiliæ urgeant, ſingultus, faciei pallor, frigiditas extremorum, animi deliquium, & alia gravia ſymptomata dolores acerbos conſequi ſolita, periculum non leve portendit; atque etiam dùm nervoſum genus invadens delirium, vertiginem, cœcitatem, paralyſim, ſtuporem, aut convulſiones epilepticas inducit.

Curatio hujus affectus multiplex eſt & varia, quia cauſas plures atque diverſas agnoſcit; non eſt tamen ut moremur in afferenda earum colici doloris ſpecierum therapeja quæ ab acribus aſſumptis, hypercatharticis medicamentis, venenis, aut à lumbricis, partium internarum inflammationibus, viſcerum & inteſtinorum obſtructionibus, cruditate ſtomachi, aliiſque hujus generis originem ſuam deducunt; earum recenſita cauſarum remedia in præcedentibus jam recenſita

ſunt,

ſunt, aut in ſequentibus ubi de Ileo, alvi adſtrictione, obſtructionibus hepatis & lienis; de lumbricis &c. agetur, fusè recenſebuntur. Adde quòd ſi quid præter remedia ſpecifica otiundæ ex prædictis cauſis colicæ deeſſe videatur, ex iis quæ jam dicturi ſumus facilè deſumi poterit.

Sunt itaque nonnulla medicamenta dolori colico in genere convenientia, & quæ ſtatim inſtituenda ſunt; talia ſunt venæ ſectio pro neceſſitate & ægri viribus celebranda metu ſecuturæ inflammationis, dùm dolor valdè intenſus eſt, vigiliis & corporis ſanguiniſque excalefactione ſtipatus; purgatio tam per ſuperiora quàm inferiora, ad extrudendos peccantes & in primis viis potiſſimum redundantes humores, clyſterum etiam acriorum uſus frequens, dum alvi adſtrictio magna eſt aut etiam carminantium dum flatuum magna copia inteſtinorum membranas diſtendit, quibus deindè anodyna & narcotica ſuccedere debent. Sed ad ea quæ in ſpecie conveniunt jam deſcendendum eſt.

Si ergo bilis, quam ſuperiùs inter cauſas colicæ primò retulimus, hunc morbum eo quo dictum eſt modo produxerit, illi obveniendum eſt primò, ſi alvus ſimul pigra ſit clyſteribus emollientibus & refrigerantibus cum caſſ. cathol. diaprun. tùm ſimplici, tùm compoſ. diaphæn. ſale prunell. aut gemmeo, vel etiam ſi his remediis non facilè ſolvatur, addi poteſt in decoct. ſenn. & pulp. colocynth. in petia ligat. ad ℥. iij. vel ℥ ss. & in diſſolutione aq. bened. Ruland. turbid. ad ℥ j. tres, imò, & quatuor, acribus, ſi non ſufficienter agant, ſuppoſitoriis excitanda; vel ſi dolorem mitigandi, humoris acrimoniam demulcendi, & inteſtina lubricandi animus ſit, quod non niſi poſt purgantia & evacuantia tentari debet, in decoct. emoll. & refrig. diſſolvi poſſunt mucilag. ſem. lin. pſyll. & cydonior. oleum lini, lilior chamom. amygdal. dulc. & amar. butyr. recens, opium ad gr. iv. v. vj. vel clyſteres ex lacte, ſero lactis, decocto capitis aut inteſtinorum vervecis parari poſſunt. Si autem humor bilioſus cum dolore colico alvi fluxum inferat, enemata tunc refrigerantia, detergentia, lenientia ſunt adhibenda, qualia inferius in capit. de Diarrhæa & Dyſenteria proponemus.

Phlebotomia in hoc caſu potiorem locum habere videtur; non ſolùm ob ſupra dictam rationem, ſed etiam ex eo quod affectus ab humore bilioſo fervorem ſanguini conciliante dependet; cui initio adjungi debent vomitoria non abſimilia iis quæ in cap. de Cholera morbo preſcripta ſunt, etiamſi vomitus vigeat, ſic enim cauſa morbum faciens faciliùs & promptiùs eliminatur, & ex inteſtinis ubi debachatur potenter revellitur.

Vinum emeticum, etiamſi ubi bilis ſævit, minùs convenire videatur, in hoc tamen caſu quando ſcilicet morbus urget, nec facilè aliis cedit remediis tuto per os modo vires non ſint admodùm collapſæ, & inflammationis metus, aliave contraindicantia abſint, exhiberi poteſt, ad unciam unam aut alteram, vel ſolum, vel quod feliciùs plerumque ſuccedit, cum infuſ. ſenn. & caſſ. mixtum; ſic namque repagulum, ſi quod ſit in inteſtinorum tubo vincitur, & ſi humor morbificus infixus ſit, aut ſtrictioribus cancellis incluſus, efficaciùs excutitur. Sed plerumque non ita validum purgans requiritur, præſertim adſtricta ſummoperè alvo & admodùm indurata, nec clyſterum numero repetito obſequente; humectanda ſiquidem priùs eſt fotibus refrigerantibus, emollientibus, & anodynis, atque etiam balneis aut ſemicupiis, quæ in omni colica à quæcunque cauſa ortum habente plurimùm commendantur, imò & frequenti continuatoque ptiſanæ & juſculorum uſu quibus olea ſupra dicta butyrum, caſſiæ pulpa, aut prunorum & tamarindor. admiſceri debent, quæ alvum laxandi lubricandi & humorum lancinantes aculeo irritiendi facultate donata ſunt. Quibus præſtitis cathartica deindè in plures doſes, quorum una aliam adjuvet, uſurpata, quæ protrahi minimè debent, optatum affectum ſortiuntur, quæ valida aut mediocria

eſſe

esse debent pro ventris duritie aut laxitate, ægri viribus, atque humoris morbifici majori aut minori contumacia.

Sunt qui in diris hujus doloris cruciatibus ad duplicem indicationem adimplendam, & ut urgentiori occurendo causam morbum facientem simul expugnent & expurgant, purgantia narcoticis aut oleosis & pinguibus mixta ægrotantibus exhibent: undè sequitur primò doloris mitigatio, deindè humorum noxiorum exclusio; sic aloes ʒ j. diagrid. gr. vj. aut viij. cum extract. op. sive laudan. opiati, gr. ij. in formam pilul. magno plerumque cum fructu præscribuntur, aut diaphœn. cum philon. Roman. sic cum ol. amygd. dulc. aut amar. ʒ. ij. aut iij. mann. eadem dosi in jusculo, aut cass. cum gran. aliquot scammon. præp. non inutiliter adhibentur. Sed notatu dignum est purgantia in hoc casu majori semper dosi adhibenda esse, quia eorum vis ab opiatis & oleosis multùm retunditur.

Post universalium administrationem in hoc morbo præ aliis plerisque initio requisitam, si perseveret dolor, ad ea quæ bilis ferociam compescunt transeundum est, qualia sunt refrigerantia omnia, acidiuscula, mucilaginosa, modò stomachi cruditas non obstet, balnea, semicupia, aliaque quæ humorum acrimoniam demulcere, bilis copiam & proventum minuere, aut ejus exaltationem deprimere apta esse antè demonstravimus; transeundum quoque ad ea quæ vias adstrictas & angustatas relaxant & dolorem sedant, qualia sunt, oleosa, pinguia, narcotica per os atque anum usurpata. Tandem mitescente & remisso morbo ad usum aquar. mineralium, acidularum aut vitriolatarum, & ad illa omnia quæ expugnandæ bili, reserandis viis, & humorum aculeis retundendis aut diluendis idonea sunt, quæ iterùm atque iterùm exposita sunt, aut ulterius exponentur.

Si humor serosus, pancreaticus, atque mucosus acidior & corrosivus factus colico dolori originem dederit, aut etiam flatus à dictis humoribus seu calore resolutis, seu in primis viis cum bile effervescentibus, erumpentes, non dissimilis adhiberi debet methodus curativa; humores namque serosi, viscidi, perindè ac flatus carminantibus, discutientibus, calefacientibus, resolventibus imò & diaphoreticis debellari solent. Clysteres ergo sint emollientes, carminantes, atque resolventes, ex decoct. malv. alth. rut. origan. salv. calamenth. puleg. absint. parietar. mercurial. bet. &c. summit. aneth. fœnicul. flor. chamom. molil. polypod. colocynth. senn. agar. sem. aneth. carvi, ameos, cumin. anis. fœnicul. dauc. fœnugr. &c. cum hicra picra, benedict laxat. cass. diaphœn. diaprun. sol. sale communi, armoniaco, gummeo, melle mercurial. viol. anthos. aut etiam cum aqu. bened. turb. ʒ. iij. Nec iidem temerè & unus super alium injici debent, si enim uno aut altero enemate alvus non deponat, acri suppositorio sollicitanda est parato ex hier. pulvere, diagrid. sale, trochis. alhand. pulver. tabac. felle bovis aut suis &c. cum mell. despumat. eoque sæpius, si videbitur, repetito; aut si alvus admodum adstricta dictorum remediorum ope non satis solvatur, humoresque redundantes in intestinis atque excrementa nimium retenta: ut ferè semper accidit, sui exclusionem indicent, adhibenda sunt per os in plures parvas & repetitas doses tinctur. cass. senn. prunor. mann. cum diagrid. aut vino emet. humectato priùs & emollito si necessum fuerit, ventre per usum fotuum, balneorum, &c. aut ptisanæ ex decoct. flor. malv. & chamon. sem. ameos, additis oleis suprà dictis, butyr. insulf. &c. aut jusculorum pinguium cum vino malvatico, hispanico, aut hipocratico & theriac. ʒ j. mixtorum.

Quòd si humores acres expurgandi simul & dolorem sopiendi intentio sit, vocentur in usum pilulæ ex hiera cum diagrid. & laudan. supra dictæ, quibus etiam & turbith. addi utiliter potest. Nec sola acria & purgantia enemata colici doloris ab humoribus serosis aut lymphaticis oriundi curationem absolvunt dum enim semel libera alvus facta est, & humorum fa-

bur-

burra expurgata, vocanda ſunt in auxilium ea quæ humores & flatus reſolvunt, illorumque acrimoniam temperant & dolorem leniunt, talia ſunt quæ componuntur ex vini generoſi & olei nucum æquis partibus, ex urina, aut quæ ex ſuprà dictarum herbarum decocto parata, oleum rutaceum, chamæmelinum, amygdalinum, anethinum, keirinum &c. admittunt. Talia etiam ſunt ſuprà enuntiata enemata ex lacte, decocto inteſtinorum, aut capitis vervecis, quibus ruta, abſinth. aneth. fœnicul. &c. incoqui poſſunt, additis mucilaginoſis, phil. Rom. opio, ther. recent. aliiſque ſimilibus.

Venæ ſectio, etiamſi ratione cauſæ morbificæ minus competere videatur, locum tamen hìc habere poteſt, tùm ratione doloris, tùm ad præcavendam inteſtinorum partiumque ipſis vicinarum inflammationem; perſeverante autem dolore poſt uſum purgantium ſumenda ſunt per os remedia quæ ſupradictis indicationibus ſatisfaciunt, inter quæ vinum cum ol. amygd. amar. extract. juniper. theriac. aut mithridat. atque etiam ſyrup. papav. alb. diacod. aut laudan. in juſculo non infimum locum obtinent, aut aq. vit. aq. theriacal. cinnam. aq. claret. ol. caryophyll. aut cinnam. ad gutt. aliquot; ſpiritus vitæ aureus Rull. ad ʒ. j. tinctura corticis aurantior. in ſpir. vini ad cochleare, ſpiritus vini & ſalis mixtorum an. ʒ. ss. oleum juniper. ad gutt. x. decoct. radic. galang. imperator. calam. aromat. in vino albo cum myrrha, aut ſpermat. ceti ʒ. ss. Pulveres digeſtivi & carminantes ex cortice aurantior. cinnam. anim. cumin. piper. decoct. allior. baccar. junip. veronicæ, quæ à Cratone ſpecifica cenſetur; item & herbarum, ſeminum & florum ſuprà dictorum &c. quæ dum celebrantur juvari debent ſemper per continuum balneorum, fotuum, atque etiam clyſterum modò purgantium, modò anodynorum uſum, imò etiam & per iteratas, ſi neceſſe videatur, potiones aut pilulas purgantes.

Inveniuntur apud Amatum & Zacutum Luſitan. Cratonem, Rodericum à Fonſeca, Panarolum, Pachequum, alioſque Veteres remedia pro ſpecificis, & ſecretis habita, ut album ſtercoris gallinæ, ſtercus lupinum exſiccatum, pulvis jecoris aut inteſtinorum lupi, teſticulorum equi in vino ad ʒ. ss. aut ʒ. j. exhibita; item infuſ. ſtercor. equin. aut ovill. in eodem menſtruo: ſed eorum omnium ſicut & aliorum ſimilium, quæ apud alios Auctores videri poſſunt, in colica ſedanda atque arcenda virtus mihi nondum perſpecta, nec aliis hujus ævi practicis, penes ipſorum fidem eſto.

Cùm verò non ſolùm conjunctæ colici doloris cauſæ obſiſtendum ſit, ſed etiam antecedenti, humoribus nempè corroſivis & velut cauſtica aciditate donatis, hæc ſecunda intentio, poſtquàm urgentioribus occurſum erit; optimè adimplebitur per uſum abſorbentium, coralliorum ſcilicet pulver. & oculor. cancr. margarit. præp. corn. cerv. uſt. antim. diaphor. &c. Per ſpiritus & ſales vol. decoct. ſudorific. juſcula, aut apozemata aperientia, incidentia, & calefacientia, aquas thermales, aliaque quorum antè mentio injecta eſt.

Colica denique Pictonum, quæ omnium eſt contumaciſſima atque periculoſiſſima, non diſpari à jamjam allata methodo curanda eſt; reſolventia namque attenuantia, ſudorifica, valida per vomitum atque ſeceſſum purgantia, ſpirituoſa, volatilia, &c. humores nervis impactos potenter eradicant & corrigunt; ſed in hac colici doloris ſpecie, ſi in qua alia, haud oſcitans debet eſſe Medicus; promptiùs enim auxilium requirit, ne morbificus humor in nervorum ſubſtantiam altiùs infigatur, undè deinceps difficilè dimoveretur; quare vomitoria etiam vehementia, purgantia valida, modò vires ferant, tùm in potionibus, tùm in clyſteribus præſcribi ſtatim, atque iterari pro re nata debent; minùs verò narcotica, niſi ad convulſiones potiùs quàm paralyſim & ſtuporem affectus inclinet. His inſuper remediis adjungendæ ſunt ſanguinis miſſiones non ſolùm ex brachio, ſed ex pede, imò & ex jugulari vena dum cerebri aut nervoſum vel minimum vitium apparet, atque etiam cucurbitulæ ſacri-

ficatæ

ficatæ ſecundum longitudinem ſpinæ dorſi, cauteria & ſetones collo inuſta; fricti̇ones ex liquoribus ſpirituoſis & ardentibus; totius capitis & ſpinæ, & earumdem partium embrocationes & irrigationes ex aquis thermalibus, laconica & hypocauſta, &, ut paucis multa concludam, inſtituenda hìc veniunt ea omnia quæ convulſioni, paralyſi, ſtupori, apta eſſe ſuo loco dicemus.

Cavendum tamen in remediorum cholicæ tùm bilioſæ, tùm flatulentæ, ſeroſæ, lymphaticæ, atque Pictavienſi convenientium adminiſtratione, ne eadem præpoſterè & perperam uſurpentur, & ne nimium calefaciendo bilis, ſi quæ ſit magis incandeſcat febriſque accerſatur; item ne nimis refrigerando humores impacti magis adhuc figantur, viarumque obſtructio magis augeatur; quare habita ſemper ratione temperamenti, ætatis, virium, victus rationis, & ipſius cauſæ morbificæ, aliorumque coindicantium aut correpugnantium in colici doloris curatione procedendum eſt, præmittendo ſemper quæ humores noxios evacuant, & à mitioribus ad validiora quantùm fieri poteſt progrediendo.

Cavendum quoque à præpoſtero & nimio uſu narcoticorum, ea enim dolorem quidem ad tempus conſopiunt, ſed cauſam morbum facientem retinent; imò aggeſtis de novo humoribus pravis propter relaxatas ab iiſdem partium fibras ſpirituſque ligatos vehementior plerumque paroxyſmus recurrit, cauſa morbifica novas, ut ita dicam, copias auxiliatrices recipiente.

Quod ad varia topica ſpectat aut amuleta, ut ſunt cucurbita umbilico applicata, ventris inunctiones, emplaſtra admota, inteſtina lupi ſicca in formam zonæ geſtata, aliaque quæ à pluribus Auctoribus magnis in hoc affectu ſedando aut arcendo efferuntur laudibus, ea omnia in hoc minimè credulo Medicorum ſæculo pro inutilibus habentur, & ad mulierculas, muliebres Medicos, atque Tonſores amandantur, ſi ſola lintea calida excipias, fotus, catellos per medium ſectos, vervecis recens mactati omentum & ventrem aut pellem, quæ etiam non niſi momentaneum, aut ſaltem horarium levamen afferunt.

NOTA.

AUctor noſter in hac editione ſatis exquiſitè diſtinguit Colicum dolorem à Nephritico, per urinas, quæ ſcilicet in principiis Colici craſſiores excernuntur, dum in Nephritici initiis claræ ac tenues ut plurimum exiſtunt. Sed melioris diſtinctionis, indeque promanantis Curationis accuratæ gratia, non inutile fuerit quod uno verbo ille attingit, ſcilicet ſimilitudinem ac diſſimilitudinem doloris Colici, ab eo qui ab Affectione oritur Hypochondriaca, paulò curioſius rimari: Colicæ enim Hypochondriacæ, ac Hyſtericæ præcipuum ſymptoma, eſt dolor circa cordis ſcrobiculum atrociſſimus, uti etiam humorum viridi colore infectorum per ſuperiora ejectio. In illa autem præprimis, poſtea quæ in paroxyſmo peragenda veniunt, quorumque ſelectio ac diſtributio, ab iis quæ in alia Colicæ ſpecie adhibentur, non multùm abludit, chalybis conferunt præparationes, ac aquæ ejus vitriolo prægnantes. De Colica Pictonum quam nomine illius quæ poſt longam afflictionem in Paralyſim abit, explicat Clariſſ. Auctor, addimus non de Celeberrimi Sydhenamii ſententia, nihil magis ei fugandæ facere, quàm ſi balſami Peruviani guttæ xx. xxx. vel xl. ſaccharo exceptæ, bis, vel ter in die propinentur. Si verò Paralyſis jam inde efformata ſit, tunc propriis remediis curari debet. De Specificis in omni Colicæ ſpecie, jam hìc paucis. Paſſihequus apud Riverium pulvere inteſtini lupi ad ℥. j. in pauco vino generoſo exhibito, morbum hunc ſanat; illudque remedii genus divinum Amatus Luſitanus appellat. Alii hepar ejuſdem animalis deſiccatum ac pulveratum, item teſtes equinos, ac etiam utriuſque ſtercus in pulverem redacta non parum commendant. Riverio præſentaneum eſt medicamentum cinis ſuberis quod doliivini ultra annum obturamento fuerit, dio-

ſis. ℥. j. in vino albo. Zinzibre præterea, caſtoreum ad. ℥. j. juſculum ex allio cum oleo olivarum, adjecta ſubdupla parte vini generoſi, dum allium umbilico admovetur: multigenorum animalium, (quicquid contra opponat Auctor!) applicatio, galbanetum Paracelſi ventri inunctum, item oleum ex lateribus, aut ex ſapone Hiſpanico, zibetta, ac caſtoreum in balſamo rutæ ſolutum, maximæ dicuntur efficaciæ. Horminum quinetiam, in decocto, aut eſſentia, convenienti vehiculo admixtum, flores ſulphuris ad. ℥. ss. in vino calido propinati, ſalia volatilia pauco opio maritata, ſordes aurium humanarum, priapus tauri ac cervi, fuligo pulverata, (quæ etiam in decocto per inferiora injecta non parum prodeſt) ſaccharum ſaturni, aqua deſtillata ſtercoris bovis junioris oleum amygdalarum dulcium cum vino malvatico, ac ſpermatis ceti. ℥. ss. Mercurius dulcis aliis medicamentis adjunctus, imò ipſa aqua fontana glacie refrigerata, (cujus effectus in Colica omnibus aliis ſurda, ipſe vidi) ſummopere deprædicantur. Nollem interea iis omnibus ita fidere, quaſi curam prorſus abſolvere deberent; quin potiùs venæ ſectionibus præmiſſis, ſubinde purgantia benigniora, imò quandoque generoſiſſima (ut in Colica illa quæ Anno 1693. totam prope Helvetiam quaſi Epidemicè afflixit, neceſſariò factum eſt) ſubindè intercalarem; non omiſſis etiam clyſteriis ab Auctore indicatis.

CAPUT XIII.

De Ileo, ſeu Iliaca paſſione.

ILeus ſeu Iliaca paſſio dictus eſt hic affectus, vel ab ileo inteſtino quod præ aliis in hoc morbo laborare crediderunt Auctores, vel à verbo Græco εἱλεῖσθαι, id eſt convolvi, ex eo quod inteſtina convolvi & complicari à quibuſdam cenſeantur, undè Latinis *Volvulus* & *Convolvulus* nominatur; aliis κορδαπ'ις dicitur, quia admota ventri manu plerumque chordæ veluti tenſæ & duriter contortæ ſpeciem ſentit, Barbaris verò *Miſerere mei*, quia ægrotantes tàm atrociter, tàm funeſtè affligit ut miſeratione digni Dei, hominum, & Medicinæ opem implorare magis quàm alii aliis morbis detenti videantur.

Verùm etiamſi tales omnes nomenclaturas longo temporis ſucceſſu confirmatas retineamus, non tamen cum Nomenclatoribus credimus affectum hunc magis ad ileum inteſtinum quàm ad alia pertinere, ut ex infrà dicendis patebit; neque illa ita convolvi & contorqueri ut chordam aut nodum æmulentur; meſenterium enim, cujus limbo tota ferè adhæret & connectitur inteſtinorum fiſtula, à ſtomacho ad anum, atque ipſa etiam eorumdem ſtructura, ſitus, & diſpoſitio talem in ſpiram aut nodum contorſionem & complicationem impediunt, ut cuivis Anatomiæ perito manifeſtum eſt.

Ut ergo ad rem ſtatim accedamus, definimus Ileum dolorificam & peracutam inteſtinorum paſſionem, in qua cum ſumma alvi adſtrictione, ventris inflatione & murmure, adeſt præpoſterus & inverſus eorumdem periſtalticus motus, quo ructus copioſi, humores varii fœtidi, corrupti, & verſicolores, aſſumpta omnia, imò quandoque excrementa & fœces ſuperiora verſus & ſtomachum propelluntur, & indè per œſephagum & os excernuntur.

Ut autem motus ille inverſus & antiperiſtalticus faciliùs innoteſcat, ſicut & ratio qua ipſe peragitur, explicandus hìc venit naturalis & periſtalticus inteſtinorum motus humores & excrementa verſus inferiora detrudens; qui etiam vermicularis dicitur, ex eo quod ſucceſſivè fiat & lumbricorum terreſtrium motum progreſſivum æmuletur. Ille itaque perficitur à duodeno ad anum uſque potiſſimùm per orbiculares, ſeu annulares muſculoſaſque fibras, quibus media inteſtinorum tunica ſecundum totum eorum ductum contexta eſt, quæ fibræ à partibus ſuperioribus ad inferiores conſtringuntur non ſubitò & omnes ſimul, ſed lentè & ſucceſſivè, ſicque ſucceſſiva fit contentorum verſus inferiora propulſio, eo prorſùs,

sùs, modo quo de motu ſtomachi conſtrictivo & naturali dictum eſt ubi de Vomitu. Motus verò ille quia verè muſcularis eſt, ſingulæ namque fibræ, aut earum exigui manipuli ſunt veluti totidem parvi ſphincteres inteſtinorum cavitatem anguſtantes, à ſpiritibus animalibus in dictis carneis fibris expanſis copulamque ſuam elaſticam vel à ſanguine, vel à contentis quibuslibet prodeuntem explodentibus, tanquam à cauſa efficiente dependet; cui operi non parum conferunt, hinc diaphragma in deſcenſu ſeu ſyſtole ſua ſtomachum & inteſtina comprimens inter inſpirandum, indè epigaſtrici muſculi eaſdem partes inter expirandum introrsùm propellentes.

Ex his arguitur facilè naturalem inteſtinorum motum rectè ſemper procedere debere, quoties conſtrictæ annulares illorum fibræ ſucceſſivè, gradatim, & alii poſt alios illarum manipuli, lento tamen gradu contenta in ſua capacitate, ſeu alimenta ſint; ſeu humores varii & excrementa, verſus inferiora protrudunt, ſi namque vel à bile aut ſucco pancreatico acrioribus aliiſque humoribus perextrema vaſorum in inteſtina deſinentium eructaris, aut ab aſſumptis cathartici, quæ omnia internam inteſtinorum membranam nervoſam & valdè ſenſibilem laceſſere aut ſpiritus ibidem hoſpitantes plus æquo commovere & agitare apta nata ſunt, orbicularium fibrarum conſtrictio celeriùs quamvis ſucceſſivè perficiatur; tunc motus inteſtinorum, quanquam verè periſtalticus, non tamen verè naturalis eſt, utpotè minùs lentus, atque inde peti debent omnes alvi fluxus ſpecies de quibus infrà agetur.

Quòd ſi ſuborto quacunque de cauſa inteſtinorum ductu repagulo viam à ſuperioribus ad inferiores contentis humoribus, alimentis, aut excrementis denegante, motus inteſtinorum naturalis interrumpatur atque cohibeatur, quid aliud indè ſubſequi poteſt, niſi eorumdem contentorum mutato termino à loco ubi retenta ſunt ad partes ſuperiores refluxus, qui motus periſtaltico planè contrarius eſt, ac proindè antiperiſtalticus. In eo autem motu inteſtinorum inverſo reverà ſita eſt iliacæ paſſionis ratio, qui ideò directionem ſuam mutat & ab interpoſito obice ad partes ſuperiores ſtomachum & œſophagum uſque ſucceſſivè tranſcurrit, quia annulares fibræ parti affectæ finitimæ, quæ contenta propter obſtans repagulum ulteriùs & per inferiores vias pellere non poſſunt, eadem per ſuam contractionem ad viam, quæ unica eſt, planè oppoſitam protrudunt, idque ſucceſſivè, ut de motu periſtaltico dictum eſt, quia ſucceſſiva fit earumdem fibrarum quamvis inverſa contractio.

Quod ut clariùs adhuc pateat, ſciendum eſt muſculares inteſtinorum, quæ motum eorumdem perficiunt, fibras officio ſuo ſeu contractione fungi, non ſolum per copulan exploſivam à ſanguine ſuggeſtam & ſpiritibus animalibus à plexu ſolari, aliiſque meſentericis ſuppeditatis accreſcentem, ut in aliis muſcularibus motibus accidit, ſed etiam per miaſmata atque corpuſcula ab iis quæ in inteſtinorum cave continentur erumpentia, & membranam eorum internam exquiſito ſenſu donatam ſtimulantia; emanant namque ab ipſis lenioribus chylo putà, alimentis aſſumptis, multò magis à bile ex poris biliario & cholidocho decidua, ſucco pancreatico aliiſque pravis humoribus, quibus ſemper primæ viæ ſcatent, particulæ quædam ſubtiliores ſulphoreo-ſalinæ plùs minùs elaſticæ & irritantes, ſpirituſque ad expanſionem provocantes, undè dictarum fibrarum contractio ex parte dependet: quare hæ ipſæ in motum conſtrictivum adactæ qua parte loco affecto & obici vicinæ ſunt, ibique motum ſuum jam terminatum renovantes, ſeu propter ſupradicta corpuſcula à contentis quibuſcunque prodeuntia, quæ certè eò acriora ſunt, quò longiorem in inteſtinis moram fecerunt, ſeu propter majorem ſpirituum a variis cauſis exagitationem & influxum, quidquid inteſtinorum cavitas hìc loci inculdit, verſus ſuperiorem & ſibi vicinum eorumdem canalem propellunt; ubi novi in orbicularibus fibris

ab

ab iiſdem contentis acrioribus conſtrictivi motus excitantur, ſicque ulterior fit dictorum contentorum in aliam & quidem ſuperiorem inteſtinalis fiſtulæ partem propulſio, & indè pariter in alteram, donec perrupto orificii ſtomachi inferioris janitore ſeu piloro, propter vehementem fibrarum muſcularium conſtrictionem in ejus cavitatem exundent, ex qua per magnam pariter & ſubitam ſpiritibus inibi hoſpitantibus inductam commotionem atque expanſionem violento & ſubito ventriculi conſtrictivo motu epigaſtricorum muſculorum contractione forti adjuto, in quo vomitus conſiſtit, per œſophagum & os tandem excluduntur.

Neque enim exiſtimandum eſt ſpirituum animalium inteſtinis miniſtrantium influxum ita fieri, ut in duodenum primò, deindè in jejunum, & hinc in ileum &c. ſucceſſivè & neceſſariò deferantur, ad motum inteſtinorum à fibris ſuperioribus ad inferiores transferendum; perindè enim ferè eſt, ut ita dicam, dictis ſpiritibus æqualiter inteſtino cuilibet diſpenſatis qua parte fibrarum muſcularium contractionem incipiant, ſeu à ſuperioribus ad inferiora, ſeu iterùm ab inferioribus ad ſuperiora; quanquam non negandum cæteris paribus & corpore rectè conſtituto deorsùm potiùs quàm ſurſùm tendere talem motum ab humoribus, & contentis variis deſcendentibus determinatum, nec immutari, ut jam dictum eſt, niſi obſtante aliquo talem directionem atque determinationem impediente; ſpiritus itaque animales, quos meſenteri nervei plexus ab intercoſtali nervo derivati inteſtinorum motui contrictivo impendunt, quique ipſorum fibris muſcularibus ſecundum totam eorum longitudinem per varios ramulos diſpenſantur, in ſtatu naturali contentos humores, alimenta aut excrementa per alvum deturbant, cùm verò enata alicubi obſtructione, inflammationem, tumore, aliiſque, quæ inferius inter cauſas ilei recenſebimus, conſtrictio inteſtinorum vermicularis, quæ huc uſque contentam materiam protruſit, ſemel interumpitur, iidem ſpiritus hanc ipſam in partem, ubi à contentis facta irritatio ipſis ſtimuli loco eſt, copioſiùs delati ibique magis exagitati & veluti rarefacti motum conſtrictivum redintegrant ad partes ſuperiores ſucceſſivè ſerpentem, per quem retrocedunt quæ antea progreſſa erant, non diſpari ratione ac lumbricus terreſtris in aliquid, ingratum fortè occurrens per inverſum ſuum progreſſivum motum ſæpe retrograditur.

Cùm verò præcluſam inteſtinorum viam aſſerimus ad ilei naturam ſtatuendam, hoc non ita ſtrictè intelligendum volumus, ut ſemper omnimoda ſit alvi ſuppreſſio, & injecti clyſteres neceſſariò uſque retineantur; quamvis enim hoc frequentiſſimè contingat, concipi nullo negotio poteſt, cùm à parte inteſtinorum affecta & obſtructa ad anum liber ſit tranſitus, contentas ſubter fœces injectaque enemata rejici & eliminari ſaltem aliquando poſſe; quod divini Senis hiſtoriæ 3. *Epidem. ſect.* 2. de muliere volvuloſa, quæ apud Tiſamenum habitabat, quæque dejectiones tenues, crudas, & paucas habuiſſe dicitur, optimè congruit ſicut & aliorum practicorum obſervationibus, neque enim tanta in inteſtinorum ductu obturatio ſemper ſupponenda eſt, quæ nihil unquam per eorumdem canalem quoquo modo tranſire permittat; ſi enim gravibus Auctoribus fides eſt adhibenda viſi ſunt iliaca paſſione laborantes, in quibus injecti clyſteres & immiſſa in anum ſuppoſitoria etiam filis fortibus ad coxam alligata ſurſùm rapta ſunt & vomitu tandem rejecta; quod convulſivo inteſtinorum motui ſeu arctæ contractioni à recto propter intenſam irritationem ab ulcere inflammatione, aliiſque acrioribus cauſis factam incipienti, & per colum, ileum, aliaque inteſtina continuatæ tribuendum eſt.

Ea ſcilicet eſt inteſtinorum diatheſis ad ſe invicem atque compoſitio, ut fibroſa eorum ſeu muſcularis & carnea tunica ſenſim, ſenſimque a duodeno ad anum progrediendo magis carnoſa ſit, fibriſque craſſioribus atque fortioribus compaginetur, ita ut jejunum paulò robuſtioribus

duodeno fibris conſtet, ileum jejuno, colon ileo, rectum colo, anus ſphincterе muſculo omnium fortiſſimo; quare ſi in coli extremo, in recto, partibuſque ano vicinioribus primaria ilei cauſa non quidem obſtruens, ſed irritans, convulſiva & ſpiritibus animalibus motum præternaturalem & ſpaſmodicum concilians extiterit, ſeu illa à ſanguine ſuggeratur, ſeu ab excrementis, aliiſque contentis pravis & acrioribus; &c. indè ſequitur quod dictæ partes ſervata quam inter ſe habent fortitudinis proportione, contractæ inferiores fortiores fortiùs, ſuperiores debiliores debiliùs, ea quæ in inteſtinis continentur verſus eam partem propellant, quæ minùs renititur, adeoque ab ano & recto ad colon, à colo ad ileum, indè ad jejunum, duodenum atque ventriculum &c. atque indè deſumendam puto rationem, cur quandoque ileo laborantes ita conſtrictum habent anum atque rectum inteſtinum, ut nec clyſterem, nec ſuppoſitorium, nec aliud quidquam recipere niſi difficulter poſſint, & cur talia vi impellentis extrinſecus reſiſtentem harum partium & contractivum niſum ſuperantis adacta aliquando ſurſum rapiantur, & perruptis coli & cœci valvis ad ſtomachum aſcendant.

Ex dictis patet partem affectam non ſemper eſſe inteſtinum, ſed aliquando etiam jejunum, colon, imò cœcum & rectum: duodeni enim paſſio, utpotè ſtomachi vicinioris, ad vomitum potiùs quàm volvulum ſpectat; cùm enim cauſæ ileum producentes, de quibus jam jam dicturi ſumus, in uno pariter atque alio inteſtino ſedem ſuam figere poſſint, deſcenſumque contentorum ſive progreſſum ad inferiora præpedire, & præterea chylacea quandoque & bilioſa materia tantùm quandoque excrementitia & ſtercoroſa, modò citius, modò tardius vomitu rejiciatur, indicio eſt modò jejunum, modò ileum, modò craſſa inteſtina affecta eſſe.

Neque his objiciatur ſupradictam inteſtinorum ſtructuram, quæ à ſuperioribus ad inferiora magis magiſque carnea & fibroſa eſt, ac proindè majoris & fortioris conſtrictionis capax, periſtaltico & naturali inteſtinorum motui planè contrariam eſſe, & per conſequens fœces colon jam occupantes naturaliter aſcendere potius quàm deſcendere debere; quanquam enim hoc ita contingere verum ſit in intenſa & maximè convulſiva inteſtinorum craſſorum conſtrictione amplam ipſorum cavitatem ſtrictiſſimè anguſtante, iiſdemque inteſtinis primariò affectis & à cauſæ præſentia laceſſitis; non tamen corpore ſecundum naturam ſe habente perindè eſſe poteſt, cùm motus periſtalticus & vermicularis, qui minus intenſus & minus validus eſt, à partibus ſuperioribus incipiat à contentis deſcendentibus incitatus, nihilque ſit quod illius determinationem mutet, & inſuper anguſtior ſuperiorem & tenuium inteſtinorum capacitas ſenſibiliorque interna tunica in magis vaſtam minuſque ſenſibilem inferiorum cavitatem facilius ſe exoneret.

Cauſæ quæ tritam inteſtinorum viam ſolent præcludere, aut ſaltem deſcendentibus alimentis, humoribus, & excrementis tranſitum prohibere, eorumque proindè ad ſuperiora refluxum promovere (ut nunc ordinatim afferantur) ſunt primò induratæ fœces & ſicciores, ſive hoc ex calida viſcerum intemperie partes excrementorum tenuioros diſſipant, craſſioreſque condenſante dependeat, ſive ex deficiente inteſtinali muco tunicam inteſtinorum internam obliniente & ad faciliorem ſeceſſum deſtinato, ſive demum ex impedito humoris bilioſi ſeu clyſteris naturalis è cyſtide fellea & jecore in duodenum effluxu; undecunque enim excrementa in colo cœco, recto inteſtinis retenta & congeſta duriora facta ſint, concipi facilè poteſt eadem tùm duritie ſua, tùm copia canalem eorumdem obturatum iri, nec facili negotio per ſeceſſum deturbari poſſe, quò fit, ut denegato inferno exitu, ſupernum quærere, eo quo ſupra dictum eſt modo, neceſſe habeant.

Quod de fœcibus indurati dictum eſt,

pari

pari ratione de globulo vermium, calculo grandiori in inteſtinis genito, aut nucleis ceraſorum aut prunorum magna copia in colo aut cæco aggeſtis & retentis dici poteſt; lumbricos enim invicem convolutos & conglomeratos plerumque in inteſtinorum cavitate hoſpitari, humores viſcidos & lymphaticos in lapideam molem quandoque concreſcere & excreſcere, nucleoſque ſuprà dictos accumulari in craſſis inteſtinis, & potiſſimùm in cæco, obſervationes practicæ docent.

Non minùs verò frequens ilei cauſa exiſtit hernia inteſtinalis ſeu inteſtini tenuis in ſcrotum aut in inguen per vaginalem peritonæi proceſſum deſcenſus & lapſus, cùm enim duplicatum ſemper inteſtinum, & ſæpè duro excremento plenum cum meſenterii portione cadat extra abdominis clauſtrum, indeque alimenta & excrementa minùs liberè pertranſeant, aut diutius inibi commorentur & abdureſcant, ſequitur non rarò eadem ad ſuperiora refluere, remoram in dictis partibus invenientia, eò magis quòd lapſum & ab annulari hypogaſtrii foramine ſtrangulatum inteſtinum facilè inflammatur & difficilè reſtitui in ſuum locum poteſt.

Inflammatio quoque ut alii tumores potiſſimùm ſkirrhoſi ſecundum inteſtinorum ductum progeniti, in eorum ſcilicet ſubſtantia, aut in partibus ipſis adfacentibus, pancreate nempè, meſenterio liene, utero, &c. iliacam paſſionem invehere valent, in quantum vel parietes ſeu tunica inteſtinorum nimium ineraſſando, vel eaſdem comprimendo tranſeuntibus humoribus & excrementis iter occludunt; undè eorum retrogreſſus ſubſequitur; cui operi non parum plerumque confert dolor partis ab inflammatione aut alio tumore irritatæ aut diſtentæ, qui ad appulſum materiæ contentæ multum exaſperatur, quo fit cùm fibræ muſculares præ dolore ſe ſe conſtringere facilè non poſſint, materia, quæ ad inflammatam aut quoque modo dolentem partem jam pervenit, non ultra progrediatur, ſed hìc hæreat, donec contractæ proximæ ad phlogoſim aut tumorem fibræ ſupernæ, quæ minus affectæ ſunt, ſuperiora verſus contentorum ſuorum expulſionem moliantur.

Humores valdè acres inteſtina vellicantes atque exulcerationes notatu dignas efficientes hunc etiam affectum parere apti nati ſunt, quatenus fibræ vel nimium & diutius ab irritatione conſtrictæ, vel minus ob eroſionem contrahere ſe valentes contenta retinent, aut ultra pellere nequeunt, eò magis quò ab illorum ùtpotè acrium tranſitu pars affecta magis ac magis eroditur; Convulſio item inferiorum potiſſimùm & magis carneorum inteſtinorum, quæ vel ex dictis humoribus acribus aut ſulphureo-ſalinis ſpiritus animales præternaturaliter exagitantibus, & explodentibus pendet, vel ex quacunque alia copula exploſiva à ſanguine, aut contentis præbita volvuli patens eſſe quandoque poteſt, non diſpari modo ac convulſivus ſtomachi motus vomitum efficit; ſicut enim contractio fibrarum inteſtinalium moderata, lenta, atque ſucceſſiva motum periſtalticum & naturalem efficit, ita earumdem intenſa, vehemens, promptaque quamvis ſucceſſiva conſtrictio citiuſque ab uno ad aliud inteſtinum excurrens motum inteſtinorum inverſum ſeu antiperiſtalticum creat, qui ad ſuperiora potius quam inferiora dirigitur; vel quia à craſſis inteſtinis, ubi pravi humores & excrementa magis commorantur, principium ſuum accipit, vel quia, ut ſupra incultatum eſt, carneæ magis inferiorum inteſtinorum fibræ atque robuſtiores in contractione ſua aliis ſuperioribus minus carneis atque robuſtis prævalent, ac proindè motum convulſivum primò & fortius ſuſcipiunt, qui deindè ad alia ſuperiora inteſtina à validioribus ad minus valida ſucceſſivè transfertur; atque hanc ultimam cauſam accuſari debere putandum eſt in ea iliacæ paſſionis ſpecie rara, in qua clyſteres injecti aut ſuppoſitoria in anum immiſſa ſurſùm rapiuntur & vomitu excluduntur, in hoc namque caſu quia nullus obex, nulla obſtructio inteſtinorum canalem occupat, quæ in rectum & co-

lon ſemel immiſſa ſunt forti & valida ſphincteris muſculi actione, recti & coli robuſtioribus fibris ſursùm & ad ventriculum uſque propelluntur.

Grangræna & paralyſis inteſtinorum eadem prorſus ratione ileum inducere, quanquam rariùs, valent, modò ſcilicet geminus ille affectus ad integram ipſorum fiſtulam non extendatur, ſed ad aliquam tantum partem, ſecus enim nec vomitus neque feceſſus ſuccederet; hoc verò ita contingere exiſtimandum, quia ea inteſtinorum pars, quæ vita, ſenſu, aut motu caret, excrementa & humores contentos ulterius protrudere minimè valens eadem retinet atque remoratur, donec aut copia aut duritie obſtructionem integram efficiant, quæ contentorum ad vias ſuperiores refluxui occaſio eſt, ſed gangræna ilei ſæpiùs effectus quàm cauſa eſt.

Flatus inteſtinorum tunicas præter modum diſtendentes iliaci affectus cauſam non valdè raram eſſe fatebitur quiſquis attendet quantum iis generandis atque coacervandis primæ viæ proclives ſint, & quantum ipſimet in dictis partibus redundantes inteſtinorum conſtrictionem, quæ ad feceſſum naturalem abſolvendum requiritur, impediant: idem namque inteſtinis accidit nimio flatu diſtentis, quod veſicæ urinariæ copioſiori lotio tumefactæ, quæ vix ac ne vix quidem onus ſuum excutere poteſt propter eſtenſas ultra tonum & modum ejus muſculares fibras, in quas proindè animales ſpiritus influere nequeunt ad earum contractionem peragendam; ſimiliter dum flatus ex crudis, dyſpeptis, aut flatulentis eduliis prodeuntes, aut ſtomachi cruditate, aut ex variorum ſuccorum efferveſcentia ſemel in inteſtinis ſatis magna copia congeſti ſunt ad eorum tunicas præter modum dilatandas, eorum muſculares fibræ, utpotè elongatæ magis quàm par eſt atque attenuatæ, decurtari & craſſeſcere non ita poſſunt, quod ad eorum actionem requiritur, quia ſpiritibus in eas aditus intercluditur, donec iidem flatus aut diſſipati ſint aut excreti. Huic cauſæ conſortium præbet ſæpiſſimè excrementorum retentorum copia, durities, atque ſiccitas? cùm enim inteſtina diſtenta ſe ſe conſtringere minimè valeant ad contenta ſua propellenda, eadem reſtagnare, accumulari, & per moram obdureſcere neceſſe eſt.

Quod ad complicationem & circumvolutionem inteſtinorum ſpectat, quam veteres Medici pro cauſa ilei tanto rumore adſtruunt, ea ſi ita illis intelligatur, aut inteſtina quaſi nodum efficiant aut in ſpiram chordæ inſtarcontor queantur, nequaquam admittenda videtur, cùm eorumdem diſpoſitio, ſitus, atque connexio, ut ſuprà innuimus, huic omninò repugnent, & Anatomia demonſtret inteſtina meſenterio alligata minimè nodari aut contorqueri poſſe; ſi autem concipiatur unam inteſtini partem in aliam nimis dilatatam ſecundum faciem ejus interiorem ingredi, ſeu ſuperiorem in inferiorem, ſeu inferiorem in ſuperiorem, eo ferè modo quo chyrothecæ inverſæ è manu extractæ digiti complicari ſolent, certum eſt & apud ſaniores Medicos receptum factam ſic inteſtinorum complicationem ileum nonnunquam parere poſſe, quod in defunctis hoc morbo laborantium cadaveribus quandoque deprehenſum eſt. Talis verò convolutio, quæ cum excrementorum retentione ut plurimùm conjuncta eſt ſemper cum flatibus tunicas inteſtinorum admodùm inflantibus, ita fieri videtur, quando ſcilicet iidem flatus à partibus ſuperioribus ad inferiores, vel vice verſa rapidius excurrentes, & repagulum quoddam humoris putà, excrementa, &c. incurrentes non facilè cedentia, partem inteſtini dilatatam ultra obicem protendunt, ex quo ſequitur partis inteſtini minus diſtenſæ in eam quæ magis diſtenſa eſt ingreſſus concurrente etiam ad hoc opus fibrarum partis inteſtini ingredientis corrugatione atque contractione, dum aliæ quæ ad partem recipientem pertinent prænimia diſtenſione contrahere ſe nequaquam poſſunt. Ex ea ergo inteſtinorum diſpoſitione ſequitur viam à ſtoma-

cho

cho ad anum minimè patulam esse, sicque alvi contenta mutata cursus sui directione ab inferioribus ad superiora modo jam satis explicato retrogredi debere.

Exerit se statim hic affectus per signa æquivoca colico dolori, cui valdè affinis est, & à quo originem plerumque trahit, communia; nempè per dolorem intensum atque excruciantem in regione abdominis cum ejusdem inflatione, tensione, atq; murmure: Secundò per flatus per os copiosè excretos, assumptorum variorumque humorum vomitiones: Tertiò per alvum summè adstrictum, inquietudines, nauseas, fastidia, spirandi, imò etiam & mejendi & tussiendi difficultates; quæ omnia ex tunicarum intestinalium irritatione, distensione, erosione, plenitudine à flatibus, humoribus variis, & excrementis excitata peti debent, atque etiam ex pravorum humorum in stomachum refluxu, impedito bilis ad partes inferiores descensu; vesicæ demum & diaphragmatis compressione, &c. Si quædam tamen ilei ex prædictis signis diagnosis statuenda est ipsum à colica passione discriminans, dolor est, multò magis torquens, inflatio atque distensio vehementiores, eminens magis & renitens venter, borborygmi majores & frequentiores, alvus adstrictior, ne dicam omninò clausa, vomitus sæpiùs repetens pravosque magis bilioſos, chylaceos, atque fœtidos humores excludens; uno verbo sæviunt magis omnia symptomata propter causarum vehementiam, corruptorum humorum, nec non excrementorum retentionem atque effervescentiam, eorumdemque ad partes superiores, quæ sunt magis nobiles atque sensibiles, retrogressum. Progrediente autem affectu, quod diagnosim facit certiorem, vomitus enormis est non solùm ratione copiæ excretorum humorum sed ratione qualitatis, cùm materia rejecta non tantùm porracea, chylacea, & fœtida ob diuturnam moram sit, verum etiam summè putrida & quandoque stercorosa ab interioribus nempè intestinis derivata; alvus omnimodè supprimitur, & si clysteres ingesti quandoque rejiciantur, quod tamen secus plerumque accidit nihil à stomacho ad anum pertingit, partes extremæ, imò & totum corpus refrigerantur, pulsus debilis & minutus est, animus delinquit, sudor manat frigidus ob minus vegetum & multum fatiscentem cordis stomacho compatientis contractivum motum.

Causæ iliacam passionem producentes ita invicem internosci debent, si nempè fœcum retentio, copia, & siccitas atque durities morbo occasionem dederint, alvi constrictio præcessit & quidem longa, excrementa admodum sicca antè rejecta sunt; adest intemperies viscerum calida, aut obstructio hepatis bilis secretionem impediens, morbus non est ita acutus, nec dolor statim intensus nec tantus initio tumor abdominis. Si à globulo vermium pendeat, erit ætas juvenilis lumbricis generandis proclivis, vermes antè excreti erunt, aut usu remediorum per morbi durationem excernentur, aderit dolor pungens & subitus à vermibus intestina mordentibus petendus; denique aderunt signa lumbricorum in sequentibus afferenda. Si à calculo in intestinis genito, quæ causa rarior est, procedat ileus, certè non nisi ab excreta materia lapidea, aut per absentiam omnium aliarum causarum dignosci potest.

Inflammatio aliique tumores duri & prægrandes in abdomine geniti & intestina comprimentes aut coarctantes se se manifestabunt, phlogosis quidem per febrem acutam statim apparentem, calorem & dolorem admota ventri manu se prodentem, sitim & æstum præcordiorum atque viscerum, vomitum bilioſum, linguæ siccitatem & nigredinem, &c. Tumores verò skirrhosi in mesenterio, pancreate, utero, liene aliisque partibus intestinorum fistulæ adjacentibus exorti demonstrabuntur tum per prædictorum signorum absentiam, tum per duritiem in hac aut illa abdominos parte prementibus digitis obviam, tum etiam ex eo quod morbus non subitò, sed successivè, grandescente scilicet tumore invaserit,

tum denique ex tardiùs ſubſequentibus ilei ſymptomatis.

Hernia inteſtinalis ileum pariens, quia per ſe patet & ex ægri relatu innoteſcere poteſt nulla diagnoſi indiget; flatus verò huic affectui originem præbentes dignoſcuntur ex ventris inflatione, ſonitu, dum percutitur, & murmure atque rugitibus, item ex flatibus aut invaſionem morbi aut ipſo ſæviente per ſuperiora & inferiora excretis, ex cruditate ſtomachi, ex ciborum flatulentorum uſu, temperamentoque ad flatus generandos idoneo.

Humores acres, erodentes atque exulcerantes volvulum inducentes deſignabuntur per ventris cruciatus & tormina etiam ante morbi adventum, item per cruentas quandoque aut purulentas alvi dejectiones, aut diarrhœas excruciantes dictum affectum præcedentes. Gangræna autem & paralyſis inteſtinorum, ſi quæ ſit, quæ iliacæ paſſionis cauſa extiterit, indigitabitur per frigiditatis ſenſum in abdomine & partibus externis, per phlogoſim præcedentem, per imminutionem doloris initio morbi, eumque ſucceſſu temporis prorſus evaneſcentem, per pulſus obſcuritatem minorem ſymptomatum ſævitiam; quanquam non minùs periculoſus affectus ſit concurrente ſemper aliorum ſignorum alias cauſas demonſtrantium abſentia.

Convulſio inteſtinorum ſi mera ſit, nec aliis cauſis obſtruentibus conjuncta, difficilem admodum diagnoſim habet, nec innoteſcit niſi forſan per enemata ſurſum aſcendentia atque per vomitum rejecta, aut per vomitus promptiores atque frequentiores, ſpaſmus namque inteſtinis adveniens facilè ab inferioribus, ubi incipit ob magis carneam eorum ſubſtantiam, ad ſuperiora & ad ſtomachum migrat, & non longè ab ineunte morbo vomitus fœtidus & ſtercoroſus ſupervenit.

Tandem inteſtinorum complicatio eo quo ſuprà dictum eſt modo adveniens, cujus notitia non niſi valdè obſcura & incerta haberi poteſt, conjicietur ex ſuprà dictarum omnium cauſarum abſentia, ſi flatus excipias ex quibus illa ſemper ortum ſuum accipit, quæ ſi à ſuperioribus ad inferiora facta fuerit, uſu remediorum potiſſimùm ponderoſorum atque purgantium per os aſſumptorum magis increſcet, ſecus verò ſi ab inferioribus ad ſuperiora. Quia verò cauſa ilei multiplex multifariam conjungi atque combinari poteſt, varia quoque requiritur ad eam dignoſcendam ſignorum ante dictorum ſyndrome & conjunctio, ex quibus cauſarum morbum facientium multiplicitates & compoſitio patebunt.

Quod ad locum affectum ſpectat, hoc eſt ad eam inteſtini ſeu tenuis, ſeu craſſi partem in qua obſtructio, inflammatio, tumor, complicatio, &c. primò excitata ſunt, illud notum fiet ex doloris ſitu in hac aut illa abdominis parte, item ex ejuſdem intenſione, quæ in tenuibus inteſtinis utpotè magis ſenſibilibus magis ſe exerit, ex vomitu promptiùs aut tardiùs conſequente, eodemque chyloſo, bilioſo, aut fœtido, ex tumore hìc aut illic deprehenſo, aliiſque pluribus indiciis de quibus in præcedenti capite dictum eſt.

Febris in hoc affectu, etiam citra inflammationem, aliquandò ſtatim aliquando tardiùs apparet pro varia cauſæ morbificæ natura & vehementia; ea autem ut plurimum ex dolore repetenda eſt, cujus intenſio maſſam ſanguineam exagitat, ſæpè ex particulis chyli impurioribus, quæ, quia per vias inferiores expurgari non poſſunt, in ſanginem per ductus chyliferos transfunduntur, ubi ratione ſuæ heterogeneitatis fermentationem immodicam & præternaturalem cient, ſemper ex recrementis ſanguinis in ipſius alveo conſequenter ad alvi conſtructionem, indèque ſequentes viſcerum & colatoriorum infractus magis reſtagnantibus.

Affectum hunc periculi plenum, imò & funeſtum ut plurimum ſtatuunt omnes Medici, nec ſine ratione, eſt enim ſæpè acutorum acutiſſimus cum magna ſymptomatum ſævitia una aut duabus diebus ſua percurrentes tempora; quanquam tamen ad pulres quandoque dies, à minùs vehemente ſcilicet cauſa dependens, protelari poſſit; majus verò aut minus portendit periculum pro varietate ſuæ

cau-

cauſæ: ſic qui à globo vermium, flatibus tantùm, fœcibus induratis, hernia inteſtinali non valdè notabili, & inflammatione carente, &c. originem ducit, curationem ſaltem initio faciliùs recipit; qui verò ab inteſtinorum inflammatione, tumore, gangræna, paralyſi, convulſione, complicatione à ſuperioribus ad inferiora potiſſimum facta aut ab obſtructione pertinaci & confirmata procedit, periculoſiſſimus cenſetur atque ſæpè incurabilis.

Ad curationem ilei variè ſe accingere debet Medicus; quandoquidem diverſam atque multiplicem cauſam agnoſcit, ſi itaque induratæ & ſicciores fœces affectui ortum dederint, adhiberi ſtatim debent balnea & fotus abdominis emollientes & laxantes, copioſus & iteratus ptiſanæ uſus, item & juſculorum quibus plantæ emollientes incoqui poſſunt atque etiam refrigerantes, æſtuantibus præſertim viſceribus, dilutum caſſiæ & prunor, huic ſcopo perindè ſatisfacient, atque etiam oleoſorum, pinguium, & mucilaginoſorum uſus, minimè prætermiſſis, imò frequenter injectis enematibus emolliendi, humectandi, leniendi, imò & refrigerandi facultate donatis, cum catholic. diaprum. ſimpl. & compoſ. butyr. ol. amygd. dulc. liliorum, melle violaceo, roſaceo & communi pulpa caſſiæ &c. quibus deindè omnibus purgantia primò mitiora, deindè paulò validiora in plures doſes præſcripta ſuccedere debent; interim non negligenda initio phlebotomia, ſi plethora adſit aut intemperies viſcerum & corporis calida, ſicut nec alia plurima refrigerantia quæ in præcedentibus relata ſunt. Uno verbo vocanda ſunt in auxilium ea omnia quæ in ſequenti capite, ubi de alvi adſtrictione agetur, exponenda & recenſenda ſunt, & quæ inferius ubi de obſtructionibus, ſi hepatis infarctus clyſteris naturalis injectionem, hoc eſt bilis è cyſtide fellea in duodenum effluxum impediat.

Idem procedendi modus valet in calculo inteſtinorum ductum obturante, atque etiam in globulo vermium, ſuperadditis tamen in poſtremo caſu vermes necantibus, fugantibus, aut diſſolventibus, quorum inferiùs ſuo loco fiet mentio.

Si ramex ſeu hernia ab inteſtino in ſcrotum dilapſo pendens illum pariat, quatenus ſtrangulatum in tunica erytroide ſeu vaginali inteſtinum, idemque excremento indurato tumidum viam ad anum intercludit, tunc uſurpanda ſunt balnea cataplaſm. fotus emollient. inunctiones parti tumenti applicandæ, ad hoc ut emollito tumore contentiſque inteſtino curſum ſuum liberiùs peragentibus, idem in ſuum locum, ſive intra clauſtrum abdominis reduci poſſit; quòd ſi facilè & in ſitu ægri ſupino præſtari non poſſit, declivi capite & corpore ejuſdem, elatiſque ſurſum & divaricatis cruribus tentandum eſt, abſente præſertim dictæ partis inflammatione, blandè tamen, ne vis partibus affectis ulla inferatur, quo facto ſubligaculum injiciendum eſt geſtandumque diù, ne iterum inteſtina in ſcrotum aut extra inguen labantur, aut iis omnibus in caſſum tentatis, & morbo ruinam minante, inciſio facienda in inguine leviſque apertura in peritonæi proceſſu vaginali inteſtinum continente, ut Chirurgia docet, & quidem antequam phlogoſis magna aut gangræna hanc partem invadat, quod quinto aut ſexto ad ſummum die ſolet plerumque contingere, ad hoc ut immiſſo per viam apertam & annulum hypogaſtrii uſque ad ventris cavitatem ſpecillo cavo, & hujus ope inſtrumento dilatante aut ſyringotomo ſeu ſecante, dictus annulus inteſtinum arctè conſtringens ampliari aut rumpi poſſit ad ſtrangulati inteſtini reductionem, inſtituendo deinceps gaſtroraphiam & *ſuturam Pellionis* quam vocant, aut operationem herniæ quæ *punctum aureum* dicitur; vel quod adhuc magis tutum eſt, & recidivam penitus avertens, ipſam caſtrationem ſive teſticuli ad inguen propulſi cum ſua vagina per factam inciſionem extractionem, atque adhibita altiùs quàm fieri poterit ligatura, amputationem.

Dum verò externa ſic celebrantur remedia, adhiberi ſimul debent potiones & cly-

clysteres diluentes, laxantes, lubricantes, & benignè purgantes, eo modo quo superiùs dictum est, ut liquidiora indè facta excrementa, aut alia quæcumque corpora intestinum lapsum tumefacientia per inferiores vias faciliùs excludantur. Quòd si inflammatio herniam comitetur, emollientibus aliisque suprà dictis anodyna & refrigerantia miscenda sunt, ut unguentum populeum, fotus ex lacte, cataplasma de mica panis, de stercore bubulo, aut quod componitur ex radic. lilior. althææ, folii malv. semperviv. cotyledon. teleph. solan. &c. Floribus chamomil. nymph. &c. cum farina fabar. sem. lin. non neglectis emulsionibus julepis, ptisaniſque refrigerantibus, atque etiam enematis, imò & phlebotomia sæpiùs pro viribus iterata quæ in omnibus inflammationibus & externis & internis, aliis omnibus præcellit remediis.

Non absimilis curandi methodus, quæ scilicet emollientibus, demulcentibus, diluentibus, refrigerantibus, atque leniter & blandè purgantibus, utitur, quæque venæ sectione sæpiùs repetita tanquam primo fundamento innititur, locum habet in ea iliacæ passionis specie quæ à tumore viscerum aut intestinorum inflammatorio ortum accipit; in quo namque extrahi statim debet sanguis ex brachiis & pedibus non solum ter & quater, sed sexies, octies & ampliùs si per ægri vires, temperamentum, & ætatem liceat; nihil enim magis valet febrem compescere, ruentemque in partem affectam sanguinem revellere, aut eum qui jam fluxit derivare: phlebotomiæ succedere debent clysteres ex lacte, sero lactis, decocto refrigerante, oxycrato, cum cassia, prunorum aut tamarindorum pulpa, mucilagine seminum lini aut fœnugr. butyro, mell. nenuphar. oleo lilior si demulcenda sit humorum acrimonia, aut ol. amygdal. dulcium, vitell. ovorum, imò & opio, philonio romano, si excrucians dolor sui mitigationem exposcat. Decoctum intestinorum aut capit vervecin. hìc etiam usurpandum venit, item & decoctum folior. & flor. malvæ, brancæ ursinæ, lactuc. portulac. semin. frigidor. florum nympheæ, papav. rhæad. chamomill. & melilot. atque etiam emulsiones per anum injectæ in formam clysteris.

His remediis adjungi debent fotus abdominis ex oxycrato, lacte, aut decocto refrigerante, aut semicupia, insessusve aquæ dulcis tepidulæ si æger illa sustinere possit; emulsiones, julepi, jusculæ refrigerantia toto morbi decursu propinanda, qualia in ventriculi inflammatione proposita sunt, quibus urgente dolore anodyna admiscenda sunt atque narcotica, ut sunt diacodium, syrup. nymph. papav. alb. extract. opii, de quibus antè facta est mentio.

Vomitus, si adsit aut nausea, initio morbi, aqua tepida pauco oleo aut butyro mixta leniter provocandus, minùs verò in augmento morbi.

Quod ad purgantia spectat, in phlogosi intestinorum aut partium adjacentium, non nisi admodùm benigna & in parva dosi præscribenda sunt; tinctura cassiæ, tamarin dor. mann. sal. polychrest. syrup. rosar. flor. persicor. eorumve infusio in decoct. refrigerante, aut sero lactis, aut jusculo hanc paginam implebunt. Cave tamen ne nimis properè & sævientibus symptomatis exhibeantur.

Potus sit aqua hord. decoct. tamarind. rad. aut flor. nymph. rad. acetos. aut. aq. font. cum sale prunellæ, aut succ. limon. berber. &c. vel oxycratum tenue quo frequenter utatur æger, minùs verò alimento quod non ita facilè permeat, & plerumque in intestinis corrumpitur.

Tumores prægrandes, duri, & skirrosi in intestinis partibusque finitimis geniti, si ileum produxerint, expugnabuntur remediis quæ suprà fœcibus induratis convenire diximus, aut quæ infrà skirrhis hepatis, lienis, pancreatis, uteri &c. apposita esse dicemus: si autem flatus eumdem affectum induxerint, eadem therapeia adhibebitur quæ antè in colica flatulenta exposita est.

Ileus merè convulsivus, si unquam, utpotè qui rarus est, sanandus occurrat, curabitur remediis quæ in sequentibus epi-

lepsiæ

lepſiæ & ſpaſmo, de quorum genere eſt, convenire dicemus, phlebotomiis ſcilicet, balneis, fotibus, emeticis initio morbi, refrigerantibus, demulcentibus, catharticis atque tandem narcoticis; & in hoc potiſſimùm caſu conveniunt pilulæ Riverii ex laudano & diagridio, non ſecus ac glandes plumbeæ aut regulinæ, & ipſe crudus hydrargyrus ad uncias aliquot hauſtus quæ pondere ſuo & frigiditate motum inteſtinorum antiperiſtalticum vincere poſſunt, atque etiam Corticis Peruviani pulvis cum eodem opii extracto poſt catharticorum uſum, ne quid dicam de frequenti uſu clyſterum primò anodynorum & narcoticorum, deindè acriorum qui ſpirituum & humorum eoſdem inordinantium motum ad inferiora determinabunt.

Quæ ab humorum acrimonia, eaque intenſa, inteſtinorum tunicas erodente præcipuè pendet ilei ſpecies curari debet emollientibus pariter lenientibuſque ſuprà dictis, oleoſis, pinguibus, mucilaginoſis, atque etiam iis remediis quæ humorum aculeos obtundere aut abſorbere apta nata ſunt; talia habentur emulſiones ordinariæ, mucilagines ſem. pſyll. & cydonior. gumm. arabic. & tragacant. butyr. oleum amygdal. dulcium, decoctum flor. folior. & rad. malv. alth. lactis variæ ſpecies, ſyrup. papav. rubr. & alb. diacodum, laudan. corallia, margarit. ocul. cancror. aliaque id genus abſorbentia, quibus ſemper adjungi debent balnea, fotus, & copioſus potus, atque etiam enemata anodyna & paregorica ex lact. vel decoct. detergente, vel capitis & inteſtinorum vervecis, cum butyro inſulſo, olio liliorum, olivarum, amygdalarum, vitell. ovorum, aliiſque hujus naturæ de quibus antè dictum eſt, & in capite de diarrhœa & de dyſenteria magis dicetur, non neglectis venæ ſectionibus & purgantibus blandis ſæpiùs & in parva doſi iteratis aut cum opiatis permixtis.

Paralyſeos inteſtinorum atque gangrænæ, ſi unquam iliaco affectui ortum dederint, non diſpari modo cura inſtituenda eſt, quamvis remedia in hoc caſu ferè ſemper in caſſum tententur. Hìc itaque convenient fotus abdominis ex calefacientibus & aromaticis, balnea thermalia, decoctum ſudorificum, aquarum thermalium potus, liquorum ardentium & ſpirituoſorum uſus in modica doſi, clyſteres ex vino generoſo aut decocto calefaciente & carminante cum diaphœnic. aq. bened. Rull. turbith. colocynth. bened. laxat. hier. picr. diaprun. comp. aliiſque diagridiatis, ſale armoniaco, aq. vit. ſalviat. ſp. vin. camphorat. juſcul. aut julep. ex decoct. abſint. ſcord. lavend. ror. marin. menth. majoran. thym. hyſſop. ſatureiæ, ſalv. aliarumque plantarum & rad. calefacientium cum theriaca, diaſcord. aq. cinnamom. claret. imperial. non omiſſis iis quæ per os ſumpta catharſim vehementer promovent.

Denique inteſtinorum complicatio, ſi quæ ſit, ſeu potiùs ingreſſus unius partis inteſtini nimis ſtrictæ in aliam nimis dilatatam, ea vincenda eſt per omnis generis remedia quæ flatibus oppugnandis, à quibus illa dependet, deſtinata ſunt, atque etiam per humectantia, emollientia, laxantia, lubricantia, & purgantia, per os atque anum injecta, de quibus in præcedentibus ſatis ſuperque dictum eſt, ad hoc ut laxioribus factis inteſtinorum membranis eædem à ſe invicem disjungi atque divelli poſſint, tuncque temporis, ſi unquam, valent glandes plumbeæ & regulinæ, mercurius crudus per corium trajectus ad ℥. ij. ad ſummum in aq. melle; ſyrupo, juſculo, aut ovo ſorbili exhibitus; argentum namque vivum pondere ſuo inteſtina ſtimulans, nec facilè motui inteſtinorum antiperiſtaltico obtemperans fluxilitate & penetrandi vi qua pollet ad inferiores vias detruditur, & complicatas inteſtinorum tunicas reſtituit, ſi præſertim ab inferioribus ad ſuperiora factus ſit membranarum inteſtinalium ſubingreſſus; ſecùs enim, hoc eſt ſi à ſuperioribus ad inferiora inteſtina complicata fuerint ponderoſa omnia & quæ humores per vias inferiores potenter deturbant morbum neceſſario augebunt, ac proindè vitanda erunt, adhibitis eorum loco lenientibus, carminantibus, humectantibus, anodynis,

atque

atque etiam narcoticis, quæ in omni ileo à quacumque causa ortum habent, urgentibus potissimùm torminibus atque vigiliis, post universalium administrationem usurpari debent. Cathartica in hoc casu blanda per os, & rara sint; acriora verò per anum, & frequentiora.

NOTA.

Iliacæ passionis curationem sic perficit Celeberrimus Thom. Sydenham. Mittatur statim sanguis è brachio dextro ad ℥. ix. vel x. Post aliquot horas hibeatur sequens pulvis. ℞. resin. scammon. vel (defectu ejus) resin. jalapp. gr. vij. calomelan. Turqueti ℈ j. M. F. pulvis, capiat è cochleari j. lactis vaccin. superbibendo ejusdem lactis cochleare j. vel alterum. Vel si forma pilularum magis arrideat ℞. pilular. ex duob. ℥. ss. calomelan. Turqueti ℈ j. cum seq. balsam. Peruvian. f. pilul. iv. sumend. è cochlear. j. syr. violar.

Sin autem æger hoc remedium per os rejecerit, laudani liquidi gutt. xxv. aq. cinnam. fort. ℥. ss. instillatæ statim propinentur; cùm verò horum usu vomituritio, ac ventris dolores, remiserint, catharticum dictum iterum exhibeatur. Verùm si anodynorum virtute ac vi jam penitus infractis, vomituritio ac dolor iterum redierint, cathartico interim in corpore restitante, ad usum paregorici suprà descripti revertendum, idemque eò usque repetendum quarta vel sexta quaque hora, donec intestinis quies omnino inducatur; quò quidem tempore catharticum operationem suam per sedes exeret.

Nec sanè abs re fuerit elapsa hora una aut altera, post venæsectionem, clysterem aliquem ex iis qui potentiùs operantur, injicere, fumum scilicet nicotianæ ex tubulo inverso, per vesicam majusculam, in intestina validissimè insufflatum, quæ quidem operatio post aliquot horas reiterari debet, nisi citiùs meatus deorsum patet.

Finita operatione cathartici sumat sequentem haustum. ℞. aq. cinnam. fort. ℥j. laudan. liquid. gutt. xxv. M. f. haustus: Qui porò repetendus est bis, ter, vel sæpius in die donec vomituritio & dolor penitùs cessaverint; atque etiam, istis symptomatibus cessantibus, nihilominus ad curationem confirmandam, per aliquot adhuc noctes capiat idem paregoricum in minori dosi cubitum iturus. *Hactenus Clariss. Thom. Sidenh. Jam quædam restant specifica adducenda.*

Inter specifica, post fumum tabaci per inferiora insufflatum, primas tenet clyster ex oleo nucum, lini, alioque, cui incocta fuerit colocynthis, aut ejusdem trochisci, alhandal. dicti, addita etiam ruta & nitro, cum pauco vino. Exteriùs stercus vaccinum recens toti abdomini illitum flatuositates mire resolvit, & acrimoniam humorum non parum retundit. Præterea quidam maximè extollunt sanguinem verspertilionis (qui cum depilatorium medicamentum existat, insignis procul dubio est penetrationis) uti etiam exuvias serpentum oleo olivarum incoctas. Globulos aureos ac plumbeos forsan non immeritò improbat Clariss. Auctor, quandoquidem pondere tantum agunt, nec aliquid movere apta sunt; verùm non idem dici potest de globulo antimonii depuratissimo, scilicet martiali, de quo etiam asserere possum quòd nullas movet turbas. Pilulæ Iliacæ Rhasis multum etiam deprædicantur, præsertim à P. Berbette. De aliis consule quæ jam in Colico morbo, attulimus, unicò adjecto unguento de Arthanita, cujus efficacia non ignobilis est, si extus applicetur.

CAPUT XIV.

De Alvi adstrictione.

UT intestina tùm tenuia, tùm crassa munio suo hoc est peristaltico motu rectè defungantur, oportet ut post peractam in stomacho chylosim quæ ab ipso susceperunt & in cavitate sua continent sensim & gradatim (ut antè dictum est,) per constrictas succèssivè orbiculares ipsorum & musculares fibras ad in-

fe-

feriora propellant ; quò dum pauciores chyli particulæ in venas lacteas ſecundum inteſtinorum ductum inſertas tranſvehuntur , ut indè in ſanguinis alveum tendant ejus jacturam ſarturæ , impuriores ejuſdem & magis tartareæ partes ſeu fœces , utpotè corpori minùs utiles , ad anum & foras amandentur : quare ſi quondam alvus à tali œconomia deflexerit , morboſus corpori apparatus inducitur ; tale verò inteſtinorum vitium vel in promptiori celeriorique quàm par eſt dictarum fibrarum contractione ſitum eſt, qua alimenta , humores , excrementave citiùs protruduntur atque excernuntur , undè multiplex alvi fluxus ſpecies exoritur; vel in tarda nimis & lenta earumdem fibrarum conſtrictione conſiſtit, qua inteſtinorum , potiſſimùm craſſorum , contenta ſeu alimentorum reliquiæ ſegniùs deturbantur , diutiuſque proindè in eorumdem ductu retinentur ; unde alvi adſtrictio ſeu conſtipatio ſequitur , de qua hìc nobis agendum incumbit.

Per alvi autem adſtrictionem hìc non integram ventris occluſionem intelligimus , qua nihil excrementorum per inferiora dejicitur ; ſic enim ad ileum pertinere potiùs videretur ; ſed eum duntaxat inteſtinorum in primis craſſorum affectum , in quo fœces duræ & ſiccæ tardiùs rariuſque , imò & ægriùs , hoc eſt cum maximis diaphragmatis , muſculorumque epigaſtricorum contractionibus per anum excluduntur.

Hujus affectionis cauſæ , ut ridiculam Veterum expultricis facultatis imminutionem , aut retentricis auctionem taceamus , ſunt primò ipſorum excrementorum ſeu fœcum ſiccitas & durities , ſive hoc proveniat ex aſſumptis cibis ſolidioribus aridioribuſque , ex quibus non niſi compactæ & ſolidæ reliquiæ eſſe poſſunt , fibrarum inteſtinalium conſtrictionem plus minùs eludentes ; ſive ex iiſdem alimentis minùs in ore comminutis & attritis , aut humore ſalivali & potulento minus imprægnatis atque dilutis : edulia namque omnia , ut rectè in ſtomacho ſubigantur , indeque per totam alvum liberè fluant , debent ſufficienti humoris copia ſaturari & ea gaudere fluiditate , qua periſtaltico inteſtinorum motui facilè obtemperent , atque ad vias inferiores detrudantur ; quare ex deficiente humido , quod aliundè per chyli à fœcibus ſuis ſeparationem magis exhauritur , excrementa in coli inteſtini cellulis ſicca & dura manent , eaque duritie ſua & ſoliditate multùm reſiſtentia vix ac nevix quidem excerni poſſunt , quanquam muſculares inteſtinorum fibræ ſpiritu animali inflatæ & turgidæ , atque epigaſtricorum muſculorum & ipſius diaphragmatis contractionibus adjutæ eorumdem expulſionem moliantur.

Verum non ſolùm ex prædictis cauſis indureſcere poſſunt excrementa alvumque conſtipare ; ſed etiam ex intenſiore viſcerum calore humidas fœcum partes diſſipante , humoremque ſeu mucoſum ſeu feroſum continuò à ſanguine in inteſtinorum fiſtulam eructatum conſumente ; æſtuant enim plerumque hypochondria aliæque in abdomine contentæ partes , ſive ex recrementis ſanguinis retorridis in dictis partibus ſtabulantibus atque efferveſcentibus , ſive ex ſanguine fervidiori totum abdomen perluente atque lentiùs inibi circulum ſuum peragente , ſive ex ciborum acrium & calidorum uſu , liquorumve ardentium potu , &c. undè alvum adſtrictam fieri neceſſe eſt.

Quod de calida viſcerum diatheſi dictum eſt , dici ſimiliter poteſt de calida & ſicca aeris conſtitutione humores ſanguinis ſeroſos ad habitum corporis & poros cutis advocante , eoſque à centro , ut ita dicam , ad circumferentiam transferente , hinc ſiquidem , quia partes internæ humido ad excrementorum liquiditatem plurimum conducente defraudentur , ſolideſcunt magis atque indurantur fœces , nec tam facilè deinceps eliminari poſſunt. Sic videmus ſæpè ſæpiùs eos quibus per æſtatis (ardente præſertim ſyrio) decurſum continuus dimanat ſudor , alvi adſtrictioni obnoxios eſſe , minuſque & rariùs mejere , quæ accidentia frigore redeunte , aut ſaltem frigidiuſcula tempeſtate ſpontè ſolvuntur.

Altera

Malpica

Altera alvi adſtrictionis cauſa, & quidem non minùs frequens eſt impeditus aut imminutus bilis è cyſtide fellea, aut ex coro biliario in duodenum fluxus; cùm enim humor ille ſulphure & ſale onuſtus atque ex hepate, quod ipſis colatorium eſt, diciduus non ſolum ulteriori in duodeno una cum ſucco, cui ibidem occurrit, pancreatico ingeſtorum fermentationi dicatus ſit: ſed etiam inteſtinorum irritationi, ſpirituumque animalium in fibris eorum carneis exploſioni, undè motus periſtalticus dependet; ſequitur neceſſariò motum hunc ſegniorem factum iri, quoties dicta bilis minùs liberum in inteſtina habebit commeatum, atque hinc eſt quod icterici & ii omnes quibus hepar infarctum eſt & obſtructum, ventris ſemper conſtipatione laborent & frequenti clyſterum artificialium uſu indigeant, clyſteris naturalis defectu.

Deficiens quoque inteſtinalis mucus inteſtinis lubricandis deſtinatus, ſeu humor ille lymphaticus per tunicam inteſtinorum internam & glanduloſam à ſanguine continuò ſecretus, atque etiam per glandulas in craſſis inteſtinis & colo præſertim racematim diſpoſitas, atque à Peyero primùm detectas; deficiens inquam, talis mucus non per ſimplicem viſcerum calorem, ut ſupra dictum eſt, ſed per meſenterii obſtructiones vaſorumque exilium quibus ille inſtillatur, alvi adſtrictionem inducit, quatenùs aſpera indè facta interior inteſtinorum ſuperficies excrementa alioquin minus diluta retinet diutiùs atque remoratur.

Tandem affectus plures abdominis, ut ſunt tumores varii prope inteſtina, graviditas in fœminis, obſtructiones, inflammationes inteſtinorum, ſtupores aut imperfecta paralyſis, plureſque aliæ cauſæ colico & iliaco affectui communes, minùs tamen intenſæ alvum adſtringere valent, ſi non totaliter occludere; idque propter rationes in præcedentibus capitibus jam ſatis fusè expoſitas, aut ex iiſdem facilè deducendas.

Una eſt vita ſedentaria & equitatio frequens alvum conſtringere valentes, quæ peculiari explicatione indigent: harum autem cauſarum in ventre coſtipando virtus peti debet ex eo quod ſeſſio & quies corporis ſuccorum diſtributionem recrementorumque ſecretionem retardet, quæ ab exercitio diſtribuuntur faciliùs atque ſegregantur; equitatio verò propter ſtomachi & inteſtinorum concuſſionem motum eorumdem conſtrictivum & periſtalticum arcet atque interrumpit.

Alvi adſtrictio ex ægri relatu ſatis ſuperque innoteſcit: cauſæ verò illius, quæ plures ſunt, ſic dignoſci debent. Si ab humoris bilioſi ſeu clyſteris naturalis defectu affectus ortum habeat, aderunt obſtructionum ſigna, tenſio & durities ventris atque hypochondriorum, habitus corporis pravus aut icteritius, urinæ bilis colore nimiùm ſaturatæ erunt, excrementa verò minùs flava aut rufa, &c. Si à viſcerum calore pendeat, hoc patebit ex temperamento, ætate, anni tempeſtate, ſiti, linguæ ſiccitate & albedine, ex cauſis calefacientibus prægreſſis, vino putà liquoribus ardentibus copioſiùs aut ſæpiùs aſſumptis, exercitiis immodicis, copioſis ſudoribus &c. Si à muci inteſtinalis impedita ſecretione, notum fiet ex abſentia ſignorum quæ alias cauſas indicant, atque etiam ex eo quod ſicca admodùm in ſua ſuperficie erunt excreta, quæ ut plurimùm quandò dura ſunt aliquid hujus muci abradere ſolent. Si denique alii inteſtinorum, meſenterii, hepatis, totiuſque abdominis morbi, aut equitatio, ſeſſio, ciborum duriorum uſus, potuſque parcitas aut abſtinentia, vel aliæ cauſæ externæ hunc affectum induxerint, ex propriis dictorum morborum ſignis ex iis quæ præceſſerunt, aut ex ægro adſtantibuſque facilè innoteſcet.

Prognoſticum hujus affectus non eſt periculoſum inſtituendum, niſi ab aliquo gravi infimi ventris morbo dependeat, aut adſint pertinaces atque diuturnæ viſcerum obſtructiones; nec enim inſalubrem omninò vitam degunt qui pigra alvo donati ſunt, modò eam identidem tùm remediis quibuſdam uſualibus, tùm vitæ regimine ſolvendam curent: tamen

ſi con-

ſi contumax ſit & diutiùs perſeveret, aliquid periculi, ſi non imminentis, ſaltem in futurum pertimeſcendum portendit; degenerat namque alvi adſtrictio diuturnior ob retentas fœces, indeque coinquinatos varios eoſque utiles corporis ſuccos; aut ob retenta varia quæ in alvum exonerantur, ut è corpore exeant, ſanguinis recrementa, in graviores morbos, iliacam putà, aut colicam paſſionem; cephaleas, febres varias, hydropiſim &c.

Curatio alvi adſtrictionis dirigi debet ad cauſas à quibus originem trahit, quare ſi à regione & tempeſtate calidioribus procedat, mutandum, ſi fieri poteſt, cœlum & ſolum? Si à comeſtis cibis ſolidioribus ſiccioribuſque, aut potus parcitate, victu humido & emolliente, eoque copioſo & iterato utendum: Si ab exercitiis immodicis, alimentis calidioribus &c. vita ſedentaria, ab iis prorsùs abſtinendum eſt, victuſque & regiminis ratio planè contraria amplectenda. Si verò à viſcerum intemperie calida dependeat humores quibus excrementa dilui ſolent abſumente, tunc venæ ſectio locum habet, quæ iteranda eſt frequentiùs aut rariùs pro viribus, ætate, ægri temperamento & plethora; uſus refrigerantium imperandus, humectantium atque acidulorum, ſub forma julepi, juſcul. emulſ. imò & ſerum lactis, & potus nive aut glacie refrigeratus, præſertim per æſtatis decurſum & ſtomacho vegeto exiſtente. Si à viſcerum infarctu, hepatis nempe, meſenterii, lienis, oriatur, præter humectantia & emollientia præſcribenda ſunt aperientia, ſpirituoſa, volatilia, alchalia, chalybeata, &c. Si demùm ab aliis abdominis affectibus, eidem per propria & ſpecifica dicta remedia proſpiciendum erit.

Verùm quoniam cuicumque ex prædictis cauſis ortum ſuum atteſtetur ventris conſtipatio, emollienda ſemper & laxanda eſt alvus, diluendæ fœces, eæque foras ejiciendæ ſunt, placet hìc ea proponere remedia quæ his indicationibus in omni alvi adſtrictionis ſpecie adimplendis ſatisfaciant. Talia ſunt copioſus & frigidus potus, prunorum & tamarind. decoct. aut malv. mercurial. betæ, branc. urſin. aliarumque herbarum emollientium; tinctura caſſ. pruna & fructus horarii jejuno ſtomacho comeſti, modò per morbi cauſam & per ſtomachum liceat, uſus panis ſecalini, aut aquæ cum talipane agitatæ; racemorum ante ſolis ortum collectorum roreque madidorum eſus per plures dies continuos; cave tamen ne in viſcerum obſtructionibus crudis & frigidis nimium utaris, talia quoque ſunt butyroſa omnia, pinguia & mucilaginoſa per os & anum uſurpata, quæ inteſtina valdè deliniunt atque lubricant, ut ſunt butyrum recens, oleum lini, amygdal. dulc. lilior. decoct. capitis & inteſtinorum vervecis, mucilago ſeminis lini, pſyllii & cydoniorum, decoct. rad. alth. malv. aliaque id genus, quorum antè mentio injecta eſt, ne quid dicam de balneis, inſeſſibus, ſemicupiis, fotibus abdominis emollientibus, quorum uſus in alvo humectanda atque laxanda multùm efficax minimè prætermittendus.

Clyſteres in hoc affectu frequenter injici debent ex decoct. commun. vel ſer. lact. vel decocto capitis vervecis aut inteſtinorum ejuſdem, cui ſenna addi poteſt atque colocyntidis pulpa, ſi validiùs purgandum ſit, diſſolvendo in colatura caſſiæ pulpam, diaprunum utrumque, catholic. diaphænic. ſalem communem, gemmeum, aut prunellæ; aut etiam aquam benedictam turbidam, ſi nempè poſt uſum emollientium & benignè aut mediocriter purgantium alvus ſatis non ſolvatur. His enematibus ſuccedere debent, præſertim quando fœces elutriatæ ſunt, alia ex refrigerantibus mucilaginoſis aut oleoſis compoſita; aut ſi tam frequentem clyſterum uſum ægrotans renuat, eorum loco adhibenda ſunt ſuppoſitoria ex melle cum pulveribus purgantibus cocto comparata, aut ex felle porcino, aut bovino, aut ex fruſtulo ſalis communis aut aluminis rupei &c.

Quoad potiones purgantes illæ etiam neceſſariò præſcribi debent, atque identidem, ſi non ſæpiùs, iterari, non quidem ſubitò, niſi admodùm recens ſit al-

vi adſtrictio : ſed poſt uſum emollientium atque diluentium aliorumque cauſam morbificam ſpecificè oppugnantium; in hoc enim caſu meliùs quàm in quocunque alio valet aphoriſmus Hippocratis, *quæ purgare volueris fluida facere oportet*. Sic nempè excrementa duriora in coli cellulis atque anfractibus hærentia & veluti incarcerata faciliùs cedunt. Harum materiam ſuppeditabunt ſenna, caſſia, tamarindi, ſal. polycreſt. manna, ſyrupi roſ. ſolut. & flor. perſicor. eorumque infuſiones in decoct. prunor. malvar. mercurial. &c. quorum virtus, ſi debilior extiterit, acui poterit pulveribus diagrid. jalappæ & diacarthami, aliiſque validioribns catharticis. Sunt qui poſt ſolutum ventrem mannam aut caſſiæ pulpam cum butyro aut oleo amygdalar. dulcium exhibent in juſculo, quod remedium frequentiùs repetunt : Alii conſervam roſarum laxantem è roſis pallidis aut ſylveſtribus parant ad uſum : Alii caſſiæ pulpam jejuno ſtomacho per plures dies mandendam & glutiendam imperant, ſuperbibito aquæ frigidæ aut decocti emollientis cyatho : Alii opiatem ex dictis purgantibus aut bolum conficiunt : Alii demùm paſſulas aut ficus purgantes componunt, aut pruna ſolutiva, eoſdem fructus in decocto ſenn. aliorumque purgantium diutiùs macerando, quorum uſum ante ſingulos paſtus præſcribunt, quibus omnibus, ſi affectus non cedat, ad aquas minerales temperamento ægri cauſæque morbificæ accommodatas confugiendum eſt.

Nec ſilentio hìc prætermittendum videtur remedium alioquin ſatis inſolitum, efficax tamen; & in alvo cienda potentiſſimum, cujus fidem ex experientia faciunt obſervatores practici, illud eſt deambulatio quæ pedibus nudis fit ſuper pavimentum frigidum, aut aeris frigidiores captatio; quæ quia aut poros cutis obturando diaphoreſim intercipiunt undè magis humectantur interiora, aut propter corrugationis motum quem cuti nervoſiſque pedum partibus conciliant ad nerveos abdominis plexus ſe extendentem, ſpiritus animales (ut ita dicam) intrò repellunt, ut in timore accidit, alvum plerumque laxant, aut ſaltem coercent, quò fit ut iidem in his partibus magis commoti & agitati motus conſtrictivos inteſtinorum eliciant, unde fœcum excluſio ſequitur. Cavendum tamen ne perperam & intempeſtivè tale remedium uſurpetur, ne in ſcyllam æger deducatur, charybdim vitaturus.

NOTA.

IN alvo adſtricta quidam commendant mercurium vivum, ſeu potiùs vinum in quo per menſem fuerit infuſus, quod ad cochleare j. ſubinde propinant. Sed remedium quod tanquam efficaciſſimum deprædicatur à multis, etiam in deſperatiſſima alvi ſtypticitate, eſt aurum fulminans ; (cujus tamen vim, quamvis pluries expertus, nunquam ipſe vidi) illudque ad grana vj.viij. vel ix. cum extracto ellebori nigri in pilulas conglobatum exhibent. Addunt, nimis non edulcoretur, aliàs enim vim ſuam deperdit dejectoriam, ac diaphoreſi tantum promovendæ aptum evadit medicamentum. Non ingratum eſt præterea remedium tinctura tartari antimoniata, parcè aromatiſata, in vino, vel etiam juſculo ad gutt.xx. per aliquot dies propinata, ut nec tinctura antimonii, poſt ejuſdem in liquore nitri digeſtionem, per ſpiritum vini extracta ; Item terræ foliatæ tartari liquor, aliaque id genus, de quibus conſuli poſſunt Auctores Chymici. Hìc non addimus infuſionem foliorum orientalium in aqua frigida vino admiſcendam pro potu ordinario, paſſulas laxantes ad cochleare unum aut alterum, immediatè ante prandium ſumptas, ut nec ſelectum alimentorum ſolvendæ alvo maximè appropriatorum; quia hoc jam ex parte ab Auctore noſtro factum, partim etiam omnibus ſatis notum eſt. Qui plura voluerit, conſulat caput de Colica, ut & etiam de Iliaca paſſione.

CA-

CAPUT XV.

De Lienteria & Cœliaca paſſione.

DUo iſti affectus ſunt alvi fluxus ſpecies inter ſe valdè affines, in quibus quæ in ſtomachum ingeſta ſunt incocta plus minùs, & parum aut nihil ferè mutata per alvum excernuntur ; diſcrepant à ſe invicem tantùm per magis & minùs; in lienteria enim alimenta à ſtomacho ad alvum & hinc foras celeriter excluduntur ſine mutatione valdè ſenſibili, ita ut excreta aſſumptorum colorem, conſiſtentiam, aliaſque qualitates plurimùm referant; in cœliaca verò paſſione ἀπὸ τῆς κοιλίας, ſeu à ſtomacho nomen ſuum ſortiente, eadem mutata quidem quodammodò & chylacea ejiciuntur; ſed tamen imperfectè ſubacta, nec dum integram fermentationem partiumque ſuarum comminutionem & attritionem paſſa. Uterque morbus, ſed præcipuè lienteria, *lævitas inteſtinorum* Veteribus dictus eſt, forſan quod ſuperficiem inteſtinorum internam nimio muco & humore delinitam contenta ſua diutiùs retinere non poſſe putarunt, undè facultas eorum retentrix plurimùm infringeretur, quæ alimentorum incoctorum excluſioni daret occaſionem ; ſed quàm falſo innixi fuerint fundamento ex inferiùs afferendis cauſis patebit.

Dum verò excreta immutata coloremque & conſiſtentiam ingeſtorum referentia in lienteria aſſerimus, hoc non ita ſtrictè intelligi debet, ut alimenta nullam omininò mutationem ſive fermentationem in ſtomacho & inteſtinis ſubierint, & inalterata prorsùs rejiciantur, ut quibuſdam placet ; incredibile namque eſt aut, ut meliùs dicam, impoſſibile, attritos in ore cibos humoreque ſalivali imprægnatos ſtomachum, ubi ſemper aliquandiù morantur, & tortuoſam inteſtinorum viam, ubi novis humoribus etiamſi ſegnibus plerumque & effœtis imbuuntur, permeare, abſque eo quod vel minimam in tam longo tramite coctionem paſſi ſint ; ſed concipiendum potiùs coctionem illam utpotè imperfectam pro nulla plerumque haberi à Medicis.

Ad geminum hunc affectum referendus eſt alius chylaceus alvi fluxus ſeu diarrhœa chyloſa, quæ quamvis à diverſa cauſa originem trahat ſuam, excretorum tamen ſimilitudinem refert; in ea namque ob meſenterii ejuſque glandularum aut venarum lactearum obſtructionem & infarctum, alimenta alioquin probè cocta atque ſubacta tùm in ſtomacho, tùm in duodeno per alvum excernuntur, puriore eorumdem parte ſeu chylo propriè dicto, qui lacteas dictas ſubire & permeare debuerat, propter ipſarum obturationem una cum impurioribus partibus ſeu fœcibus excreto. Talis dejectio, quæ purulenta videtur ob chyli admixtionem, ex abſceſſu meſenterii partiumve vicinarum rupto & in inteſtina exonerato petitur plerumque à Medicaſtris quibuſdam, qui in morbis pleriſque abſceſſus varios in variis abdominis locis temerè ſuſpicantur, ut ſi fortè fortuna potiùs quam arte & ſcientia ægros ſuos ad ſanitatem perduxerint, majorem indè gloriam & honorem conſequantur.

Quartam chyloſæ diarrhœæ ſpeciem hìc addere libet, in qua incocta quidem & cruda per alvum deturbantur edulia, ſed non tam cruda, nec tam frequenter atque celeriter ut in lienteria atque cœliaco affectu, qui morbus videtur propriè ſymptomata eſſe læſæ ventriculi coctionis de qua antè dictum eſt.

Cauſas harum chyloſi alvi fluxus ſpecierum quæ variæ ſunt, ut rectè eruamus, examinandum eſt nùm promptior, nùm tardior poſt paſtum fiat alimentorum minùs ſubactorum per alvum excluſio ; ut enim taceamus imaginarias illas veterum Medicorum facultates, quas in ſtomacho & inteſtinis ut in ſolio reſidere putabant, ad primarum viarum regendam œconomiam, expultricem ſcilicet unam, quæ irritata citiùs ad contentorum expulſionem inſurgeret ; retentricem alteram, quæ ab humoribus frigidis ſeroſis aut viſcidis inteſtina & ſtomachum relaxantibus & lubricantibus labefacta

eadem contenta aliundè per viam lubricam faciliùs tranſeuntia retinere non poſſet; cùm hanc alimentorum expulſionem atque retentionem per unum motum periſtalticum plus minùs concitum fieri ſuprà docuerimus, aliæ cauſæ probabiliores motum hunc magis aut minùs accelerantes inveſtigandæ ſunt.

Si ergo ingeſta in ſtomachi & inteſtinorum cavo non diutiùs aut ſaltem tempore ad chyloſim requiſito commorentur, indeque chylacea & ſatis prompta ſequatur excretio, ut in lienteria propriè dicta contingit, aut ad eam accedente cœliaca paſſione, accuſanda tunc venit irritatio dictarum partium aut ſpirituum animalium in fibris earum muſcularibus major quàm par eſt exploſio, majorque motus, ratione quorum ad conſtrictionem promptiorem excitantur, & contentos cibos antequam ſubigantur ſucceſſivè detrudunt, donec tandem eliminati ſint, eadem prorsùs ratione qua videmus acriora cathartica aut aquas minerales dum ſemel glutita ſunt, niſi vomitu rejiciantur, propter irritationes ſpirituumque commotiones quas faciunt in ventriculo & inteſtinorum ductu intra parvum temporis intervallum, ſi nihil obvium inveniant, immutata rejici.

Irritatio autem illa aut ſpirituum exagitatio contingit aliquandò ventriculi & inteſtinorum culpa, cum ſcilicet abraſo muco ſtomachali & inteſtinali harum partium interior ſuperficies quodammodò eroſa eſt, & (ut ita dicam) aphtoſa aut inflammata leviter, ac proindè ſenſibilior facta, ſive illud ex acriorum, corruptorum, dyſpeptorumque uſu præcedente proveniat, ſive ab acidiori ſaliva, lympha, ſucco pancreatico, mucove qui per tunicam earum glanduloſam ſecernitur, ſive ab acrioribus bilioſi humoris partibus in ſtomachum à duodeno exantlatis, aut è maſſa ſanguinis per arterias gaſtricas & inteſtinales exſtillatis, ſive demùm ex validioribus aſſumptis purgantibus eorumve reliquiis in rugis ſtomachi retentis, aut venenis rebuſque venenatis, quæ ſtomachum & inteſtina partibus ſuis aſperis & aculeatis erodere apta nata ſunt, aut iiſdem diſpoſitionem inflammatoriam conciliare, tunc ſiquidem quia ad alimentorum etiam leniorum appulſum exquiſitiori ſenſu donatæ ob ſuam abraſionem, eroſionem, aut incipientem phlogoſim ventriculi & inteſtinorum tunicæ in motus conſtrictivos adiguntur, quidquid in cavitate ſua continent promptè & ſucceſſivè excutiunt quod immutatum deinde & crudum rejicitur, tùm defectu moræ requiſitæ, quam ad coctionem ſubeundam in dictis partibus facere debuerat, tùm etiam defectu fermenti ſtomachici aut ejuſdem vitio, quod in tali caſu aut non debitum eſt, aut non debitè ſuppeditatur.

Qualitas prava eorum quæ aſſumuntur nullo ex parte ventriculi & inteſtinorum exiſtente vitio eumdem effectum præſtare interdum valet, præſertim ſi continuatus ſit illorum uſus, cùm enim, utſupra innuimus ubi de vomitu, emanent ex ingeſtis quibuslibet corpuſcula ſeu tenuiores ipſorum partes ſulphureo-ſalinæ ſpiritus harum partium hoſpites in motus contractivos excitantes, ſi ea talis naturæ & compoſitionis ſint ut iis corpuſculis & quidem acrioribus abundent, aut coctionem perverſam ſubeant & corrumpantur fermento ſtomachico & ſalivæ minùs accommodata, hinc fit ut exaltata & extricata talia corpuſcula, aut alimenta ipſa acriora, taliave per pravam digeſtionem facta ſpiritus animales præternaturaliter commoveant undè fibrarum muſcularium conſtrictio ſequitur contenta omnia è ſinu ſuo properè nimis ejiciens; ſic videmus fungos comeſtos, allia, cæpas, porros, pepones &c. variaſque alias herbas aut fructus, aut etiam carnes minùs recentes & incongruos cibos feſtinam plerumque incoctorum eorumdem excretionem inducere. Altera hujuſmodi irritationis cauſa ex qua præcox nonnumquam ſequitur eduliorum minùs ſubactorum per alvum dejectio, eſt lumbricorum copia in ſtomacho & inteſtinis luxurians, qui ſenſiles harum partium membranas mordent, earumdem conſtrictionem promovent, & motum periſtalticum accelerant, quo fit ut cunctati

mini-

minimè poſſint quæ ingeſta ſunt, neque perfectè chyleſcere, ſicque ante tempus cruda excernantur, atque hinc eſt quo pueri & juvenes lumbricis ſcatentes excrementa ſæpè ſæpiùs griſea aut alba, utpotè chylo crudiori permixta, deponant.

Præceps demùm nimiſque concita alimenti incocti & indigeſti per vias inferiores excluſio præter ventriculi & inteſtinorum culpam vitiumque ingeſtorum aut eorum quæ in ipſorum cavitate continentur, agnoſcit etiam aliquandò, quanquam rariùs pro cauſa labem in ipſis animalibus ſpiritibus motus convulſivos & præcipitatos excitantem; ſi enim materia ſpaſmodica ſeu exploſiva à ſanguine ſuggeſta & iiſdem ſpiritibus in pari nervorum vago meſenteriique plexibus accreſcens eorum motum adauxerit & expanſionem, ut in aliis aliarum partium convulſionibus aut convulſivis motibus accidit, hinc fiet ut concitato ultra modum periſtaltico motu quæ in primis viis continentur ante tempus; & proindè incocta deturbata erunt.

Si ergo jam dictæ cauſæ aut alia quæcunque vermicularem ſtomachi & inteſtinorum motum intendentia, ſpiritus animales præter modum explodentia cibum antè quam confectus ſit ad alvum deduxerint, quò velocior erit illius protruſio, minuſque elaborata materia quæ dejicitur, lienteria excitabitur; paulò verò tardior alimenti ejectio, ejuſque minor cruditas cœliacam paſſionem efficient; agnoſcunt namque ambo illi affectus, utpotè congeneres, eaſdem cauſas plus minùs graves, magiſque aut minùs intenſas.

Si autem alimenta incocta quidem parumque digeſta per alvum deturbentur, non tamen celeriter, ſatiſque notabilem in ventriculo & inteſtinis moram trahant, qui affectus etiam cœliacus appellatur, non irritationi dictarum partium tribui debet, ſed defectui aut debilitati fermenti ſtomachici, aut aſſumptorum nimiæ cruditati quæ vim dicti fermenti eludunt, aut ſucci bilioſi atque pancreatici chyloſim perficientium vitio, aut obſtructionibus viſcerum variis & pluribus ſtomachi morbis, tuncque ad læſam ventriculi coctionem pertinet, de qua initio hujus libri dictum eſt.

Reſtant afferendæ alvi fluxus chyloſi cauſæ in quo cocta magis & elaborata alimenta per alvum excernuntur; illæ verò in ſtomacho minimè quærendæ ſunt, utpotè qui munio ſuo ſatis bene defungi ſupponitur; ſed tantùm in inteſtinorum ductu partibuſque ipſi finitimis chyli purioris diſtributionem ejuſque à fœcibus ſeparationem quoquo modo impedientibus, atque in hoc cenſu poni debet venarum lactearum obſtructio, tùm in ſuo principio, tùm in ſuo progreſſu, meſenterii tumores varii, infarctus, abſceſſus, pancreatis Virſungiani & Azelliani; aliarumque meſenterii glandularum duritiès & ſkirrhus &c. Si etenim cibus ſemel confectus è ſtomacho in duodenum indeque in alia inteſtina prorſus partium ſuarum puriorum ab impurioribus ſeparationem non patiatur, defectu ſucci pancreatici & bilioſi eumdem ad hanc ſeparationem diſponentium; ſi idem venas lacteas non ſubeat à muco viſcidiori occluſas, aut propter cicatrices à diuturna dyſenteria aliave de cauſa relictas, non ampliùs hiantes, ſi dictarum lactearum canales multiplices per meſenterium diſperſos non percurrat, ſi glandulas ejuſdem meſenterii pancreaſque Azellii ubi nova lympha ſeu fermentativo humore imbuitur ad hæmatoſim faciliùs ſubeundam requiſito non permeet, ſi denique ad Pecqueti receptaculum, ductum thoracicum, & ſubclavias venas non liberè deferatur; reſtagnet, oportet in inteſtinorum cavitate atque tandem foras unà cum excrementis eliminetur, ſeu totaliter, ſi viæ omnes præcluſæ ſint, ſeu ex parte tantùm, ſi ex pluribus ejuſdem ductibus nonnullos patulos inveniat.

Chylaceæ etiam hujuſmodi excretiones ſeu chylo minùs crudo perfuſæ cauſam ex parte ipſorum ſolorumque inteſtinorum habere poſſunt, dum nempè benè ſe habente ſtomacho eadem potiſſimùm tenuia exulcerata ſunt, eroſa, aut muco minus oblinita, quod procedere ali-

quandò poteſt tùm à ſucco pancreatico, & bile acrioribus, tùm ab ſeroſis humoribus iiſque corrodentibus à ſanguine iis turgente exſtillatis, aliiſque ſuprà enuntiatis; in hoc namque caſu advenientem è ſtomacho chylum excipiunt quidem inteſtina, ſed ab eo magis laceſſita nullamodo retinent, & ulterius citoque pellunt, ut vix tempus habeat canales ſuos lacteos ſubeundi, hoc videre eſt in pleriſque dyſentericis, qui lacteos & chyloſos humores interdum in matulam abjiciunt.

Omnes chyloſi alvi fluxus ſpecies ex iis quæ jam dicta ſunt ſatis ſuperque innoteſcunt; earum verò cauſæ ita internoſcendæ ſunt, Si ab irritatione pendeat affectus, eroſis nempè ſtomacho atque inteſtinis, ex promptiori excretione minuſque cocta materia notum fiet, atque etiam ex doloris & irritationis ſenſu in his partibus. Si ex diſpoſitione inflammatoria oriatur, ex calore, febre, ſiti, linguæ ſiccitate manifeſtabitur. Si ab aſſumptis acrioribus, calidioribus, pravis & corruptis eduliis, purgantibus validis venenatis &c. originem trahat, ex ægri relatu & adſtantium patebit; cùm verò partium chyloſim peragentium, irritatio aut eroſio à cauſis externis minimè procedit, imputari tunc debet morbus acidioribus lymphæ, ſucco pancreatico, aut bilioſo humori acriori, prout hujus aut illius in corpore & primis viis prædominantis ſigna ſe ſe prodent:

Chyloſus alvi fluxus qui à lumbricis in primis viis luxuriantibus aut læſa ſtomachi coctione natales accipit, per propria horum affectuum ſigna ſuo loco aut propoſita aut proponenda deſignatur; qui autem ex venarum lactearum meſenterii ejuſque glandularum obſtructione & ſkirrho ortum ducit, ex tardiori minuſque cruda dejectione demonſtratur, ex abſentibus ſtomachi cruditatis ſignis, aliarumque ſuprà dictarum cauſarum ex præcedente dyſenteria, ex ventris duritie & tenſione, ſtrumoſa diſpoſitione, aliiſque obſtructiones viſcerum & meſenterii indigitantibus.

Si bilis ſuccive pancreatici defectus aut vitium, labeſque ſpiritibus animalibus, ſtomacho & inteſtinis miniſtrantibus inuſta, ſeu eorum inordinatio cœliaco affectui occaſionem dederint; illud ex colatoriorum, hepatis nempè atque pancreatis obſtructione, duritie, aliaque prava diatheſi, ex icteritio corporis habitu, ex nauſea, vomitu, atque borborygmis, ex abſentia tandem aliarum omnium cauſarum manifeſtum evadet.

Prognoſim horum affectuum quod attinet, ea non niſi periculoſa ſtatuenda, cùm præſertim ad notabile tempus protrahuntur; ex eo quod enim totum corpus alimento ſuo defraudatur, & ſanguis, atque ſpiritus animalis jacturam ſuam minimè aut parum reſarciunt, atrophia & tabes neceſſariò ſubſequuntur, hydrops, cachexia, aliique incurabiles morbi. Quando alios graves morbos conſequitur chyloſus alvi fluxus, lethalis eſſe conſuevit; minùs verò periculi portendit, dum recens eſt, & à cauſis minùs gravibus minuſque pertinacibus & inveteratis pendet, lumbricis putà, cruditate ſtomachi levi & recenti, pravorum & dyſpeptorum eduliorum uſu &c.

Curatio lienteriæ, cœliacæ paſſionis, atque alvi fluxus chyloſi non niſi varia & multiplex inſtitui poteſt à ſapiente Medico, qui indicationes curativas ad cauſarum differentiam ſemper refert, eaſque pro diverſa temporis & loci, ætatis & temperamenti, urgentium que ſymptomatum ratione adimplet. Si ergo à lumbricorum ſtomachum & inteſtina infeſtante copia affectus illi progenerentur, aut ab hepatis, pancreatis, meſenterii ejuſque glandularum lactearumque venarum obſtructionibus, tumoribus, skirrhis, aut etiam à læſa chyloſi, ſeu deficiente aut imminuto fermento ſtomachico; vel denique à dyſenteria aliiſque ventriculi & inteſtinorum morbis; horum remedia pete ex propriis dictorum affectuum capitibus, ubi vermes necantia atque fugantia; obſtructiones reſerantia, apepſiam corrigentia, &c. fusè proponuntur. Si verò pendeant ex aphtoſa ventriculi & tenuium inteſtinorum diſpoſitione, conſequenter ad abraſum partes illas oblinientem mu-

mucum, ſeu ex levi eroſione, ratione cujus ingeſta diutiùs retinere non poſſunt, adhibe in uſum ea omnia quæ lenire atque humorum acrimoniam temperare apta nata ſunt juſcula nempè conſummata & pinguia, oriſata, amygdalata, emulſione, ol. amygdal. dulc. decocta extremitatum animalium, cancrorum fluviatilium, mucilagines ſeminum pſyllii & cydoniorum; gumm. arabic. & tragacant. decocta rad. alth. nymph. ſymphyt. maj. folior. lactuc. portulac. cichor. menth. florum malvæ, papav. rhæad. nymph. aliorumque incraſſantium, imò & herbarum paululum adſtringentium plantag. ſcilicet, continod. equiſet. roſar. balauſtior. rad. biſtort. pentaphyll. & tormentillæ &c. Lac uſtulatum, narcotica omnia; &c. Adhibe inſuper quæ ventriculi & inteſtinorum tonum reſtituunt, humorumque aculeos intricant & abſorbent; opiat, Salomon. theriacam, confect. hyacinthorum, alcherm. rhab. pulverat. ocul. cancror. corall. margarit. corn. cervi uſt. &c. Sed examinandum nùm ſimul incendium quoddam ſanguinis maſſam exagitet humoreſque morbum foventes bilioſi ſint & ad acredinem ſimul & caliditatem vergant, in quo caſu phlebotomia locum habet, pluries, ſi neceſſe videatur, repetita, minime verò quæ ſtomachum calefaciendo roborant. His remediis adjungenda ſunt balnea, ſemicupia, inſeſſus, quæ etiam ſanguinem ſuo modo leniunt & demulcent, atque etiam clyſterum anodynorum uſus & leviter adſtringentium aut detergentium, opiatarum roborantium & paulum adſtringentium, ex conſerv. roſar. cynorr. cydoniat. lact. condit. paratarum, cum rheo, corall. bol. terr. ſigill. aliiſque ſupra dictis.

Purgatio, quæ non ſtatim celebrari debet, nec una vice humores educere; ſed ſucceſſivè & per epicraſim, ex iis paranda eſt; quæ acrimonia nulla donantur & blandè humores ſubducunt, caſſia putà tamarind. mann. rhab. myrobalan. ſyrup. de cichor. comp. de florib. perſicorum, &c. Victus verò parcus ſit & analepticus ex ſupra dictis conſummatis, oriſatis, gelatinis, hordeatis, amygdalatis, & jure vituli inſtituendus, juniorumque animalium carnibus, quæ ſunt gelatinoſæ, aut ovis tremulis, perdicibus, capis, aliiſque eduliis optimis ſucci, &c. Quæ omnia eo potu dilui debent qui cauſæ morbificæ quodammodo adverſetur, ptiſana ſcilicet ex ſupra dictis herbis & radicibus parata, aut ex hord. & fructibus cynorrhod. aut ex tinctur. roſar. rubrar. addendo parum vini craſſioris, generoſi tamen, ſi virium langor, aut exolutio, aliave neceſſitas illud requirere videatur.

Quòd ſi non tàm ex eroſione interioris ſtomachi & inteſtinorum tunicæ, quàm ex ejuſdem inflammatoria diſpoſitione affectus illi procedant, tunc adminiſtranda ea veniunt remedia, quæ ſupra inflammationi ſtomachi convenire diximus; dùm autem ingeſtorum pravitas cœliacam aut lientericam paſſionem inducit, aut eadem ex ſpirituum animalium ventriculo & inteſtinis diſtributorum convulſiva exagitatione pendet; aut denique ſuſpicio eſt reſtagnantium in hoc viſcere bilioſorum, aliorumque vitioſorum & acrium humorum, modò eroſio nulla, aut inflammatio innoteſcat, emetica ſtatim adhibenda ſunt & abſtergentia, atque ſuo tempore & loco purgantia; non neglecta venæ ſectione quæ in hoc caſu etiam plurimùm prodeſt; quibus deindè refrigerantia, acidiuſcula, & in primis narcotica ſuccedere neceſſe eſt, ægro ſemper dyſpepta pravaque edulia interdicendo, eidemque reſtaurantium & euchymorum uſum in parva tamen doſi imperando.

Cùm chyloſus alvi fluxus inducitur, non ex abſterſo muco, ſed potiùs ex eodem redundante tùm in ſtomacho, tùm in inteſtinis, eoque viſcido & lento tunicis eorumdem impacto, chyloſimque in illo imminuente aut perturbante; in iſtis verò lactearum oſcula venarum occludente chylique diſtributionem impediente, ad alia prorsùs quàm quæ ſuprà dicta ſunt, remedia confugendum eſt, ea autem præter vomitoria & purgantia, quæ in hoc caſu viam aliis ſternere debent,

bent, amara ſint, abſtergentia & attenuantia, ut rheum, abſinthium, centaurium, chamœdrys, acrimonia, cichorium, hordeum, &c. aloetica omnia, alchalia fixa & volatilia, &(ut verbo dicam) multa alia quæ initio hujus Tractatus, ubi de Inappetentia actum eſt, recenſita ſunt.

Cicatrix demùm ſuperficiei inteſtinorum internæ inducta conſequenter ad dyſenteriam & inteſtinorum exulcerationes vix curationem recipere poteſt, & ſi ea quandoque chyloſam diarrhœam induxerit, non niſi detergentibus & amaris poſt univerſalium adminiſtrationem impugnari poteſt; quare huic affectui imminenti potiùs providendum eſt, quàm præſenti ſuccurendum, quod fit dùm prompta & appoſita inteſtinorum eroſionibus adhibentur remedia, quæ morbi augmentum & progreſſum, ulcerumque & eroſionum propagationem impediant, ſed hoc inferius videbitur, ubi de Dyſenteria.

Pro hujus capitis coronide innuendum eſt multa remedia in præcedentibus capitibus enarrata, & potiſſimum ubi de Inappetentia, Vomitu, Coctione læſa, Pica & Malacia, Siti morboſa & inflammatione ſtomachi actum eſt, chyloſis etiam alvi fluxibus competere, quæ pro cauſarum diſcrimine, ſtomachi majori aut minori laxitate & debilitate, variorumque humorum colluvie aut acrimonia, varianda ſunt.

NOTA.

QUicquid in Cæliaco ac Lienterico fluxu agendum venit, *abundè patet per ea quæ affert* in genere Clariſſ. Auctor; Item per ea quæ mox in Diarrhœa dicuntur.

CAPUT XVI.

De Diarrhœa.

EX variis quibus homines infeſtari ſolent alvi fluxibus frequentiſſimus eſt ille qui *diarrhœa* ſimpliciter & propriè dicta dicitur à Medicis quæque nil aliud eſt quàm immoderata, frequens, & perſeverans alvi dejectio, qua excrementa minimè chylacea, ſaguinea, aut purulenta, ſed admodum liquida, diluta, & acria, varioque bilis colore ut plurimum tincta, præcedente nonnunquam ventris dolore & torminibus excernuntur.

Ex hac hujus affectus deſcriptione patet qua ratione è lienteria, cæliaca paſſione, chyloſo alvi fluxu dyſenteria, fluxu hepatico, teneſmo, aliiſque alvi fluxus ſpeciebus diſcriminetur; neque enim ita ſubitò alvus à paſtu dejicit, ut quæ ingeſta ſunt cruda & incocta deturbentur, aut puri, ſanguini vel chylo permixta, cùm in hoc affectu nulla ſtomachi eroſio, ſaltem ſenſibilis nulla inteſtinorum exulceratio, nulla ſanguineorum vaſorum ruptio, aut lactearum venarum obturatio ſupponatur: quamvis non negandum eſt perſeverantem diù diarrhœam, eamque ab humore acriore excitatam in tales morbos degenerare poſſe.

Diarrhœæ differentias non petimus cum Antiquis à partis mandantis diverſitate; neque enim ulli Anatomiæ gnaro probabile unquam videbitur à cerebro, liene, utero, &c. humorem diarrhœam parientem derivari poſſe; ſed potiùs vel à maſſa ſanguinea per arterias aut glandulas inteſtinis proſpicientes, vel ex veſicula fellea aut poro biliario copioſam acrioremque bilem fundentibus; vel demùm ex ipſis aſſumptis pravis, crudis, acribus, aut malè ſubactis, quę dùm inteſtinorum fiſtulam ſubeunt, eorum tunicas irritant, & ad motum periſtalticum citatiorem provocant; quare ſi quoddam diſcrimen in ipſa diarrhœa ſtatuendum eſt, id potius fieri debet rationem materiæ quæ excernitur & humoris affectum, producentis, undè alia bilioſa dicitur, ea-

que

que varia pro vario bilis colore variaque acrimonia ; alia ſeroſa , colliquativa , alia merè ſtercoroſa : aut ratione modi atque temporis quo contingere ſolet, per quod alia in ſtatu ſano hominem corripit, morbuſque per ſe eſſe videtur; alia in ſtatu morboſo & alterius morbi ſymptoma eſt : rursùs alia critica, cum bonis ægri rebus adveniens, natura humores acres heterogeneoſque à maſſa ſanguinis extricante & ad vias inferiores , aut mediante hepate vaſiſque ejus excretoriis , aut arteriarum miniſterio amandante ; alia ſymptomatica vires ægri dejiciens , ipſumque minimè levans , ſeu propter cauſæ morbificæ copiam , ſeu propter naturam perversè operantem, purumque & utile ſimul cum impuro & inutili excernentem.

Omnes illæ diarrhœæ ſpecies pro cauſa immediata agnoſcunt humorum aut eorum quæ in inteſtinis continentur acrimoniam tunicas ipſorum ſtimulantium, aut ſulphureo-ſalina corpuſcula ex iiſdem humoribus vel contentis emanantia ſpiritibus animalibus potius quam dictis tunicis inimica , ipſoſque in motus explóſivos , undè pendet periſtalticus , ut alibi demonſtratum eſt , cientia ; ſed quia ad dictas ſpecies ſingulatim deſcendendum eſt , ab alvi fluxu bilioſo , utpotè frequentiori , ducemus initium.

Ille verò per propriam ſuam denominationem cauſam importat à qua excitatur, ſeu bilem à ſtatu naturali quantitate aut qualitate deſciſcentem, copioſiuſque è cyſtide fellea & poro biliario in inteſtina fluentem ; qui enim humor ſecundum naturæ leges diſpoſitus feceſſum naturalem excitat, ſeu irritando, ſeu ſpiritus animales commovendo & perturbando , poteſt idem in majori copia aut acrior factus , & in ſulphure atque ſale quæ ſunt principia ejus dominantia exaltatus eumdem feceſſum ſeu alvi dejectionem intendere, accelerare, augere ; non mirum ergo ſi ille, qualis ſupponitur, per porum cholydochum, in quem biliarius acuto angulo inſeritur, tanquam per ſyringæ tubulum in duodeni cavitatem injectus motum ejus vermicularem & ſequentium inteſtinorum præcipitet, & per aliorum humorum affluxum irritantem ejus vim neceſſariò conſequentem excrementa liquida & ſuo colore ſaturata foras deturbet ; bilis autem illa modò viridis, modò flava , modò obſcurioris coloris, prout principia ſua variè combinata obtinet , & prout majorem minoremque in dictis canalibus aut cyſtide fellea moram fecit, acrimoniam præternaturalem acquirit, vel etiam in ipſo ſanguine, undè eam glanduloſa hepatis ſubſtantia continuò ſecernit , commiſſis nempè variis in ſex rebus non naturalibus erratis dictum humorem acuentibus augentibuſque , vel in hepatis colatorio vaſiſque ejus excretoriis , quatenus ibidem per dictarum partium impeditum commeatum diutiùs retenta fermentorum ad inſtar exaltatur, undè deinceps perruptis cancellis acrior , hoc eſt magis ſalina atque ſulphurea defluit.

Prærer hunc bilioſi humoris fontem alvi fluxum producentis, eſt & alius non minus frequens, maſſa ſcilicet ipſa ſanguinis , è qua immediatè per arterias toti inteſtinorum canali diſtributas humor bilioſus non purus, ſed ſero dilutus exſtillat, & per tunicas eorumdem tranſcolatur; ſicùt enim ex inteſtinorum cavo ad ſanguinem patet multiplex aditus atque commeatus , quò puriores eduliorum partes ad corporis reſarciendam jacturam in ejuſdem alveum aſcendere poſſint, ſic multiplicem viam à maſſa ſanguinea ad inteſtinorum fiſtulam ſtravit natura , quò minus puræ & quæ magis heterogeneæ ſunt ipſius partes motum ejus aut diatheſim depravantes in eorumdem cavitatem exonerari poſſint , cujus rei inſigne argumentum præbet alvi fluxus varius in variis febribus variiſque aliis , morbis adveniens , quem dictorum affectuum ſolutio ſæpiſſimè conſequitur , atque hinc eſt quod alvus (quod propriè de inteſtinis intelligendum eſt) ſentina totius corporis & emunctorium non minùs quàm cutis dicatur à Medicis , in quam ſcilicet humores pravi à natura per fermentationem ſecreti, & ab Arte per remediorum appoſitorum uſum

præcipitati confluunt, ut indè per ſeceſſum foras deturbentur.

Bilioſus ergo (ut ad propoſitum revertamur) humor in ſanguine redundans, iſque ex variarum cauſarum externarum internarumve, aut rerum non naturalium concurſu efferatur, ob febrem ſcilicet vehementem prægreſſam aut præſentem, ſive ex colatorii ſui infarctu & obſtructione; ſive ex liquorum ardentium ciborumque acrium, ſulphureorum & uſtorum, uſu; ſive ex variis exercitiis, ira vigiliis, aliiſque ſanguinem accendentibus, ſeroque ſanguinis quod ejus vehiculum eſt, dilutus in inteſtina non rarò decumbit & per arterias alvo miniſtrantes delatus unà cum dicto ſero tunicas eorum glandulaſque (ut in renibus accidit) prætergreditur, ubi quia & ſpiritus animales ſolito magis exagitat, & expandit, foras nerveas vellicat & pungit corrugationes in dictis partibus conſtrictivas elicit, eaſque per continuum ſuum affluxum iteratas, undè & excrementorum dilutio, eorumdemque repetita dejectio ſubſequitur.

Seroſa diarrhœæ illa eſt in qua excrementa multò magis diluta ſunt & dejectiones admodùm liquidæ minuſque bile tinctæ, ita ut alvus non ab ſimiliter deponat ac poſt aquarum mineralium copioſam potationem. Hanc verò alvi fluxus ſpeciem deducimus non tam ex bile, quæ in minori copia effluit, quàm ex ſeroſa ſanguinis parte ſalibus acidis aut lixivis magis quàm par eſt imprægnata & in inteſtinorum tunicas copioſius irruente; quod enim præſtat ſalis communis aut gemmei fruſtulum ano inditum, quo ſuppoſitorii vice utuntur nonnulli, majori jure exequitur ſal acre acidumve copioſo ſero diffuſum, & in plures inteſtinorum partes ſimul impingens, ſive illud ex pancreatis colatorio, ſive ex arteriis ductui inteſtinorum famulantibus effundatur, quod quia ſenſiles illorum membranas exſtimulat, ut de bile dictum eſt, eorumdem muſculares fibras ad contractiones repetitas pariter incitat, undè frequens ſeroſorum & pituitoſorum dictorum humorum & excrementorum dejectio ſequitur; adde quod aliquid bilioſi humoris ſemper cum dicto ſero exſtillat cauſæ morbificæ actionem adaugens; quod quia paucum eſt denominationem ſuam alvi fluxui minimè præbet. Hujus diarrhœæ celebris habetur hiſtoria apud Vvilliſium *Pharmaceutices rationalis parte prima, ſectione* 3. *cap.* 3. quem affectum ſeu alvi fluxum etiamſi incruentum, ad dyſenteriam ob ſymptomatum ſævitiem, viriumque proſtrationem refert, quo aſſerit Londinenſes interdum epidemicè atque etiam endemicè infeſtari; hanc verò diarrhœam ſeroſam propriè eſſe, quanquam à vulgari diſcrepantem & malignæ qualitatis compotem, nullus (ut opinor) ibit inficias: ſicut enim in ſpecie alvi fluxus cruenti, alius benignus eſt (ut ita dicam) levi admodùm minuſque truci ſymptomatum fatellitio ſtipatus; alius multò magis ferox & truculentus, cum maximo virum diſpendio, febre intenſa, vigiliis, torminibus immodicis, ſingultu, vomitu, ſiti functionumque vitalium læſione conjunctu; ita inter ſeroſa ventris profluvia aliud ſimpliciter tale non eſt admodum gravibus ſtipatum ſymptomatis, aliud verò funeſtum magis atque immane, in quo ob fuſionem ſanguinis intenſam, ſummamque partium ejus integrantium diſſolutionem, ſpirituum deliquia, virium attritio, pulſus debilis & languidus, ſudores frigidi, aliaque lethalia ſymptomata ſuperveniunt. Quod ſi humores per alvum excreti decolores fuerint, lenti tamen & viſcidi ovorum albumina referentes, quem affectum veteres diarrhœam pituitoſam dixerunt, hanc minimè à prædicta aut parum diſtingue, nec aliundè pete, quàm ex humore lymphatico atque mucoſo copioſiùs genito atque excreto ob continuam humoris nimiùm detergentis affuſionem, continuamque inteſtinorum irritationem, vel à viſcidis glutinoſiſque eduliis aut humore ſalivali ex ore & faucibus in ſtomachum, indeque in inteſtina copioſiùs delabente.

Colliquativus alvi fluxus à prædictis diarrhœæ ſpeciebus differens, ex eo quod oleoſa & quaſi pinguedine perfuſa excre-

crementa frequentiùs dejiciantur, non diſſimiles à jam allatis cauſas agnoſcit; intenſiores tamen & magis afferatas atque contumaces; ſalſior namque aut magis alchalina bilis, ſerumque ſanguinis lixivioſo ſale onuſtum oleoſas ſeu adipoſos, quæ in variis corporis cellulis membranarumque, & muſculorum interſtitiis extant, partes ſecum abripiunt circulantis ſanguinis favente motu, & ad alvum deducunt; undè defectu humidi illius verè radicalis corpus contabeſcit & reipſa colliquatur. Hæc diarrhœa mortis plerumque prænuntia eſt, morbiſque diuturnis, febribus lentis, phtiſi, hydropi, cachexiæ, febri etiam ardenti, malignæ atque peſtilenti ſuccedere ſolet.

Diarrhœa demùm quæ ſimpliciter ſtercoroſa dicitur, illa eſt in qua magna copia ſtercoris liquidioris modò magis, modò minus colorati frequenter egeritur, quæ ex cibis crudis dyſpeptis, pravis, vel iiſdem copioſioribus & præ ſui copia aut ſtomachi vitio malè ſubactis exoritur, aut ex excrementorum diutiùs retentorum proventu, quæ tandem aut aſſumpto potu, aut humore bilioſo ſeroſoque ex ſanguine aut hepate deſcendente diluta foras protruduntur.

Cauſas diarrhœæ externæ, procatarticas, & evidentes quam plurimas agnoſcunt Medici, ſalſa nempè, acria, calida, ſulphureaque alimenta, vigilias, iram, exercitia immodica, aut vitam nimis ſedentariam, quæ humores pravos accumulat, fructus horarios, olera varia, fungos, pepones, aliaque dyſpepta; purgantium frequentem uſum, aquæ frigidæ aut mineralis nimium potum, & nimiam habitus corporis aut pedum refrigerationem, &c. quæ omnia effectum ſuum ſortiuntur aut bilem augendo atque exaltando; aut ſanguinem fundendo ſalibuſque perfundendo, aut inteſtina & ſtomachum partibus ſuis acribus claſticiſve laceſſendo, aut eumdem nimis gravando, aut demùm ſpiritus animales in primis viis hoſpitantes commovendo, undè alvum ad excretionem incitari neceſſe eſt. Verùm frequentiſſima alvi fluxus cauſa interna febris eſt, eaque varia & multiplex, quæ bilem copioſam & in vaſis & in colatoriis congerit, undè deinceps facilè ad ventrem confluit.

Præter dictas alvi fluxus cauſas dantur & aliæ pueris potiſſimùm familiares, lumbrici ſcilicet & dentium eruptio; illi alvum movent, tunicas inteſtinorum ſenſiles mordendo, aut quia ſemper materiæ ſeu humori verminoſo acri & irritanti conjuncti ſunt, undè acris infantium verminoſorum halitus pendet; dentitio autem dolorem excitat ſummum, vigiliaſque immodicas, febrem &c. ex quibus humoris bilioſi congeſtio & ſpirituum animalium inordinatio ſequitur, quæ ad alvum facile transfertur, quia inibi latet ſemper pravorum humorum colluvies, quæ vel minima data occaſione in actum deducitur.

Diarrhœa in genere ſatis ſuperque innoteſcit; in ſpecie verò dignoſcitur ex vario excrementorum colore atque conſiſtentia aut etiam ex iis quæ præceſſerunt; cauſarum autem diarrhœam producentium ſigna non admodùm difficilè eruuntur, excreta namque materia ejuſque viriditas, flavedo, viſciditas, liquiditas, oleoſitas &c. aut ea quæ aſſumpta ſunt, aut temperamentum, aut ætas, corporiſque, ſtomachi, & inteſtinorum varia diatheſis demonſtrabunt ſufficienter nùm ex bile flava, porracea, &c. nùm ex ſero, nùm ex vermibus, nùm ex prava chyloſi, nùm ex ſanguinis fuſione, nùm demùm ex dentitione affectus ortum duxerit; tormina verò & dejectionum frequentia humoris morbifici acrimoniam deſignabunt.

Alvi fluxum criticum ſymptomaticumve quod ſpectat; ille ex facili tolerantia morbique ſolutione aut imminutione manifeſtabitur, & ſi in ſtatu ſano ſalubriter advenit, patebit pariter ex εὐφορίᾳ corporiſque totius elevatione atque alacritate, ipſiuſque fluxus minori duratione: *Fuere enim alvum uno die atque etiam pluribus, ſi febris abſit, & intra ſeptimum ſaltem diem conquieſcat pro valetudine eſt*, ut ait Celſus; *purgatur enim corpus pravis ſuis humoribus, & quod intus læſurum*

erat

erat utiliter effunditur: Symptomatica verò diarrhœa in morbis quibuſque adveniens, atque ea quæ hominem ſanum corripit minus ſalubriter, ita ut morbus per ſe eſſe videatur, *dignoſcuntur per ſe oppoſita omninò ſigna*; indè enim aut morbus à quo pendet exaſperatur, vel ſaltem in eodem ſtatu perſeverat, aut patiens magis ac magis fatigatur atque affligitur, natura non noxios & morbificos humores per præcipitationem ſecretionemque quæ à fermentatione proficiſcuntur expellente, ut in criſibus accidit; ſed eoſdem in vaſis atque colatoriis aut totaliter aut ex parte retinente, dum eadem irritata, oppreſſa aut perverſa ſinceros atque legitimos cum pruvis promiſcuè humores ad alvinam regionem demittit.

Prognoſticum alvi fluxus per ſe dubium ſit oportet, cùm & bonis & malis hominis rebus contingere poſſit: quare ad circumſtantias & adjuncta acriter attendendum eſt, ut rectum de ejus exitu habeatur judicium. Ille ergo qui in ſtatu ſano hominem corripit, niſi diutius protrahatur, vireſque ultra modum dejiciat, & qui à cruditate recenti ſtomachi, ab aſſumptis fructibus, oleribus aqua frigida, aliiſque pravis, niſi hypercathartica aut venenata fuerint, originem trahit ſuam, non mali ut plurimùm ominis eſſe ſolet; imò potiùs nonunquam à futuro morbo præcavet: qui verò febribus lentis & hecticis, morbis contumacibus & diuturnis, phtiſi, maraſmo, hydropi inveterato, ætati decrepitæ &c. ſucceſſerit, aut colliquativus & ſyntecticus fuerit, periculum non mediocre portendit. Quòd ſi in febribus continuis, putridis, malignis, ardentibus, intermittentibus, aut aliis affectibus acutis contigerit, bonus & ſalutaris dicendus eſt, ut jam jam inſinuatum eſt; ſi εὐπορία & levamine ſtipatus eſt, ſi concocta & ſubacta materia morbifica, hoc eſt in ſtatu morbi accidat; ſi humores excreti coloris laudabilis atque conſiſtentiæ fuerint; ſi demùm ex eo morbi ſolutio, aut imminutio quædam, & ſymptomatum mitigatio ſequatur; malus autem & periculoſus cenſendus, ſi cum labore, dolore, anxietate, viriumque attritione conjunctus eſt, cum ineunte morbo ſupervenit, item & quandò materia excreta aquoſa eſt aut valdè diluta, quandò nigro, variegato, obſcurove colore tincta eſt, aut ſummè fœtet, quandò exit ægro minimè ſentiente, quandò denique affectus indè magis exacerbatur aut æqualiter viget.

Cum à dentium eruptione aut à vermibus pendet alvi fluxus, non diſſimilem ab affectibus quos ſequitur prognoſim ſortitur. *Leucophlegmatia detento diarrhœa fortis ſuperveniens morbum ſolvit* ex Hiproc. *Aphr. 29. ſect. 7.* quod debet intelligi de affectu incipiente aut nondum inveterato dum vegetæ adhuc vires ſunt, humorum namque in habitu corporis reſtagnantium metaſtaſis ad alvum fit, eorumdemque per inferiora evacuatio; *Mulieri prægnanti, ſi alvus multum fluat, periculum eſt ne abortiat*, ait idem Hippoc. *Aphr. 31. ſect. 5.* irritatio enim continua craſſorum inteſtinorum & recti potiſſimùm, facilè ad uterum utpotè vicinum & contiguum transfertur, undè ejuſdem motus conſtrictivi ob nervorum communionem ſequi poſſunt, contentum fœtum ante tempus divellentes atque excludentes. Ne tamen tale Hippocratis dictum novis in Medicina practicis timorem incutiat, dùm utero gerentes ipſis quandoque purgandæ veniunt, dicendum abortus periculum non niſi ab intenſo & diutius durante alvi fluxu impendere; tutò enim ſatis ſingulis geſtationis menſibus purgari poſſunt mulieres gravidæ, ſi neceſſitas poſtulet, modò mochlica & vehementia cathartica in uſum non adhibeantur, ſed mitiora tantùm & cuique ætati atque temperamento accommodata.

Ad diarrhœæ curationem ritè inſtituendam videndum ſtatim atque examinandum in quo caſu hominem afficiat, & à quibus cauſis dependeat; ſunt enim alvi fluxus varii remedia nulla requirentes, qui proindè toti naturæ committi debent; alii pauca admodùm & benigna, quæ ſcilicet eumdem non ſiſtant atque remorentur, ſed leniant, mitigent, aut imminuant; alii multa, quandò nempè eva-

pè evacuata ſufficienter humorum pravorum luxuriante ſaburra, urget adhuc diarrhœa & perſeverat gravibus ſtipata ſymptomatis, in quo caſu non leniendus tantùm, ſed paulatim etiam ſiſtendus eſt. Non igitur hìc criticam diarrhœam, aut eam quæ hominem ſanum ſalubriter aggreditur, aut quæ ab aſſumptis ſive purgantibus, ſive aliis crudis & dyſpeptis ſine notabili ſanitatis diſpendio procedit, & curandam ſuſcipimus, ſed eam dumtaxat, quæ malis hominis rebus ſeu ſpontè & citra febrem, ſeu ſymptomaticè & conſequenter ad varias febres, ſeu demùm ab aſſumptis venenatis, mochlicis remediis, aut admodùm parvis & primas vias turbantibus contingit.

Illa autem cùm ab humore bilioſo qualitate aut quantitate peccante oritur, expugnanda venit primò venæ ſectionibus variis, ſi aliundè per vires liceat, & plethora atque febris adſint, quæ ſanguinem ventilando atque refrigerando bilis æſtum & copia minuunt. Secundò refrigerantium & acidorum iterato uſu, balnei nempè, ſeri lactis, juleporùm ex aq. ſtillat. lactuc. acetoſ. partulac. cichor. endiv. papav. rhæad. nymp. &c. paratorum, aut ex earumdem herbarum decocto, cum ſemin. 4. frigid. majoribus & minoribus, ſem. papav. alb. ſale prunellæ. cryſtal tartar. tart. vitriolat. ſyrup. limon. berberis, de granat. acid. aut eorumdem expreſſis ſuccis, vel etiam emulſionum, juſculorum &c. quibus lenientia ſemper adjungi debent ad demulcendam humoris bilioſi irritantem acrimoniam, decoct. nempè rad. alth. lilior. ſymphyt. maj. ſummit. & flor. malv. mucilag. ſem. pſyll. & cydonior. ol. lini amygdal. dulc. vitell. ovorum &c. imò & detergentia, decoct. ſcilicet hord. furfur. acrim. cichor. liquir. paſſul. &c. His omnibus clyſteres ſæpiùs intermiſceantur, quorum uſus, ſi in quovis alio in iſto potiſſimum affectu palmam cæteris præripit remediis; illi prima fronte adſtringentes ne injiciantur, ut mos eſt apud Agyrtas & Medicaſtros, quorum viſus ultra naſum (ut ajunt) non extenditur; ne lupus in ovili retineatur, hoc eſt cauſa morbifica in corpore; ſed lenientes, refrigerantes, atque detergentes, ex decoct. inteſtinorum aut capitis vervecin. ex lact. ſer. lact. decoct. herbarum ſuprà dictarum, atque etiam verbaſci, violar. branc. urſin. cupator. ſem. lin. & alth. furfur. hord. flor. nymph. papav. alb. roſ. rubr. flor. chamomill. & melilot. flor. trium cordial. cum ſacch. rubr. conſerv. roſar. mel. roſac. caſſiæ pulp. vitellis ovorum, mucilaginibus ſuprà dictis, butyro inſulſo, oleis lini, lilior. amygdal. dulc. olivar. ovor. aliiſque paris virtutis in hoc tractatu jam recenſitis aut recenſendis.

Dùm verò remedia hæc ſuo tempore & loco adhibentur, videndum quoque nùm & purgatio etiam alvo fluente neceſſaria videatur, ut ſæpè accidit, atque etiam vomitus; compertum namque eſt apud practicos à purgatione plerumque diarrhœam ceſſare aut imminui notabiliter, quæ quorumcumque aliorum remediorum ope miteſcere aut compeſci minimè potuerat; vomitumque ſpontè aut arte excitatum humorem peccantem alioquin rebellem ad ſuperiora potenter revellere & evacuare; ſic enim exhauritur (ut ita dicam) atque revellitur humorum fons alvi fluxum producentium atque foventium, nec nova deinceps tantave ſuppetit materies, quæ eundem redintegrare aut continuare valeat. Purgantia non quævis, ſed benigna & quæ leniendo aut adſtringendo purgant, eligenda ſunt, caſſia nempè, tamarindi, rheum infuſum ejuſque pulvis in ſubſtantia ſumptus, myrobalani citrin. ſyrup. de flor. perſicor. de cichor. comp. cum rhab. manna &c. ex quibus potiones plus minus efficaces, pro ægrorum ætate, temperamento, & robore, aut etiam boli parari poſſunt. Vomitoria verò ſecundum vires & ad vomitus proclivitatem mediocria aut paulò fortiora ſeligantur, potiſſimum gilla aut ſal. vitriol. quæ vomitum excitando partes auſteritate ſua reſtringunt, ſed potiùs adhuc celebris illa & hoc tempore decantata radix, pauciſque abhinc annis inventa & ad nos aſportata quæ *Ipecacuana* dicitur, cujus drachma ſemis

aut

aut drachma una in pulverem redacta, & cum liquore idoneo aut jusculo sumpta, fluxibus ventris contumacibus, inveteratis, & qui aliis remediis cedere noluerunt, efficaciſſimè medetur, quia vomitum potenter ciet, & humorem morbificum seu tenaciſſimum à stomacho & inteſtinis revellit, eaſdemque simul partes adſtringit & roborat: horum indicatio petitur ex plenitudine ſtomachi, diuturno ciborum faſtidio, humoris morbum facientis abundantia, nauſea & proclivitate ad vomitum, ægri ætate, temperamento & viribus, aliorum remediorum uſu inutili &c.

Verùm quando humorem morbificum ſatis expurgatum ſuſpicatur Medicus, aut alvi fluxum ita vehementem videt, ut vires indè plurimùm collabantur, aliaque gravia exoriantur ſymptomata, aut morbus à quo pendet indè magis efferetur, *haud mora* lenientibus atque detergentibus adſtringentia & roborantia admiſcenda ſunt, ut ſunt inter vegetantia rad. pentaphyll. biſtort. tormentill. ſymphyt. &c. Fol. verbaſc. centinod. equiſet. plantag. burſ. paſtor. millefol. rubi, portulac. menth. myrthi, quercus &c. Sem. plantag. cydonior. acetoſ. myrtill. roſ. rub. balauſt. flor. nenuphar. nuc. cupreſſ. gallar. malicor. Aq. ſtillat. roſar. plantag. portulac. aliorumque dictorum vegetantium Conſerv. roſar. cynorrhod. nuc. condit. miva & pulpa cydoniorum, meſpillorum, confect. hyacinth. alkerm. imò & theriaca mithridatiumque, ſi febris non vigeat, bolus armena, terra ſigillata, ſang. dracon. rheum torrefactum, antimon. diaphoret. c. c. uſtum, raſ. ebor. ocul. cancror. eorumdemque pulvis. Succi ex prædictis herbis expreſſi, ſucc. granator. aut cydoniorum, eorumve ſyrup. ſyrupus item & tinctura corallorum, ova indurata &c. quæ omnia in julepis, juſculis, ptiſanis, emulſionibus; opiatis, enematibus, ægris exhiberi poſſunt. Monendum tamen hìc adſtringentia illa non affatim uſurpanda eſſe; ſed ſenſim ſine ſenſu, eorumdem doſim pedetentim augendo, eaque refrigerantibus, lenientibus atque detergentibus immiſcendo.

Sed ne præcipua & potiſſima remedia reticeamus, quæ alvi fluxui ſiſtendo, mitigando, aut imminuendo conducunt, quæque cauſæ morbificæ vim & acrimoniam infringunt, adhibenda præprimis ſe offerunt narcotica jam toties decantata, philon. nempè roman. pilul. de cynogloſſ. diacod. ſyrup. papav. alb. aut rubr. extract. opii &c. quæ tamen non niſi evacuato magna ex parte humore morbum faciente debent celebrari, aut urgentibus admodum dolore atque vigiliis &c.

Ex hac diarrhœæ bilioſæ curatione ejus quæ ſeroſa dicitur therapeja facilè argui poteſt, neque enim admodùm diverſam requirit remediorum adminiſtrationem; huic venæ ſectiones ſaltem iteratæ non ita competere videntur, quia cauſa morbifica non tam æſtuans eſt, niſi febrem habeat conjunctam & aliundè majorem utplurimùm virium concidentiam infert, ob ſanguinis magis vitiatam craſim, clyſteres in hoc caſu toti lenientes eſſe debent aut detergentes; ſucceſſu verò temporis paulò adſtringentes, ut in curatione diarrhœæ bilioſæ dictum eſt, quibus refrigerantia addi poſſunt, ſi æſtuantium viſcerum aut ipſius ſanguinis indicia ſint; Balnei ſimiliter & ſeri lactis, lactiſve integri latere candente uſtulati uſus, abſente præſertim febre, ſummoperè humoris morbifici acrimoniam & ſalſedinem demulcebit, quod præſtabunt etiam olea ſuprà dicta, vitell. ovor. butyrum non ſalitum, mucilagines ſupra dictæ, emulſiones, julepi incraſſantes, hordeata, amygdalata, cancrorum fluviatilium juſcula, aut carnis vitulinæ juniorumque animalium, &c. Alchalia verò & terreſtria jamjam propoſita ſalium in ſero diſſolutorum aculeos abſorbebunt, dùm cardiaca atque roborantia virium, ſi quæ ſit, jacturam reparabunt, inteſtinorumque & ſtomachi tonum reſtituent: denique (ut paucis multa complectar) victus leniens & incraſſans, remedia demulcentia, detergentia, anodyna, inſpiſſantia, atque etiam abſorbentia, narcotica & adſtrigentia, tùm per os, tùm per anum tempeſtivè uſurpata totum curatio-

rationis opus abſolvent, dummodò purgantium ſuprà dictorum identidem uſus moderatus non prætermittatur.

Vomitus hìc etiam atque diaphoreſis major vel minor pro majori aut minori humorum incendio excitari tutò quandoque poſſunt, ille enim, ut ſuprà dictum eſt, cauſam morbificam aliis inprimis remediis vel ſpecificis non cedentem potenter revellit; hæc verò ad habitum corporis humores ſeroſos alvi fluxum foventes deducit, & à centro retrahit; ſed aquarum ſulphurearum atque thermalium potus diarrhœæ ſeroſæ contumaci præſertim, ac inveteratæ præ aliis omnibus ſubſidiatur, ſicut & acidularum diarrhœæ bilioſæ, modò nil aliud contraindicet, & vires ægri iis ſumendis ſufficiant.

Plura ſunt alia diarrhœæ tùm bilioſæ, tùm ſeroſæ remedia, quæ hìc non recenſemus, ne caput hoc in majorem quàm par eſt molem excreſcat, & quæ apud varios practicos aut Obſervatores videri poſſunt, ne quid dicam de aperientibus, chalybeatis &c. quæ in uſum therapeuticum vocanda neceſſariò ſunt, ſi ſtante quoquo modo diarrhœa viſcerum adſit & colatoriorum plenitudo, infarctus; & obſtructio.

Colliquativus alvi fluxus præter remedia ſuprà recenſita analeptica requirit, alexiteria, atque reſtaurantia, in clyſteribus atque potionibus adhibita, non prætermiſſis tamen iis quæ morbis à quibus oritur ſpecificè medentur.

Stercoroſus verò rarò medicum expoſcit auxilium, aut ſi is à cruditate ſtomachi, ab aſſumptis fructibus praviſque edùliis pendeat, ejus curatio repetenda eſt ex capite ubi de coctione ſtomachi læſa actum eſt.

Qui à lumbricis aut dentitione puerorum excitatur alvi fluxus curandus eſt per remedia vermes necantia atque fugantia, quorum in ſequentibus mentio fuſius fiet, lactea ſcilicet enemata cum dulcibus, ſaccharatis, & detergentibus, per ſyrup. de abſynth. per os exhibitum, de cichor. cum rheo in vino aut aq. portulac. & lactuc. confect. hyacinthor. pulver. aut ſem. contra verm. aquill. alb. corallin. c. c. &c. aut narcotica & anodyna, intermixtis lenibus admodum & ægrorum ætati accommodatis purgantibus, atque etiam leviter adſtringentibus, ſi fluxus nimium protrahatur.

Quod ad externa & ventri admoveri ſolita ſpectat remedia, quæ alvi fluxui competere poſſunt, ut ſunt inunctiones variæ, cataplaſmata, emplaſtra, &c. ea quanquam à variis Auctoribus valdè commendantur, ad quos Lectorem mittimus, nobis non ita credulis multò minoris habentur, ac proindè ſilentio prætermittuntur.

NOTA.

IN Diarrhœa, præmiſſis univerſalibus, valdè laudatur extractum tormentillæ, à ʒ. ss. ad ʒ. j. in convenienti vehiculo exhibitum. Item folia ac rad. plantaginis, liſimachiæ luteæ & purpureæ, ſemen portulacæ, ac magis ſpecificè, ſophiæ chirurgorum; ſpongia ſalicis exſiccata ad ℈. ss. data decoctum maſtiches in qua appropriata, vel in potu ordinario, ut & liquor fumo ejuſdem maſtichis imprægnatus, quod fit fumum maſtichis ſubinde & ſæpius in ollam terream vitreatam aqua repletam inducendo, donec prædictus liquor ſaporem maſtichinum contraxerit. Saccharum ſaturni commendatur etiam, ac præcipuè vitriolo martis maritatum, unde conficitur hæmatites artificialis, cujus doſis à gr. x. ad j. ℈. Alii maximè deprædicant ſevum hircinum liquefactum, ac farinæ triticeæ pro pulmento inde conficiendo admiſtum; nec inutile præterea fuerit decoctum gummi Arabici. In Diarrhœa Epidemica, adjungenda veniunt alexiteria, mixtura v. g. ſimplex, ſeu diaphoreticum in peracutis, ſal viperarum volatile. Theriaca, ſive ſola, ſive balſamo Peruviano, de Mecha, vel Copaivæ, adjuncta. Hiſce adde inunctiones ex oleis abſinth. maſtiches &c. item facculos ex mentha criſpa; abſint. roſis rubr. &c. vino rubro incoctos. Plura vide capite de Dyſenteria. Radicem Ypecacuanhæ, quod ſpectat

de

de qua Clariſſ. Auctor, illa ſanè in Diarrhœis ut plurimum parum admodum proficit, etiamſi per quam methodicè adhibita. Imò id Dyſenteriis quas hìc Genevæ, copioſius habemus nunc curandas, dum radix hæc tormina & ſanguinem allis materiis adjunctum, tollit, fluxus tamen bilioſi poſt ejuſdem exhibitionem durantis pertinaciam vincere nequit, eique propterea efficaciùs oppugnandæ bolos è rheò, mercurio dulci & myrrhæſyr. abſint. exceptis, &c. adhibemus.

CAPUT XVII.

De Dyſenteria.

DYſenteriæ genericum nomen cruentas omnes alvi dejectiones apud Veteres ſignificat; ſive ſanguis ex præciſa ruptave aliqua abdominis interna parte prodeat, ſive ſub loturæ carnium ſpecie rejiciatur, ſive per venas hæmorrhoidales apertas exeat, aut per ſe, aut evacuationis alterius defectu, ſive demùm idem ſanguis florido rubeoque ut in arteriis, aut livido atque nigricante, ut in venis colore perfundatur; ſtrictè tamen & magis propriè pro ea ſanguinolenti alvi fluxus ſpecie ſumitur, quæ ab inteſtinorum tùm tenuium, tùm craſſorum exulceratione dependet, & in qua brevibus intervallis excrementa ſanguini, puri, & materiæ mucoſæ permixta cum dolore & ventris torminibus rejiciunt ægrotantes.

In hoc ſenſu à nobis conſiderata dividitur in malignam, quæ graviora multò quàm quæ dicta ſunt invehit ſymptomata, virium nempè ſummam exolutionem, febrem plus minùs intenſam, vomitum, ſingultum, ſyncopem, vigilias immodicas, ſitim inextinguibilem, aliaque aliis & quidem acutiſſimis morbis communia; & benignam, quæ febre aut nulla aut exigua admodùm ſtipata eſt, quæque ita parum ægros plerùmque affligit, ut ne eos quidem cogat lecto decumbere, niſi fortè ad recipiendos clyſteres. His alteram ſpeciem minùs frequentem addere libet, peſtilentem ſcilicet dyſenteriam, quæ omnium peſſima & fæviſſima eſt, & quæ ab aliis peſtis ſpeciebus non diſcrepat, niſi ex eo quod cauſa morbifica in ſanguine hoſpitans, ejuſque partes & principia atterens, in ventrem potiſſimùm & inteſtina confluat, in quæ vim ſuam erodentem diſſolventem non minus quàm in maſſam ſanguineam potenter exerit; atque hæc eſt quæ urbes, provincias, & potiſſimùm exercitus poſt ciborum penuriam, pugnam, longamve urbium obſidionem devaſtat ac depopulatur.

Dividi etiam poteſt hic affectus in *epidemicum* contagioſumve, qui cauſæ communi ortum ſuum atteſtans omnes aut ſaltem quamplurimos in eadem regione indifferenter invadit, quid; per exhalantia ab ægro ejuſve excrementis miaſmata non infeſtis facilè communicatur, & *ſporadicum* atque contagii magis expertem, qui à cauſa peculiari in variis regionibus procedens varios homines corripit, aut ab uno ad alium non ita facilè migrat; prima ſpecies frequens eſt, altera verò minùs frequens.

Ut verò omnes jam allatæ dyſenteriæ propriè dictæ ſpecies clariùs adhuc eluceſcant, ad earum cauſas jam properandum eſt. Ac primo certum eſt quòd cùm hujus morbi in genere natura ſita ſit inteſtinorum eroſione atque exulceratione, undè ſanguis & pus excrementis permixta derivantur, atque etiam moleſtæ iſtæ ventris torſiones, accuſandum venit ad illius productionem quidquid acrimonia aut aciditate ſeptica, cauſtica, vel ſummè erodente donatum, ſive ab extrinſeco adveniens, ſeu in corpore genitum, tunicam inteſtinalis fiſtulæ exedere & dilacerare aptum natum eſt; in hoc cenſu non multiplex bilis ſpecies à colore ejuſdem vario variè nominata poni debet ſed unicus bilioſus humor quomodocumque coloratus, acerrimus tamen, & veluti pyroticus factus ex ſalis ſui etiam lixivi exundante copia atque exaltatione, qui enim à ſtatu naturalis minùs deflectens (ut alibi dictum eſt) poteſt inteſtinorum membranas ſtimulare & laceſſere,

valet

valet idem acrior factus, ſi præſertim lentus, oleoſus, ac viſcidus fuerit, eaſdem membranas magis penetrando aut erodendo divellere atque exulcerare (quidquid in contrarium reclamet Sylvius Deleboe, aſſerens ulcus omne in corpore genitum acidi non lixivi affectum eſſe) quod quàm verum ſit teſtantur cantharides, veſicantia multa atque pyrotica ſale acri alchalino fixo aut volatili potiùs quàm acido referta, quæ dum cuti admoventur ulcuſcula manantia haud cunctanter excitant. Et vero ut res clarius adhuc & mechanicè explicetur, omne vulnerans ulceranſque, aut ut uno nomine dicam, continuum ſolvens ſub duplici idæa potiſſimùm concipi poteſt (ſi diſtenſionem excipias, undè ruptio plerumque ſequitur) petito ab inſtrumentis ferreis exemplo, quorum alia, ut lima & ſerra, corpora in quæ agunt per ſuperficies abradunt ob breviores minuſque elevatos quibus donantur aculeos, eorumque horiſontalem motum; alia, ut cuneus, gladius, culter, acus, &c. non tam agunt in corporis ſuperficem quàm in ejus profunditatem, motuque directo in illud feruntur, longiori namque & rigidiori ſimul armata acumine in objecta dividenda altius infiguntur, quorum proindè partes à ſe invicem ſeparant & divellunt: humores pariter partium corporis continuitatem quoquo modo ſolventes, de quorum inſenſibilibus partibus non ſecùs ac de iis quæ ſub ſenſus cadunt hoc ſæculo ratiocinantur Medici, ob aculeorum ſuorum quos à ſale habent brevitatem aut longitudinem, aut (ut melius dixerim) ob ſuperficiei ſuæ aſperitatem aut acutiem, diverſumque eorumdem motum, variè quoque dictas partes lacerant dividuntque, nunc limæ ad inſtar eoſdem abradendo & erodendo, nunc acicularum more pungendo atque perforando; unde colligitur non ſolùm acidos præter modum ſuccos, qui aciculis gladioliſque ob particularum ſuarum longam & rigidam aciem æquiparantur, vulnera & continui ſolutiones in corpore excitare poſſe; verùm etiam alchalinos, lixivioſos, ac proindè biliioſos, quorum ſales, etiamſi ſulphure craſſo & aduſto irretiti, acutiem tamen ſuam ſufficienter exerunt, ut limis, ſerris, atque etiam echinis conferri meritò poſſint.

Hùc revocari debent, ne crambem repetere cogamur, quæ de humore bilioſo acriori facto ejuſque fontibus ac viis per quas ad inteſtina defertur, in præcedenti capite dicta ſunt, imò & de cauſis dictum humorem exurentibus, acuentibus, atque exaltantibus, bilis namque diarrhœam pariter ac dyſenteriam parere potis eſt, ſecundum varios acredinis ſuæ gradus, majoremque aut minorem partium ſuarum aſperitatem; atque hinc eſt quod alvi profluvium, ferox præſertim & contumax, in dyſenteriam facilè quandoque commutetur.

Præter bilem nimium efferatam alia eſt legitima nec forſan minus frequens dyſenteriæ cauſa, humores ſcilicet ſeroſi aut lymphatici præter modum acidi & aquæ ſtygiæ naturam redolentes; qui non à capite & cerebro ſub pituitæ ſalſæ larva decidui ſunt, ut veteres Medici ſomniarunt, ſed à ſanguinis alveo manantes, ubi quandoque ex ſex rerum non naturalium abuſu luxuriant, per arteriæ cœliacæ ramos in inteſtina depluunt, quorum membranas ſenſim ſine ſenſu exulcerant: illi verò beneficio & miniſterio tunicæ glanduloſæ & velamenti inteſtinorum bombycini à maſſa ſanguinis (ut alibi innuimus) ſecernuntur, aut etiam glanduloſorum à Peyero detectorum in colo acinorum ope; tuncque ſui juris facti, nec amplius globulis ſanguineis ejuſque ſulphureis partibus implicati, in dicta inteſtina ad humorum illorum fluxum, ſeu ob ſuam texturam, ſeu ob ſuam ſolitam irritationem, ſeu quacunque alia data occaſione, contagio, putà, eduliis, aſſumptiſve prædiſpoſita, vires ſuas potenter exerunt.

Eumdem præſtare effectum poteſt ſuccus pancreaticus acidior quàm par eſt à ſanguine per glandulam pancreatis conglomeratam ſeparatus, qui aculeis ſolito longioribus durioribuſque ob ſuam moram ſuamque exaltationem gaudens, ſenſibiles

biles duodeni, Ilei, atque jejuni tunicas exedere non minus valet; quanquam illud non ita frequenter contingere existimo.

Nec dum sales acidos fluoremque passos in sero & lympha dilutos pro dysenterici affectus causa statuimus, ab eodem opere expungere volumus eosdem alchalinos tùm volatiles tùm fixos in parte sanguinis serosa copiosius pariter dissolutos; ii siquidem, quanquam non ita promptè ac acidi, ob minorem aculeorum suorum elationem, effectum suum sortiuntur, per iteratos tamen actus continuumque suum fluxum intestina abradere & exulcerare apti nati sunt, sicque tandem cruentas purulentasve alvi dejectiones cum dolore & torminibus excitare; hujus seri tùm acrioris tùm acidioris, atque etiam lymphæ nimium erodentis exemplum pete ex elephantiasi, lue venerea, cancro, scrophulis, scabie, atque etiam catarrho ferino dicto in oculos, fauces, & nares fluente, in quibus omnibus affectibus variarum partium erosiones & exulcerationes excitantur, ob dictos humores in ipsas copiosius & diutius irruentes.

Atque hæ sunt proximæ & immediatæ dysenterici affectus causæ, quibus quædam aliæ adjungi possunt, intestina pariter per se exulcerantes, quæ tamen minus frequentes sunt, venena scilicet, mochlica & admodum acria purgantia, lumbrici mordentes, prava ingesta edulia, & per putredinem in primis viis acorem summum consecuta, atque etiam intestinorum phlogoses in abscessum & ulcus degenerantes.

Mediatæ verò externæ atque procatharticæ dysenteriæ causæ sunt primò fructus omnes, acidi præsertim & immaturi, aut iidem, si maturi sint, facilis corruptionis aut difficilis digestionis; ut sunt ficus, mala persica, pepones &c. Secundò, aquæ crudæ, per plumbeos cupreosve canales fluentes, aut per fodinas mineralium erodentium transeuntes. Tertiò, ciborum acrium aut acidorum continuus & immoderatus usus, item & eorum quæ humorum bilioſum exurunt atque exaltant, quæve facilè in stomacho & intestinis corrumpuntur. Quartò, effluvia sive miasmata à dysentericorum corporibus, aut ab eorumdem excrementis emanantia, aut instrumentis potissimùm clysmaticis applicatis, & non benè detersis adhærentia; aer denique acribus, venenatis, terræ exhalationibus aut effluviis dictis dysentericorum infectus, vel idem ob perversas anni tempestates in crasi sua corruptus & vitiatus, & miasmate salino peculiari intestinis specialiter infenso refertus. Quorum omnium in dysenteria excitanda vis ut explicetur, advertendum ingestos in stomachum fructus maturitatem potissimum suam non adeptos; eum non rectè à fermento ventriculi ob suam improportionem subigantur, ejusque vim eludant, aciditatem suam magis ac magis extricare, quæ deindè intestinorum tunicas lacessit; & sanguinem salibus acidis in dicta intestina denuò per motum circularem refluentibus inficit; aut eosdem fructus ad fermentationem suscipiendam propter laxam particularum suarum texturam idoneos, juvante præsertim calore viscerum, salium suorum intestinorum tunicis valdè infensorum libertatem & fluorem nancisci; aut denique eosdem ipsos malè subactos corruptelam pravam induere, & in putridam acremve mutari colluviem, undè acriora & magis irritantia fiunt excrementa; atque indè deducendas puto colicas illas passiones sævaque ventris tormina, quæ cum borborygmis totiusque abdominis strepitu homines à fructuum copioso & immoderato esu divexare solita sunt, abundant namque fructus etiam suaviores præ aliis omnibus principiis sale acido, ut dentium stupor illorum esum consequens testatur, qui in sensiles intestinorum membranas penetrare non minùs aptus est, imò magis, quam in osseam dentium substantiam aut eorumdem alveolos.

Indè pariter eruendam censeo rationem, cur affectus iste sub finem æstatis aut tempestate autumnali sævire & grassari potiùs quàm aliis temporibus consueverit (quanquam absolutè loquendo

fin-

ſingulis menſibus, imò & diebus exoriri poſſe nemo dubitat (cùm enim iis potiſſimùm tempeſtatibus fructuum ubertas & varietas homines ad ſui deguſtationem, imò & comeſtionem iteratam invitet & alliciat, qui ſæpiſſimè eorumdem maturitatem ſaltem perfectam expectare aut nolunt aut nequeunt, copioſus ex copioſo dictorum fructuum eſu fit in humano corpore ſalium acidorum proventus, qui in inteſtina, in quæ primò vim ſuam exeruerunt, deinceps ſe ſe exonerant.

De aquis per metallicos canales aut mineralium fodinas tranſeuntibus non eſt ut pluribus differamus, ſicut nec de acrium acidorumve ciborum, biliſque, ſeri, & lymphæ acrimoniam augentium uſu immodico, quomodò enim dyſentericum affectum inducant aut inducere poſſint, vel lippis manifeſtum eſt: Miaſmata autem atque effluvia ex dyſentericorum corporibus aut excrementis emanantia, aeriſve ſale quodam acri & corroſivo inteſtinis ſpecialiter infenſo infecti adſcititia vel ingenita diatheſis, quo pacto cruentum alvi fluxum invehant, declarare magis arduum eſt; atque ut hoc penſum, quantum in nobis eſt, abſolvamus, dicimus primò halitus ſeu fuligines cùm ex corpore dyſenterico per expirationem & tranſpirationem emanantes, tùm ex excrementis hoc morbo laborantium erumpentes, naturam cauſæ morbificæ in toto ægri ſanguine & inteſtinis hoſpitantis penitus redolere, eoſdemque ſalinos admodum & acres dum ſemel reſpirationis ope, vel per cutis poros, vel per ani tubum corpori ſano & hac labe non infecto communicati ſunt, ſtatim ſeroſis atque lymphaticis in eo exiſtentibus humoribus acidam præter naturam aut acrem, prout ipſi ſunt diſpoſitionem conciliare, quæ inteſtinis potius quàm aliis corporis partibus affigitur, ibique effectum ſuum ſortitur, ob ſpecialem harum partium & aptam ſuprà dictis effluviis per contagium ſuſceptis in ſe excipiendis admittendiſque configurationem; ut enim ſuis variè figuratis aculeis gaudent ſales omnes, hoc eſt cylindricis, triculpidibus, quadrangularibus, rectis, tortuoſis, aduncis, &c. iiſque longioribus, brevioribus, rigidis, aut flexilibus, tenuioribus, aut craſſioribus: ſic omnes quotquot extant in corpore humano ſolidæ partes ſuam habent texturam variam, ſuamque compagem, ex quibus diverſa exſurgit pororum quibus confertæ ſunt figura dictis ſalibus aut humoribus ſalinis ſecundum ſuam proportionem recipiendis idonea; atque hinc peti debet variorum corporum aut liquorum ſympathia aut antipathia ad ſe invicem, ſicut & ratio cur ſaliva canis rabidi cerebro præſertim & ſpiritibus animalibus, lepus marinus pulmoni, cantharides veſicæ &c. ſpecialiter infenſa ſint.

Talis ſuſcepti contagii & in ſanguinem tranſmiſſi inteſtina potius quàm alias partes agendi poteſtas explicari alio modo non minùs congruo poteſt, dicendo ſales illos quos acres & rodentes ſupponimus in ſanguine dilutos intimius ipſi permiſceri, confundi, & alligari, quàm ut per diaphoreſim aut diureſim, quæ laxatam magis ſanguinis compagem requirunt, eliminari poſſint, ipſoſque mole majores, quàm qui per papillas renum glandulaſve cutis miliares aliave ſtrictiora corporis colatoria ſegregari ſoliti ſunt, tritam magis & amplam viam affectare, qualis eſt inteſtinorum fiſtula glandulæque per eorum longitudinem diſperſæ & laxiores, in quas ut in ordinariam, ac proindè magis patulam totius corporis ſentinam per multiplices arteriæ cœliacæ & meſentericæ ramos à natura aliam viam non inveniente deponuntur. Adde quod ad hanc viam capeſſendam hinc à bile inteſtina continuò irritante, indè ab excrementis eadem ſtimulantibus, aut à comeſtis fortè fructibus aliiſque pravis eduliis determinari poſſunt.

Quod de contagio à dyſentericis mutuato jam dictum eſt, de aeris poſt certas cœli conſtitutiones, habitu ad dyſenteriam epidemicam inducendam idoneo dici pari ratione poteſt: nam ſeu idem pravis, corruptis, & (ut verbo dicam) acribus aut acidis exhalationibus turgeat,

arſenicalibus puta, vitriolicis, aluminoſis, &c. è variis terræ cryptis apertis, aut hiantibus, elevatis, vel aliis halitibus abundet ex cadaveribus poſt belli ſtrages, ex aquis, lacubus, & ſtagnis putridis, aut aliundè manantibus, ſive ipſemet in craſi ſua vitietur, perverſis nempè tempeſtatum ordine atque temperie, indeque nitrum ipſi ingenitum ferox & diſſolvens nimis evadat, aut (quod maximè notandum eſt, quodque maximum hac in re ſymbolum conferre exiſtimo) terræ fruges indè minùs in terra ſubactæ & elaboratæ pravam & corruptibilem præbeant alimenti materiam; quid aliud quæſo, ex depravato ſic continuo homini pabulo exoriri poteſt, niſi ſumma maſſæ ejus ſanguineæ aciditas aut acrimonia humores vaſis contentos non ſolùm atterens & peſſundans, verùm & varias corporis partes erodens & lacerans, ac potiſſimùm inteſtina, cùm hujuſmodi ſales ob rationes de contagio dictas eorum texturæ magis affigi & illigari videantur.

Sic ex Hippoc. hyemem ſiccam & aquiloniam, ver pluvioſum & auſtrinum conſequens, aut vice verſa, atque his veris hyemiſque inæqualitatibus æſtas calida & ſicca ſuccedens dyſenterias autumno pariunt, quod ex aere quidem depravato & corrupto procedere poteſt, qui alternas frigoris, ſiccitatis, pluviarumque & caloris viciſſitudines in eadem tempeſtate expoſcit, magis tamen ex peſſum euntibus terræ frugibus atque horariis fructibus, in quæ omnia nutrititius ſuccus in aere volitans & in rore & pluvia ſolutus antequam terram ſubeat, ob dictas aeris intemperies diſtribui rectus & recto ordine non poteſt, undè dyſpepta magis & ad corruptionem prona fiunt.

Quam verum ſit prava & corruptibilia alimenta quæ communis plerumque dyſenterici affectus cauſa ſunt æquè ac aerem qui falsò ſæpè inſimulatur dyſenteriæ populari ortum dare poſſe, unum inſtar omnium argumentum eſt fames in aliqua regione aut obſeſſa urbe, aut in caſtris militum regnas, quam ut plurimùm dyſentericus ſequitur alvi fluxus, ob prava, acria & ab uſu aliena comeſta edulia porros, cœpas, allia, olera cruda, herbas varias, earumque radices, ne quid pejus dicam; ex quibus chylus crudus, acidus exſurgit, & ad putredinem & corruptionem proclivis, atque proindè excrementa admodum acria, corrupta, & fœtentia.

Ut verò jam dictas cauſas variis dyſenteriæ ſpeciebus ſupra recenſitis applicemus; dicendum cauſam morbum facientem vel in ſolis (ut ita dicam) primis viis hoſpitari, nec in ſanguinem ſaltem altiùs inſinuari ad ejus diatheſim notabiliter vitiandam; ut accidit quandò bilioſi humores paulò acriores, quorum fons & ſcaturigo in abdomine eſt, ſimplicem dyſenteriam excitant, aut comeſti immaturi, acidi, auſteri, iique copioſi fructus, pravique & dyſpepti cibi; aut quandò acria & ſuperpurgantia per os aut anum aſſumpta ſunt, aut quandò ſuccus pancreaticus mucuſve inteſtinorum acidiores, lumbricive mordentes tunicas eorundem erodunt & divellunt; aut demùm quandò ſuſceptum eſt leve admodùm & minùs efficax contagium; tuncque affectus mali moris non eſt, nec ſæva ulla ferè præter ventris dolores infert ſymptomata, utpotè qui à cauſa (ut jam dictum eſt,) in ſolis inteſtinis fluctuante, aut inibi ſui juris facta dependet.

Vel eadem cauſa morbifica, magis intenſa, acris nimirum & diſſolvens in maſſam ſanguineam non minùs quàm inteſtina furorem exercet ſuum, ejuſque texturam atterit, ſive illa in ſanguine præexiſtat ipſi tenaciùs inhærens, ſive ab inteſtinis primariò affectis in eumdem tranſmiſſa fuerit: tuncque maligna excitatur dyſenteria tormina non ſolùm inferens; ſed & febrem acuta, virium exſolutionem, ſingultum, vomitum, ſyncopen, ſitim &c. Vel denique dyſenterici affectus cauſa ab aere corrupto, contagio fortiori, frugibus terræ malè digeſtis, aut aquis pernimiam aeris ſiccitatem & calorem ſtagnantibus & putridis deprompta, eaque ſummè diſſolvens &

prin-

principia ſanguinis conſtitutiva à ſe invicem dividens, quod peſtiferi naturam facit, humorum œconomiam funditus evertit, eoſque fuſos ad inteſtina præcipitat; & in hoc caſu peſtilens dyſenteria inducitur in omnes communiter graſſans & regiones integras devaſtans quæ hoc cum maligna, à qua tantùm penes intenſionem differt, commune habet, ut à fero lymphaque acrioribus ſaleque lixivo & alchalino onuſtis, aut à bile ſalſiori retorrida & ſcindente totum ſanguinem inficientibus ſæpiùs quàm ab humoribus acidis producatur.

Præterea *epidemicum* hunc affectum facit cauſa communis, aer ſcilicet, edulia, aquæ, terræ fruges & fructus, vina acida aut immatura in quacunque regione paſſim hominibus victum præbentia, undè apparatus in ſingulis, aut ſaltem quamplurimis dyſentericus inducitur. *Sporadicum* verò cauſa peculiaris, venenum nempè hauſtum vehemens catharticum, lumbrici, aut peculiaris in variis ſubjectis variiſque regionibus ad hunc producendum morbum diſpoſitio ex malè uſurpatis ſex rebus non naturalibus exſurgens. Similiter contagioſa efficitur dyſenteria per cauſæ morbificæ tenuitatem, volatilitatem, cum acrimonia conjunctam, qua in obvios quoſque irruere, eorumque corpus & humores ſubire apta eſt; minùs tamen talis eſſe ſolet, dùm humor morbum faciens magis craſſus & fixus eſt, aut ex certa temperamenti alicujus diſpoſitione pendet, aliis proindè minùs communicabilis.

Hìc advertendum eſt (quod Medicorum Anatomicis congruit Obſervationibus) craſſa inteſtina ſæpiùs ab hoc morbo quàm tenuia laborare, quanquam iſta (ut ſuprà innuimus,) ab eodem immunia plerumque non ſint; cujus rei hæc ratio eſſe videtur, quòd inteſtina craſſa magis carnoſa ſint, magiſque proindè laxa & ſanguine irrigua, undè fit ut humorum acrium aut acidorum copiæ, fluxui atque actioni multò minùs reſiſtant, quàm tenuia quæ magis membranoſa & exanguia ſunt. Adde quod humorum aciditas aut acrimonia in tenuibus inteſtinis à chylo, qui illorum perluit cavitatem, temperatur & demulcetur quod in craſſis non accidit chyli præſentia deſtitutis, & in quibus præterea excrementa acria ob ſuos exaltatos ſales cauſæ morbificæ actionem juvant, ne quid dicam de eorundem rugis atque cellulis humores morbum facientes diutiùs retinentibus.

Signa dyſenteriæ dignoſtica ex iis quæ jam dicta ſunt facilè colliguntur, excrementa namque alvi modò paulò craſſiora, modò liquidiora, eaque variè colorata ſanguine immixto nunc florido, nunc nigriori, prout majorem aut minorem in inteſtinis moram fecit, tinguntur, & deinceps pure, vel materia mucoſa eaq; copioſa perfunduntur; imò plerumque accidit ſanguinem copioſo humori & ſeroſo & mucoſo affuſum colorem excretionis loturæ carnium ſimilem efficere, per quod cum hepatico dicto fluxu hic affectus confunderetur, ni alia ſymptomata & quidem peculiaria ſecum inferret. Sanguis & pus quæ excrementa dyſentericorum perfundunt, ab apertis per eroſionem arteriarum aut venarum oſculis atque membranis, exiguiſque abſceſſibus in glandulis inteſtinalibus factis & ruptis peti debent, quorum copia major aut minor ulcerum frequentiam aut extenſionem & profunditatem declarabit; albus verò viſcidus, & mucoſus humor ſæpiùs & magna copia à dyſentericis excretus non pituita eſt à cerebro defluens (ut quibuſdam placuit) cùm nulla ipſi indè ad alvum via ſtrata ſit; non pinguedo à vaſis celluliſque abdominis adipoſis prodiens, quæ maraſmum & tabem ſtatim induceret; non ὁμοιότητος ſeu tertiæ coctionis depravatæ reſiduum, ſeu inteſtini affecti alimentum in materiam puri analogam tranſmutatum, ut Riverio viſum eſt, cujus copia tanta eſſe non poſſit; ſed pituita potiùs in inteſtinis genita, aut, (ut rectiùs loquar) liquor ille lymphaticus & glutinoſus, quem tunica inteſtinorum glanduloſa continuò à ſanguine ſecernit, quique ad ipſa lubricanda & oblinienda dicatus eſt.

Comitantur præterea dyſenteriam tormina & dolores ventris intenſi à ſenſibilium tunicarum eroſione & ſolutione pendentes, qui identidem exaſperantur & recrudeſcunt, præſertim dùm æger alvum cupit deponere, ob novum & iteratum cauſæ morbificæ affluxum, humorumque bilioſorum acrium aut excrementorum pertranſeuntium irritantem acrimoniam.

Vigiliæ quandò urgent, à dolore ſpiritus animales in cerebro exagitante & commovente, aut ſi febris ſimul vigeat, à particulis ſanguinis heterogeneis ſpiritibus aſſociatis eoſque perturbantibus ſunt deducendæ, ſomnus namque in blanda eorumdem quiete, aut ſaltem lento admodùm & remiſſo motu conſiſtit.

Sitis & cibi faſtidium, ſi ægrum afficiant, quod non ſemper contingit, præſertim abſente febre, ab intenſo ſanguinis motu humores excaleſaciente, liquoriſque fauces & œſophagum irrigare ſoliti, & in ſtomacho appetentiam excitare, ſecretionem impediente procedunt; vel à bilioſis acribuſque in iiſdem partibus depoſitis particulis, aut demùm ab halitibus acribus & calidis à parte affecta ad ſtomachum & œſophagum excurrentibus.

Quod ad febrem ſpectat, ea ſi benignam dyſenteriam comitetur, ex dolorum intenſione atque duratione & vigiliis indè ſequentibus petenda eſt; neque enim fieri poteſt ut ex talibus ſymptomatis ſanguis non incaleſcat magis fermentetur. Adde quod adeſt plerumque aliquid heterogeneum in ipſa ſanguinis maſſa illius motum data occaſione augens & accelerans, ſive illud à contagio procedat, ſive ab inteſtinorum ulcuſculis in ipſum transfundatur, ſive à particulis bilioſis acribus & ſanguinem contaminantibus oriatur.

Si verò dyſenteria maligna ſit aut peſtilens, tunc febris in ipſo ſanguine (ut antè dictum eſt,) radicem habet, à ſalibus nempè lixivioſis & alchalicis ipſius texturam plus minùs ſolventibus eruenda quod præſtare non poſſunt quin fermentationem præternaturalem excitent.

Notandum tamen, quod quiſque per praxim compertum habebit, febrem illam, etiamſi funeſtam & periculi plenam, non ita vegetam eſſe, ut in pluribus aliis affectibus, pulſumque non vehementem & validum, ſed minutum & debilem plerumque inducere, quod indè fieri arbitror, quod exhauſti per alvi fluxum ſpiritus cordis validas ſyſtoles ciere non poſſunt, & evacuata continuò cauſæ morbum facientis portione, tantus non eſt humorum circulantium orgaſmus.

Indè ſimiliter eſſe cenſendum eſt, quod ſecùs quàm accidit in pleriſque acutis & continuis febribus, metaſtaſis humorum peccantium in cerebrum rarò fiat in affectu dyſenterico; ita ut paucos videas delirio, phrenitide, convulſione, aut ſopore præternaturali tentatos, niſi forſan iis alvus ab intempeſtivo & promptiori uſu adſtringentium ſuppreſſa ſit? continuus ſiquidem in alvinam regionem humoris noxii atque morbifici deſcenſus eſt veluti continua ejuſdem à capite revulſio, nec ſanguis etiamſi partibus heterogeneis & impuris turgens in cerebrum ſarcinam ſuam exonerat, cùm viæ ipſi magis tritæ patentes, & naturales præbentur, per quas impuritates ſuas & ſordes ejicere faciliùs poteſt.

Præter jam dicta dyſenteriæ ſymptomata, ſunt & alia minùs communia, & ipſam, dum præſertim maligna eſt, aut peſtilens, ſtipare ſolita, inter quæ primas tenet, virium ſumma attritio atque exſolutio; hanc verò deducere licet *Primò* ex ſpirituum animalium penuria conſequenter ad depravatam valdè aut penitus perverſam ſanguineæ maſſæ diatheſim. *Secundò* ex repetitis & pertinaciter perſeverantibus alvi dejectionibus, undè vires plurimùm fatiſcunt, ob evacuatos ſinceros cum impuris humores exhauſtoſque inde ſpiritus corporis robur conſtituentes. *Tertiò* ex vigiliis, doloribus intenſis, &c. quæ dictos ſpiritus abſumere apta nata ſunt.

Animi inſuper deliquium & ſyncope quandoque maligna aut peſtilenti dyſenteria laborantem afficiunt, quod ex iiſdem ferè cauſis depromitur; cor enim non

non minùs quàm aliæ corporis partes ſpirituum quorum ope pulſat copia & influxu debito defrudatur, & motum ſuum deperdit, præſertim cùm ex alia parte ſanguis effœtus, impurus, diſſolutus ejus cavitates aut ſubſtantiam ſubiens parem ipſius ſyſtoli peragendæ copulam elaſticam non præbeat.

Singultus demùm necnon vomitus qui malignam atquè peſtilentem dyſenteriam conſequuntur, ex humoribus bilioſis, pravis, putridis, & potiſſimùm ſulphureo-ſalinis ſeu à ſanguine corrupto per arterias gaſtricas ſuppeditatis, ſeu in ſtomacho ſtagnantibus, ſeu à duodeno exantlatis, atque etiam ex halitibus acribus ab ulceroſo inteſtino emanantibus & ad ſtomachum excurrentibus deducendi ſunt: indè enim prout aut in ventriculi fundo ſedem habent, aut ipſius orificio ſuperiori tenaciùs adhærent, & in hanc aut illam partem vim ſuam magis exerunt, commoventur præternaturaliter ſpiritus ventriculi hoſpites & in motus convulſivos adigiuntur, undè prompta non minùs quàm valida ſtomachi contractio ſequitur; ut in capite de Vomitu antè demonſtratum eſt; aut ſepti tranſverſi ſeu diaphragmatis ſpaſmodicus motus, quatenus communicata huic muſculo ab ore ſtomachi ſuperno per inſigne nervorum membranarumque commercium ſpirituum animalium inordinatio ipſum in conſenſum efficaciter trahit, ut dictum eſt ubi de ſingultu.

Expoſitis ſic dyſenteriæ ſignis atque ſymptomatis, reſtat adhuc ut ejuſdem cauſarum, quæ variæ ſunt, diagnoſim afferamus, atque etiam partis affectæ ſeu inteſtini ulcere laborantis; quod ut breviter peragamus, dicendum bilioſum humorem dyſenteriam producentem dignoſci ex temperamento bilioſo, dejectionibus bilioſis, ſiti, cibi faſtidio, vomitu, ſtatim apparente, ex uſu ciborum acrium & calefacientium in regione potiſſimum & tempeſtate admodùm calidis, ex diarrhœa bilioſa præcedente; &c. ſeroſum verò & lymphaticum eumque acidum, ex ſeroſis & mucoſis multò magis excrementis, ex dolorum intenſione, ex temperamento melancholico, ex uſu ſalſorum & acidorum, ex minori ſiti & inappetentia, aliiſque acidum humorem deſignantibus; ſales autem lixivioſi & alchalini in ſanguine redundantes & dyſenteriam parientes innoteſcunt præcipuè ex febre & malignitate majoribus, ex ſuprà dictis gravioribus ſymptomatis, ex contagio, peſtilentia, aliiſque ſanguinis diſſolutionem arguentibus, & præſertim etiam ex ſignorum abſentia quæ predictos alios humores indigitant.

Quòd ſi affectus à lumbricis, veneno aſſumpto aut mochlico purgante remedio, vel etiam ab eſu pravorum & corruptorum ciborum, fructuumve uſu immodico ortum ſuum accipiat, hoc facilè aut ex iis quæ præceſſerunt, aut ægri ipſius & adſtantium relatu manifeſtum evadet, ſicut & quandò morbus ab aere corrupto, aquis putridis & ſtagnantibus, contagio, aliiſve cauſis originem ducet. Denique mitiora aut graviora ſymptomata, ægrorum major aut minor numerus, funerumque frequentia & raritas dyſenteriam benignam, malignam, peſtilentem, epidemicam & contagioſam enarrabunt.

Morbi autem ſedes, ſi in recto & colo fuerit, ut ſæpè contingit, tormina primò, quamquam gravia, non tamen ita intenſa erunt, & in ipſo egerendi tempore aut paulò antè plus minùs redintegrabuntur, propterea quòd inteſtina craſſa, utpotè magis carnea, non ita exquiſito ac tenuia ſenſu donata, ſunt, & ano ſunt viciniora, quò fit ut excrementa tranſeuntia in ipſo dejiciendi actu, aut paulò antè, dicta inteſtina croſa magis laceſſant. Secundò ſanguis, pus, & mucus copioſius dejecta, utpotè a carneis inteſtinis minuſque exſanguibus prodeuntia, non ita cum excrementis confundentur, propter itineris brevitatem illorum cum iſtis exactam mixtionem prohibentem, quæ omnia ſecùs omninò ſe habebunt in tenuium inteſtinorum exulceratione, tùm quia ipſa, utpotè minùs carnea, magiſque membranoſa & nervis inſignioribus donata, irritationem quamcunque, ægriùs ferunt, & minùs ſanguinis fundunt,

tum quia longiùs ab ano diſtantia excrementorum humorumve acrimoniam multò antè ſentiunt, quàm egerantur, & magis intimam ſanguinis & puris atque muci inteſtinalis cum ipſis permixtionem permittunt.

Prognoſis hujus affectus ita inſtituenda eſt, ut ſi dyſenteria maligna, ſit periculoſa valde cenſeatur, multò magis ſi peſtilens; ſi verò ita benigna, aut (quod ſæpe accidit) ne ægros quidem lecto affigat, aut eorumdem humores non admodùm depravet, periculi expers & facilis curationis reputetur. Tenujorum inteſtinorum exulceratio pejoris multò ominis eſt, quàm craſſorum, atque etiam illa quæ ab humore admodùm corrodente & cauſtico dependet; ſenes & pueri propter innatam virium debilitatem texturamque inteſtinorum minùs firmam & validam, ſæpiùs ex hoc morbo pereunt quam juvenes & adulti, quorum textura, ut firmior eſt & magis vegetæ vires, ita magis cauſæ morbum facientis actioni reſiſtunt; majora & profundiora in inteſtinis facta ulcera majus quoque portendunt diſcrimen, undè Hippoc. *Aphor.* 26. *ſect.* 4. *Dyſenteria detento ſi veluti carunculæ dejiciantur, mortiferum*: quod idem pariter dici debet ſi effuſio ſanguinis immodica ſit; vomitus tandem & adhuc magis ſingultus, extremorum frigiditas & lienteria dyſenteriæ ſupervenientia peſſimi ominis eſſe ſolent, atque etiam pulſus minutus & debilis, propter vitium ab inteſtinis ad ventriculum & diaphragma extenſum, impeditamque indè harum partium officialem functionem; ſed multò magis propter labem maſſæ ſanguineæ altiùs inuſtam, undè plerumque illa omnia ſymptomata oriuntur.

Curationem hujus morbi ab adſtringentibus & fluxum alvi inhibentibus auſpicantur Agyrtæ atque Empyrici, eorum dumtaxat quæ ſub ſenſus cadunt rationem habentes, nec originem rimantes undè derivantur; at verus Medicus in hoc *fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas*, hanc methodum minimè ſequitur, ne ſcilicet humores morbificos in corpore retinendo, eoſdem in partes multo nobiliores tranſmittat, undè periculoſiores deinceps morbi magiſque acuti ſuboriantur; ſed habito ad morbi naturam ejuſve cauſas & adjuncta omnia reſpectu ejuſdem therapejam per proprias & magis appoſitas & urgentes indicationes molitur

Verùm quia non unica, ſed multiplex, illius cauſa exiſtit & multifaria indoles (ut ſuprà innuimus) multiplici quoque remediorum adminiſtratione debellandus venit; hoc tamen omni dyſenteriæ ſaltem incipienti commune plerumque eſt, ut ſtatim ferè evacuantia poſtulet propter humorum pravorum, etiamſi continuò excretorum latitantem in primis viis & ſanguine exſuperantiam, quibus eductis miteſcat plerumque affectus, aut ſaltem brevior fiat; alvi fluxus namque alvi fluxu plerumque curatur, ut vomitus vomitu.

Illa autem non cujuſcunque generis eligenda ſunt atque ægrotantibus exhibenda, ſed ea tantummodò quæ leniendo, detergendo, atque leviter adſtringendo purgant, ut rhab. infuſum & in ſubſtantia ſumptum, aut crudum aut torrefactum, caſſia, tamarind. myrobalan. citrin. ſyrup. de cichor. comp. ſyrup. & infuſ. flor. perſicor. cum rhab. mann. &c. in decoct. cichor. plantag. malv. lactuc. portulac. agrimon. pimpinell. ſymphyt. roſ. rubr. hord. liquir. aliorumque lenientium, detergentium, vulnerariorum, aut quodammodò adſtringentium, vel in juſculo ſi magis ægrum juvat, vel in formam boli & pulveris, ſi eidem ſic magis arrideant. Cavendum tamen in illorum exhibitione, ne ſanguinis fluxus valde notabilis ſit, à quibus ſine dubio augeretur, ne etiam humores impacti & tenaces videantur, qui catarticis difficiliùs cederent, ne demùm febris initio plurimùm vigeat, cui potiùs per venæ ſectiones & refrigerantium atque ſimul demulcentium uſum occurendum foret.

Nec cùm eadem Medico indicari ſemel viſa ſunt (ut ferè ſemper contingit) una ſolùm vicepræſcribenda, ſed tertio aut quarto quoque die iteranda in me-

dio-

diocri aut paulò minori doſi ſi eorum copia ſuſpecta ſit, & quibuſdam anodynis, detergentibus, aut leviter adſtringentibus (ut dictum eſt) permixta; ſic etenim efficaciùs multò quàm alia quavis methodo & abſque ullo detrimento exhauritur ſenſim humorum dyſenteriam foventium ſcaturigo, aliiſque remediis potior & utilior locus conceditur.

Vomitoria quoque in affectu pyſenterico, incipiente præſertim, plurimùm ſæpè conferre, & ratio & experientia, & gravium Auctorum teſtimonia perhibent. Hippoc. namque, (ut Galenum, Amatum Luſitanum, Mercatum, Angelum Salam, alioſque practicos vomitum in hoc morbo commendantes taceamus) *in Aphor.* 15. *ſect.* 6. ſic ait: *Longo alvi profluvio laboranti vomitus ſpontaneus ſuperveniens morbum ſovit*. Quibus verbis deſignatur ſufficienter via quam Ars Naturæ imitatrix tenere debet ad dyſenteriam abigendam: Et *lib. de diæta*, *Alvum coactam vomitio ſolvit*, *& plus æquo fluidam ſiſtit*. Ut autem ratio auctoritati patrocinetur, omnis ferè ſcopus quem ſibi in expugnandis variis morbis proponunt practici, eſt humorum aliquam in partem fluentium revulſio & derivatio ad oppoſita, fontiſque undè promanant exinanitio; quid verò magis contrarium eorumdem fluxui verſus inteſtina atque inferiora, quàm vomitus? qui non ſolùm ipſos ad partes ſuperiores protrudit, & materiam ulcus foventem, aut ſaltem refricantem potenter retrahit: ſed etiam ſcaturiginem exhaurit undè fluere conſueverunt; idem planè experientia confirmat, qua notum eſt rebelles & contumaces alvi fluxus, qui aliis etiamſi ſpecificis remediis vinci minimè potuerunt, exhibito tandem vomitorio plerumque ceſſaviſſe; ne quid dicam de famoſa illa vomitoria ſimul adſtrictoria & antidotali radice *Ipecacuana* dicta, quam nobis Braſilienſes primi revelarunt, & quæ hocce tempore Europæis familiaris & uſitata dyſenteriis alioquin rebellibus & contumacibus ſpecificè medetur, ſi ejuſdem pulveratæ ℈. ij. aut. ʒ. j. in juſculo aut liquore conveniente, ineunte præſertim morbo, nec dum valde confirmato exibeantur, bis aut ter ſi neceſſe ſit, per morbi decurſum repetenda: Ut ſuo tamen cuique exhibendo remedio debet eſſe cautela, ſic in vomitu excitando prudens eſſe Medicus debet, & emetica tantùm præſcribere minùs valida nauſeabundis; ad vomitum propenſis, bilioſis, & ubi humorum ſtomachum gravantium potiſſimùm bilioſorum ſigna ſeſe prodent, quanquam fortè & in aliis pluribus caſibus pariter competere poſſunt, minùs verò iis qui ſanguinem copioſum effundunt, qui admodùm difficulter vomunt, qui teneræ & gracilis ſunt conſtitutionis, qui tenujum & ſtomacho vicinorum inteſtinorum exulceratione laborant, & ubi metus inflammationis eſt, aut quandò humor acidus, mucoſus, ſeroſuſve in corpore melancholico dyſenteriam parit, vomitoriis minimè cedens, & per inferiora potiorem exitum quærens.

Quod ad venæ ſectionem ſpectat, etiamſi varii Auctores renuant, non video qua ratione utplurimùm dyſenteriæ non competat, modò eamdem vires & ætas ſuſtinere poſſint, eædemque ab alvi fluxu diuturniori non admodùm attritæ ſint; imò Valeſcus de Taranta & Amatus Luſitanus ipſam in diuturna dyſenteria ægris valde ſenibus, aut per morbum debilibus factis quandoque profuiſſe teſtantur: per illam ſiquidem ſanguinis maſſa contemperatur, cauſæ morbificæ portio utplurimùm extrahitur, inflammatio inteſtinorum præcavetur aut minuitur, & humores exulcerationem facientes aut foventes revelluntur, ne quid dicam de ſanguinis fluxu, qui in dyſenteria quandoque notabilis eſt, & cui phlebotomia efficaciùs aliis occurrit remediis.

Extrahitur ergo tutò ſanguis in omni ferè dyſenteria, præſertim ex brachiis, niſi forſan certa malignitatis, & peſtilentiæ ſpecies ipſi adjungatur virium ſtatim ſummam exſolutionem, pulſum minutum & debilem, ſyncopen, animi deliquia frequentia, aliaque venæ ſectionem contraindicantia ſecum inferens, quæ tamen in principio morbi ſecundum ægrotantium temperamentum, plethoram, æta-

tem &c. celebrari poteſt, præſertim antequam vires, quæ ſubitò non corruunt, per morbi decurſum atterantur, & urgente febre & viſcerum calore phlogoſim minante aut deſignante.

His univerſalibus remediis adjungenda ſunt etiam & diaphoretica, quæ in dyſenteria expurganda non inutilem plerumque præſtant effectum, ſi præſertim vaſa & primæ viæ ſatis depleta ſint, corpus non admodùm excalefactum, & febris atque inflammatio abſint, aut non admodùm vigeant: illa enim quia aut ſulphurea ſunt, abſorbentia, aut ſale volatili prædita, humorum aculeos intricant, retundunt, infringunt, aut humores ad habitum corporis & glandulas cutis miliares propellendo, eoſdem à centro corporis revocant, ac proindè ulcus exſiccant, & humores illud foventes revellunt; hinc non mirum ſi Penotus potionem illam ſummis extollat laudibus, in qua cum levioribus adſtringentibus cortex guajaci coquitur, cui pariter lignum ſanctum, ſaſſafras, antimonium crudum, & rad. chinæ ſalſ. parill. &c. non minorem forſan effectum ſortirentur. Non mirum quoque ſi practicorum Medicorum cohors maxima in maligna & epidemica dyſenteria beſoardica atque ſudorifica plurimùm commendet, quæ tamen in ſanguinis & humorum diſſolutione à ſalibus alchalinis excitata minorem habent locum, & majori cautione adminiſtranda videntur.

Bilioſus humor dyſenteriam pariens oppugnabitur remediis jam toties antè propoſitis, & præſertim in præcedenti capite; acidus alchalinis, terreſtribus, abſorbentibus, ſalibus fixis atque volatilibus, quæ in præcedentibus pariter enuntiata ſunt; uterque verò lenientibus, anodynis, diluentibus, detergentibus, oleoſis, butyroſis, adipoſis, mucilaginoſis, de quibus etiam antè non ſemel facta eſt mentio; & (ut paucis multa complectar) non diſpar in iſta alvi fluxus ſpecie curanda ac in diarrhœa, de qua paulò antè dictum eſt, methodus ſervabitur, humorem nempè morbificum leniendo, temperando, atque identidem vacuando, & alvi profluvium per enemata anodyna, detergentia, vulneraria, & ſub finem leviter adſtringentia demulcendo atque imminuendo.

Quòd ſi nec acidus nec bilioſus humor inteſtina exulcerans, ſed ſalibus alchalinis & lixivioſis onuſtus alvi fluxum dyſentericum perperit, præter anodyna, pinguia, lactea, aliaque omnis generis demulcentia, quæ etiam hìc indicari videntur, convenient etiam & acidiuſcula atque leviter auſtera, quæ dicto humori è directo oppoſita ſunt, ejuſdem acrimonia ſpecialiter oppugnant, atque etiam refrigerantia, quæ ulteriorem ſanguinis diſſolutionem impediunt.

Verùm quandoquidem de enematis dyſenteriæ conducentibus mentio jam facta eſt, hìc venit obſervandum ipſa præ aliis omnibus remediis huic affectui competere, præſertim dum ulcus & eroſio (quod frequentius accidit) ad inteſtina craſſa pertinent, quæ delinire, detergere mundificare & conſolidare apta nata ſunt, quia hùc cum tota ſua facultate pertingunt: Cave tamen ne eadem in magna copia injiciantur quæ inteſtina nimis diſtendunt, & ulcus renovant vel augent, neve eorum frequentia & multitudo nimia, ad quam Medici plerumque inconſideratè, ut ad ſacram anchoram confugiunt, dictorum inteſtinorum tonum jam ſatis relaxatum magis depravent atque effœminent. Illa verò ſint initio paregorica & leviter detergentia, ex lacte vel ſimplici, vel lateribus candentibus uſtulato, decoct. hord. capitis & inteſtinorum vervecis, herbarum, rad. ſem. flor. leniendi, mitigandi, detergendi, & inteſtina quodammodò roborandi vi donatorum, ut ſunt rad. malv. biſmalv. lilior. ſymphyt. pentaphill. cichor. biſtort. tormentill. Fol. verbaſc. acanthi ſeu branc. urſin. violat. portulac. cichor. agrimon. lactuc. pimpinell. veronicæ, piloſell. &c. Sem. quatuor frigid. major. ſem. papav. alb. lin. fœnugr. cydonior. alth. pſyll. hord. crud. & toſtum, oryſa, furfur. Flor. melitot. chamomil. lilior. nenuphar. papav. hyper. tapſ. barbat. roſ. rubr.

rubr. balauſt. &c. ficus pingues, paſſul. caro cucurbit. prun. dulc. liquir. raſ. Quibus etiam & adſtringentia in minori doſi miſceri & ſucceſſu temporis non incongruum eſt, ut ſunt cortex granator. ſumach. myrtill. fol. centinod. equiſet. plant. burſ. paſtor. gallæ, nuces, cupreſſ. hord. & oryz. torref. imò & lignum ſuberinum ſeu ſuber, atque cortex arborum ſorb. & meſpill. quæ adſtringendi magna facultate pollent, ſicut & trochic. de boſ. de terr. ſigillat. de karabe, trochiſc. Gordon. &c.

Talibus enematis initio, urgentibus, præſertim torminibus & humorum intenſa acrimonia, utiliter admiſcentur vitell. ovor. ſeu crud. ſeu coct. & indurat. ol. ex iiſdem extract. ol. lini, amygdal. dulc. & amar. butyrum inſulſum. ol. maſtich. ol. ceræ, ol. lilior. &c. Sevum caprill. vervecin. ovill. Mucilag. ſem. cydonior. pſyll. alth. lin. ex ap. roſar. aut plantag. extract. adeps hœdin. anſerin. caſſ. ſacch. rubr. mel. roſ. colat. conſerv. roſar. antiqua, amylum ſine calce paratum, gum. arabic. & tragacant. maſtiches, thus, in aq. plantag. aut pecul. roſ. imò & opium ad gr. iv. aut v. aut philonium, aliave narcotica cum dolores admodum intenſi ſunt, & humorum morbificorum copia ſufficienter expurgata. Quòd ſi detergendi magis animus eſt, poſt humorum mitigationem & ſanguinis fluxum imminutum, diſſol. in dictis clyſteribus terebinth. Venet. vitell. ovo diſſolut. ℥ ij. aut iij. circiter, quæ ut externis ulceribus mirè medetur, ſic etiam internis digeſtivi plerumque loco eſt, adhibe & herbas vulnerarias, vincam pervincam; veron. piloſell. agrim. centaur. flor. hyper. aliaque ſupra dicta lenientibus & anodynis ſemper permixta, ne ulcus nimis deterſum renovetur, novumque ſanguinem effundat.

Quanquam verò enemata ad expugnandum dyſentericum affectum plurimùm valeant, non prætermittenda ſunt eodem tempore quæ per os ſumpta cauſam morbificam demulcent & corrigunt, emulſiones nempè ex amygdal. ſem. frigid. cydonior. & papav. alb. in aquis idoneis ſtillatitiis lactuc. roſar. plantag. centinod. portul. verbaſc. vel in decoct. hord. paſſul. liquir. aliorumve ſupra dictorum lenientium, detergentium, atque parum adſtringentium, atque etiam julepi & juſcula ex iiſdem comparata; in quibus omnibus remediis aut lenientia detergentibus, aut iſta lenientibus, aut demùm lenientibus ſimul atque detergentibus adſtringentia præpollere debent, prout humoris peccantis acrimonia, corruptio aut ulceris & eroſionum ſordes magis ſeſe produnt, ejuſdemque major aut minor facta eſt evacuatio. His utiliter admiſcentur balſam. ſulphur. terebinthinatus, ſucc. plantag. cydonior. portuc. berberis, granator. ſorbor. aut eorum ſyrup. imò & alia acida, ſi ab alchalinis & diſſolventibus morbus pendeat, non neglectis præſertim poſt ſufficientes purgationes terreſtribus & abſorbentibus, & oleoſis atque ſulphureis, ut ſunt cornu cervi uſtum antim. diaphoret. bol. armen. terr. ſigillat. trochiſc. de karab. troch. alb. Rhaſ. amylum ſine calce, corall. & margar. præparat. ocul. cancr. fragment. pretioſ. & cryſtall. tenuiſſimè pulveriſatus, atque etiam olea varia ſupra dicta & præſertim ovor. aut amygdal. dulc. ſevum. Syrup. myrtin. de roſ. ſicc. de ſucc. portul. cydonior. granotor. item & ſyrup. atq. tinctur. corallor. mucilagines ſupra dictæ, oryſ. cremor, amygdalata, conſerv. variæ cynor. roſar. balauſtior. conſerv. rad. ſymphyt. cydoniatum, gelatina cydonior. & corn. cervi, confect. hyacint. & alcherm. theriac. pulvis granor. actes, ſeu baccar. ebul. & ſambuc. ſiccatarum, gran. chermes, tinctura ſmaragdi Joann. Hartman; aut ejuſdem pulvis alchooliſatus, quæ non minorem poſt ſufficientes purgationes effectum ſortiuntur; ventriculum enim & inteſtina roborant humorumque aculeos infringunt aut abſorbent. Sed tàm iſtis quam aliis palmam præripiunt narcotica, quæ cum cautione & judicio adhibita, poſt humorum ſcilicet ſatis elutriatam ſaburram, non ſolùm tormina & vigilias compeſcunt; ſed cauſæ morbum facientis acrimoniam mirè demulcent, atque urgens continuò & importunum egerendi deſiderium potenter refrænant.

Au-

Auctores quidam pomum, & potiſſimùm cotoneum, excavatum & cera alba impletum & ad ceræ colliquationem coctum ægris mandendum præbent felici ſucceſſu; alii gum. arabico aut tragachanto idem pomum implent aut thure maſculo olibano dicto: alii meſpillorum ſorborumque uſum commendant, alii uvam quercinam ſeu quiddam concretitium in formam uvæ ad radices quercuum ſub terra verno tempore pullulans ſaporis ſtyptici, coloris foris purpurei intùs candidi, quod exſiccari debet & in pulverem redigi: alii gnafalii decoctum in vino auſtero, alii opiatas roborantes atque adſtringentes; alii nucem moſchatam aut myrobalan. condit. alii alumen crudum in aqua plantagin. ſolutum, & alia multa quæ apud varios practicos legi poſſunt. Verùm ea omnia utpotè adſtringentia ſagacem requirunt Medicum, qui eadem debito tempore præſcribat, neque enim adſtringentia, præſertim potentia & ſola, tutò ſemper dyſentericis exhibentur, ut antè notavimus, niſi fortè ſub finem morbi, & poſt lenientium, & detergentium uſum, ægrumque pravis humoribus expurgatum.

Hìc obiter notandum eſt, quòd ſi ſtomachus cruditatem & apepſiam patiatur in hoc affectu, ut plerumque accidit, præſertim poſt fructuum immaturorum, aliorumque pravorum eduliorum uſum, huic per propria & ſpecifica remedia initio hujus Tractatus propoſita ſuccurrendum.

Notandum quoque oleoſorum, pinguium atque mucilaginoſorum, imò & narcoticorum nimium uſum, etiamſi aliundè cauſæ morbificæ ejuſque effectibus adverſentur, ventriculum & inteſtina plurimùm relaxare, undè fluxus alvi deinceps non facilè ſiſti poſſit.

Quod ad lactis & balnei uſum ſpectat, quæ cauſæ morbum facienti ſimiliter adverſantur, ea quidem abſente febre multùm juvare poſſunt, & in ea potiſſimùm dyſenteriæ ſpecie quæ benigna dicitur; at in dyſenteria maligna & ubi febris plurimum viget, nullo modo præſcribi debent. Victus ſi in quo alio morbo euchymus eſſe debet, tùm ut jacturam virium quæ ex frequenti & cruento ſeceſſu magna eſt, reſarciat, tùm ut ventriculum & inteſtina à morbo conflictata corroboret, atque etiam humorum ad inteſtina fluentium acrimoniam infringat: quare juſcula caponum, perdicum conſummata, aliarumve optimarum carnium, panatellæ, ovorum recentium vitelli, gelatinæ variæ, & in ſpecie cornu cervi, aliave analeptica & reſtaurantia huic affectui non minùs conferunt, quàm alia quævis ſuprà recenſita remedia, inter quæ etiam & avenata, hordeata, atque oryſata meritò recenſeri debent.

Potus non admodùm frequens largúſve ſit oportet, ne fluxum alvi ſatis per ſe vigentem adaugeat, niſi forſan æſtus viſcerum & ſanguinis intenſus, eumdem requirere videatur. Aqua cocta cum hordeo, furfure, liquir. raſ. paſſul. cor. cer. tamarind. ſubere minutim inciſo, ſorbis, meſpill. decoctum pimpinell. ſimplex; aut aliorum ſupra dictorum detergentium, imò & ſub finem morbi roſar. rubr. cort. median. arbor. meſpill. aut ſorb. plurimùm commendantur; vinum tamen abſente febre, aut non valdè vigente, præſertim quod craſſum eſt, tutò & cum levamine dyſentericis exhibetur.

Sunt qui aquas minerales acidulas atque etiam thermales ad plures dies bibitas in dyſenteriæ curatione, nec immeritò, prædicant, præſertim inveteraſcente affectu, & aliis ſupra dictis medicamentis non facilè, aut penitùs cedente, & ſtante etiam aliquatenus ſtomachi atque inteſtinorum tono; earum ſiquidem uſu detergunt optimè inteſtinorum exulcerationes, morbi radices penitus evelluntur, humorum bilioſorum acrimonia temperatur, viſciditas diluitur, & ſalium lixivorum ab acidulis & acidorum à thermalibus ferocia infringitur, ſed hac in re, ut de pluribus aliis dictum eſt, ſagaci Medici judicio opus eſt.

Dyſenteria denique, ut finem huic capiti imponamus, ſi ſecum malignam & peſti-

peſtilentem febrem conjunctam habeat, ſi à veneno aut mochlyco remedio hauſto excitetur, aut à vermibus inteſtinorum continuitatem & texturam ſolventibus, &c. præter ea quæ dicta ſunt & quæ humorum, acrimoniæ & cruento atque purulento torminoſoque alvi fluxui competunt, requirit etiam inſuper quæ talibus morbis in ſpecie aut cauſis morbificis mederi ſolita ſunt, quæque ſuo tempore & loco proponentur, aut jam antè propoſita ſunt.

NOTA.

IN Dyſenteria ſpecificè prodeſt ſperma ceti, priapus tauri & cervi, in ſubſtantia vel decocto, item pulvis è C.C. ac cranio humano, imò decoctum illud album, per incoctionem & admiſtionem C. C. uſti in aqua fontana, confectum. Laudatur præterea uſnea cranii humani à gr. vj. ad gr. xij. item pulvis granorum actes, ſeu è pane ſucco baccarum ſambuci ſæpius inſuccato ac exſiccato paratus; ſanguis leporis deſiccatus & à ʒ. ss. ad ʒ. j. exhibitus. Non parum etiam commendatur decoct. radic. pimpinell. hepata ſerpentum, aut viperarum ac ranarum viridium à ℈. ss. ad ℈. j. Pomum, ac præcipuè Cotoneum cera ac gummi Arabico repletum, ſicque aſſatum comeſtum. Græcum album expertum eſt medicamentum, præſertim, ſi canis oſſibus fuerit nutritus doſ. ʒ. ss. ad ʒ. j. in lacte caprillo cum ſaccharo. Adde ungulam caballinam toſtam, ſatyrii radices tres potui infuſæ, (quæ etiam ad hernias conferre dicuntur) aquam in qua bullierit ſuber, julorum juglandium, tempore vernali collectorum, ſiccatorum, ac pulveriſator. ʒ. j. in aq. appropriata, alumen vel crudum vel uſtum variè ac ſobriè uſurpatum, radicem ſymphyti lacti incoctam, ut & radicem tormentillæ, decoctum oryzæ in lacte adjectis ovorum vitellis ac hederæ terreſtris ſucco, balſama ſulphuris variæ compoſitionis per os & anum adminiſtrata, clyſmata è jure cancrorum fluviatilium cum ſevo hircino & ſyr. de ſymphyto, item quæ parantur ex juſculo capitis vervecini, incoctis floribus appropriatis & additis balſami Peruviani nigri ʒ. ij. extus ſacculos è foliis quercus in aceto incoctos, ſuffitum ani è ſuccino, raſura C. C. ſtercore aſini juvenculi, & ex decocto tapſi barbati, ut & apud Anglos ex zinzibere; Alii item anſerinam, ſeu argentinam renibus alligatam, pro ſecreto habent pulverem è radice filipendulæ ad ʒ. j. eumque in vino, aut ovi vitello exhibent. Sed hiſce omnibus non immeritò palmam præripit radix illa Ypecacuanha, Vejuquillo Hiſpanis dicta, radix auri Clariſſ. Piſoni; cujus tres ſunt ſpecies, alba ſcilicet; nigra, & quæ colore eſt cinnamomi, quarumque ultima magis eſt amara, ſaporeque ſuo vitriolico vires ſuas adſtrictivas magis indicat. Eam ſæpius nos adhibuimus cum certo emolumento, nec inde aut febris intendebatur, aut alia duriora inducebantur ſymptomata, quinimò vomitum facillimum ſemper ciebat, & fluxum ſanguinis etiam impetuoſiſſimum brevi ſiſtebat doſ. ʒ. j. in aqua plantaginis, maſtiche imprægnata, potius quàm in juſculo aut aliis quæ indicat Clariſſ. Auctor.

CAPUT XVIII.

De Teneſmo.

PRoprius eſt hic affectus recti inteſtini, & ad ipſum peculiariter pertinet; eſt verò aſſidua, & moleſta deſidendi ſeu alvum deponendi cupiditas, eaque (ut ita dicam) vana, & inutilis, qua nempè nihil, aut parùm ægri dejiciunt, attamen quaſi aliquid, idque notabile egerere debeant, vehementi, & continuo excernendi deſiderio tentantur, & in ipſo dejiciendi conatu, naſcitur tandem *mus ridiculus*, hoc eſt mucoſum quiddam mole exiguum excernitur, quod pro nihilo reputari debet, quodque modò cruentum eſt modò purulentum, modò ex utroque mixtum.

Dum autem teneſmum affectum recti proprium & peculiarem dicimus, nolumus

mus ita intelligi, ut ex hoc inteſtino ſolo dependeat dejiciendi actus; ad ſeceſſum enim requiritur inſuper non ſolùm inteſtinorum aliorum ſucceſſiva, & prævia contractio (ut alibi dictum eſt) verùm etiam muſculorum epigaſtricorum niſus, partes abdomine contentas intrò propellentium, ipſiuſque diaphragmatis cùm pulmonibus aere per inſpirationem hauſto in flatis deſcenſus, ſeu conſtrictio. Ex quorum omnium concurſu ad colon & rectum delata excrementa foras tandem protruduntur. Quia tamen cupiditas illa alvum deponendi, quæ plerumque etiam intra morbum urget, ab irritatione recti inteſtini alias partes in conſenſum trahentis potiſſimùm & primariò dependet, ex qua ſequitur fibrarum ejuſdem muſculoſarum fortiorum utpotè magis carnoſarum, conſtrictio, vitiumve ſphincteris muſculi conſtrictioni, ſeu occluſioni ſufficiens. In hac parte tanquam in propria ſede teneſmus à Medicis reponitur, cumque ab iiſdem aſſeritur nihil aut parum excerni in hoc affectu, illud poſt depoſitam primò excrementorum craſſiorum ſarcinam debet intelligi.

Cauſæ hujus affectus immediatæ ſunt, vel humores ſummè acres & viſcidi recti tunicæ tenaciùs adhærentes, illudque indeſinenter laceſſentes aut erodentes, unde exulcerationes quandoque contingunt, qui ex iiſdem fontibus petendi ſunt ac humores dyſenteriam parientes; vel vermes exigui & breves, aſcarides dicti, eandem tunicam mordentes & excretionem provocantes, quorum in hac parte ex excrementis putridis & fœtentibus magnus plerumque fit proventus, vel calculus aſper in ſua ſuperficie veſicæ collum occupans & irritationem ſuam ad rectum inteſtinum extendens; utpotè valde vicinum, & veſicæ per nervorum commercium conſentiens, vel ulcus, tumor dolens atque inflammatorius & fiſtuloſus vicinas recto partes afficiens, unde halitus calidi emergunt, aut humores & ichores acres & ſulphureo-ſalini exſudant, quæ omnia huic inteſtino irritationem conciliare, & ſpiritus animales in fibris ejus muſcularibus hoſpitantes plus æquo exagitare atque in contractiones dictas fibras ciere apta nata ſunt; vel demùm cancroſum ulcus in recto atque partibus adjacentibus excitatum, unde humor præter modum cauſticus & irritans exſtillat ad ſeceſſum indeſinenter ſtimulans.

Excretio puris, ſi quod ſit, ſanguinis, aut humoribus mucoſi eandem in hoc affectu ac in dyſenteria habet æthiologiam.

Cauſæ etiam teneſmi antecedentes externæ, atque procatarticæ eædem prorſus atque dyſenteriæ, niſi forſan ubi calculus aſper hunc morbum inducit, aut idem ab vermibus aſcaridibus producitur; in quo duplici caſu ea omnia quæ calculum in veſica & vermes in inteſtino generare valent, quæque ſuo loco inferiùs proponentur, cauſarum antecedentium mediatarum externarum, aut evidentium nomine veniunt.

Diagnoſis teneſmi tota in definitione poſita eſt; differt à dyſenteria ex eo quod in iſta interpolata magis ſit cupiditas alvum deponendi & dilucida nonumquam habens intervalla; in illo verò aſſidua, & quæ ægros cogat ſemper in ſella ſedere; in hac tormina adſint & atroces ventris cruciatus, in illo doloris tantùm & irritationis ſenſus verſus podicem; in hac excrementorum copia major ſanguine & pure magis perfuſorum rejiciatur, in illo ferè nihil aut paucum, idque mucoſum & ſanguine aut pure minùs tinctum; in hac demum dolores ventris urgeant ante excretionem atque in medio abdomine ſentiantur; & in illo dolor circa finem recti ipſo deiectionis tempore exaſperetur. Quæ omnia ſigna diagnoſticum perfectè abſolvunt, ſi alteruter affectus ſimplex ſit, nec alius alteri mixtus & complicatus; nonnumquam enim inteſtinorum eroſiones atque ulcera in dyſentericis ad rectum inteſtinum exporriguntur, in quo caſu indeſinenter ad ſeceſſum ſtimulantur, adſuntque tunc ſymptomata & teneſmi & dyſenteriæ propria.

Cauſæ teneſmum producentes dignoſcun-

ſcuntur per eadem ſigna quæ dyſenterici fluxus cauſas indicant, calculus, aſcarides, tumores partium vicinarum inflammatorii, concroſi, fiſtuloſi &c. per propria horum affectuum ſigna ſuo loco proponenda.

Quod ad prognoſim attinet, teneſmus ita parum periculoſus ut plurimum cenſetur à Medicis, ut Celſus *lib. 4. cap. 19.* eumdem facilè curari & per ſe hominem nunquam jugulare, aſſerere non dubitet; etſi Galenus *cap. 4. de uſu partium*, illum inter morbos ventris graviſſimos recenſeat, illud ratione moleſtiæ, non ratione periculi intelligendum eſt, niſi forſan cancroſa ſit, aut fiſtuloſa recti, vicinarumque partium exulceratio, & ab humore ſtygio, quem atram bilem dicunt, excitata, aut à viru venereo, tunc enim in morbum immedicabilem, aut ipſam gangrænam facile degenerat *Mulieri uterum gerenti teneſmus ſuperveniens facit abortum*, inquit Hippoc. *Aphor. 27. ſect. 7.* quod quanquam perpetuæ non ſit veritatis, ſæpiùs tamen contingere experientia evincit, & ratio non refragatur; aſſiduus namque dejiciendi conatus muſculorumque abdominis continua contractio uterum recto vicinum concutit, ne quid dicam de irritatione à recto ad uterum facilè extenſa, unde ipſa ad contractionem pariter incitatur.

Non eſt ut pluribus teneſmi curationem afferamus, utpotè quæ à dyſenteriæ curatione parum abeſt, & ſi à calculo, vermibus, ulcere, inflammatione partium hypogaſtrio contentarum &c. dependeat, per remedia his cauſis accommodata & inferiùs ubi de iiſdem agetur exponenda, curandus venit; quare dixiſſe in genere ſufficiat expurgandos primò eſſe humores erodentes, eorumque fontem exhauriendum per rhab. caſſiam, tamarind. ſyrup. de cichor. comp. mann. ſyrup. de flor. perſicor. imò & ſenn. aliave cathartica non admodum vehementia in decocto leniente, refrigerante & paululum adſtringente; deinceps injiciendos clyſteres eoſque in parva doſi & anodynos atque humorum acrimoniam demulcentes, quales in præcedenti capite deſcripti ſunt, mox parandos eſſe inſeſſus aut fotus ani ex lacte aut decocto rad. alth. lilior. cum emollientibus herbis & tapſ. barbat. & fol. quercus, ſem. lin. pſyll. cydonior. &c. poſtea adhibenda eſſe oleoſa, pinguia, mucilaginoſa, terreſtris, & alchalia, ad humoris morbifici aculeos intricandos aut abſorbendos, & in primis oleum ceræ, ol. maſtich. ol. amygdal. dulc. deindè ad detergentia & vulneraria deveniendum eſſe, atque ad ani ſuffumigia ex thure, maſtiche, decoct. verbaſc. flor. chamomill. aliorumque vulnerariorum aut lenientium, imò etiam & adſtringentium; tandem adſtringentia in uſum vocanda eſſe, ut humorum fluxus in rectum cohibeatur, quæ omnia ſibi mutuò ſuccedere debent, aut alia aliis præcurrere, prout eroſio inteſtini atque inde prodiens dolor & cupiditas alvum deponendi, ſanguiniſque aut puris rejectio magis ſe ſe produnt.

Interim ſi bilioſus humor hunc affectum inducat, per acida atque refrigerantia eſt expugnandus; ſi merè acidus, per terreſtria; ſulphurea, mercurialia, alchalina, non negligendo narcotica jam ſæpiùs expoſita, quæ hìc non minùs quàm in aliis pleriſque affectibus miros ſemper præſtant effectus, tum per os uſurpata, tum in clyſteribus adhibita.

His remediis adjungi debent, & quidem meritò ſuppoſitoria ex ſevo hircino aut caprillo parata, cum pulveribus amyli, boli tuthiæ, aut ceruſæ ſæpiùs lotæ, aut cum guttis aliquot ol. ovorum. & ol. ceræ; ol. ex ſeminib. papaver. aut hyoſcyam. extract. ol. maſtich. aut cum op. gr. ij. aut iij. aut cum gummi arabic. tragachant. aliiſque mucilaginoſis, ovi vitello aſſo & pauca cera, aut ſtupis tenuioribus cannabinis exceptis; item & ea quæ ex ſtyrace liquida cum thure, maſtic. croco, & pauco opio conficiuntur; quæ ulcus, ſi quod ſit, exſiccant, humorum fluxum reprimunt, aut acrimoniam demulcent, & inteſtini recti ad excretionem continuò ſtimulati ſenſum obtundunt. Loco dictorum ſuppoſitoriorum; cùm ulcus notabile eſt, in anum introduci

duci etiam poſſunt turundæ ex linteo ſcarpto ol. therebentinæ mitigato, aut digeſtivo ordinario, aut unguento roſac. alb. Rhaſ. populeo, deſiccativo rubro, pompholig. &c. illitæ, quæ etiam ad ulceris ſanationem plurimum faciunt.

Quod ad venæ ſectionem attinet, ea mihi in iſto affectu videtur minimè omittenda, initio præſertim & ipſo morbi augmento; imò ſi febris quandoque adſit, aut intemperies viſcerum & ſanguinis calida, aut plethora, vireſque vigeant, ut ferè ſemper accidit, iterum atque iterum celebranda venit, ſic namque humorum acrimonia & calor contemperatur, & eorumdem ad inteſtinum rectum deſcenſus & fluxus cohibetur; quòd ſi ab ulcerato, eroſo, aut inflammato recto aliave quacunque de cauſa ſtranguria ſive meiendi difficultas ſupervenerit, venarum hæmorrhoidalium aperrio per hyrudines erit utiliſſima ſicut & balneum.

NOTA.

IN Teneſmo faciunt clyſteres ex decocto cicerum rubrorum cum floribus verbaſci, addito ſevo hircino & melle roſaceo, item fotus ex decocto verbaſci in lacte, ſuffumigium ex eadem planta, ut & facculi ex foliis quercus & argentina. Oleum ceræ deſtillatum, ut & oleum myrrhæ per deliquium ex albuminibus ovorum mirabilia præſtant in inteſtini recti exulcerationibus, item balſamus Peruvianus, ac præcipuè balſamus Copayvæ. Non parum præterea commendatur fumus ex decocto ſabinæ in aceto & aqua parato, ſuffumigium de thure & pice, ſuppoſitoria ex levo hircino, vel melle inſpiſſato cum maſſa pilularum de cynogloſſa, item cum opio, inunctio è variis balſamis ſulphuris, item injectiones quibus ſobriè fuerint adjuncti. Interné oleum maſtiches ad gutt. aliquot in aq. menthæ plantagin. vel pulegii ſubitò Teneſmum ſolvere notat Hartmannus.

CAPUT XIX.

De Fluxu hepatico dicto.

MOrbus hic ita rarus eſt, ut aſſerat Sylvius de le Boe celebris olim apud Batavos practicus & cum illo magna practicorum, præſertim neotericorum cohors, ſe nullum unquam hoc affectu detentum vidiſſe, quod dedit anſam quibuſdam dubitandi an fluxus hepaticus dictus excogitatus potiùs fuerit quàm obſervatus; aut ſaltem an alius quidam morbus diarrhœa puta ſeroſa, hæmorrhoidum internarum fluxus, aut dyſenteria ſeroſa pro fluxu hepatico acceptus ſit.

Definitur alvi fluxus ſpecies in qua ſeroſi & ſanguine parum tincti humores loturæ carnium ſimiles excernuntur; & ut natura ejus qualis ſit aperiatur, dicendum hunc affectum quem graves & fide digni Auctores admittunt, quamvis ab iiſdem malè nominatus ſit, revera nihil aliud eſſe, ut jam jam innuimus, quàm diarrhœæ ſeroſæ aut dyſenteriæ aut hæmorrhoidum internarum fluxus ſpeciem quandam in qua quia ob laxam inteſtinorum compagem ſeroſamque valde aut fortè attritam & diſſolutam ſanguinis conſtitutionem, magna ſeri copia per inteſtinorum membranas ſecernitur, quod aut ſanguinis unde manat tincturam affert, aut vas aliquod ſanguineum erodendo & aperiendo ipſius ſanguinis colorem induit, ſicque ſub loturæ carnium ſpecie per alvum deturbatur.

Neque enim hìc veterum opinioni ſeu potiùs ſomnio licet adhærere putantium affectum hunc ab hepatis, unde nomen accepit, imbecillitate, atonia aut intemperie occultiori calorem ejuſdem aut humidum radicale reſolvente præcipuè dependere, ex quo vis illius ſanguifica plurimum dejicitur, & chyloſa materia quæ in laudabilem ſanguinem converti ab ipſo non poteſt, in tenuem, & ſeroſum mutatur, qui deindè utpotè minus idoneus, & naturam gravans ad inteſti-

na

na propellitur ; cum enim hæc hypotheſis falſo ſtabiliatur fundamento , & ſupponat ſanguinem ex chylo fieri in hepate , à quo per meſeraicas venas & portæ ramos attrahitur , quod Anatomiæ repugnat & recepto nunc apud omnes Medicos motui ſanguinis circulari , non poteſt quin ex ſe ipſa penitus corruat refutatione prorſus indigna .

Satius ergo eſt fluxum hepaticum dictum ad ſuprà dictos affectus referre , vel etiam , quod non minus probabile videtur , ad varicoſam , ut vult Varthonus , in ſua Adenographia , venarum & arteriarum per inteſtina craſſa diſperſarum diſpoſitionem à craſſo & fœculento ſanguine , obſtructionibuſque viſcerum imi ventris & ramorum venæ portæ excitatam , qua fit ut turgentia vaſa nec contentum ſanguinem ultrò prepellere valentia quod ſeroſum eſt & magis tenue elabi & exilire ſinunt ſanguinis colore per fuſum & ejectionem faciens loturæ carnium non abſimilem .

Affectum hunc dividunt Antiqui in ſpurium & legitimum , petita ex minori aut majori hepatis imbecillitatis aut intemperiei differentia ; nos verò rectiùs in primarium & ſecundarium , ſeu eſſentialem & ſymptomaticum dividimus ; vel enim aliis morbis ſuccedit ; dyſenteriæ ſcilicet propriè dictæ , diarrhœæ , febribus malignis , ardentibus , peſtilentialibus , colliquativis & ſyntecticis , aliiſque morbis chronicis ex viſcerum obſtructione ſtomachi & inteſtinorum atonia dependentibus , &c. vel per ſe incipere videtur ab alio præcedente affectu , ſaltem ſenſibili non procedens . Prima ſpecies minùs rara eſt altera verò multò rarior .

Cauſæ hujus morbi in genere ſunt eadem omnia quæ diarrhœam , dyſenteriam , hæmorrhoidum fluxum excitare quomodocunque valent , aut obſtructiones in venæ portæ ramis minoribus parere , quæ aut jam enuntiata ſunt in præcedentibus , aut in ſequentibus proponentur ; item & ea quæ ſanguinem fundere , atterere , atque diſſolvere poſſunt , ut febres ſupra dictæ ſanguinem ſeroſum & dilutum per anum non minùs quàm per nares & uterum nonnnnquam fundentes . Inter externa verò etiam ad hunc affectum diſponunt venena aſſumpta , cathartica vehementia , piperata , acria , ſalſa , liquorum ardentium potus , quæ primas vias erodere , maſſam ſanguineam atterere , & ora vaſorum inteſtinalium referare apta nata ſunt , atque inſuper potus nive & glacie refrigeratus & immoderatè ſumptus , olerum frigidorum aliorumque crudorum & pravorum eduliorum uſus immodicus , de quibus cap. de Dyſenteria ſatis dictum eſt .

Patet ſufficienter hic affectus ex his quæ jam dicta ſunt ; & à dyſenteria , diarrhœa & fluxu hæmorrhoidum internarum ordinariis & propriè dictis diſtinguitur per ipſam excretionem , quæ in hepatico fluxu tota eſt ſeroſa & ſanguine parum tincta ; in aliis verò mucoſa magis , ſanguinea , ſtercoroſa , bilioſa , aut merè ſeroſa ; præterea in aliis alvi fluxibus adſunt tormina & dolores ventris magis notabiles , aut ipſius recti inter excernendum ; in hoc verò nullus eſt dolor , aut non multum ſævit ob minorem inteſtinorum eroſionem .

Cauſarum diagnoſis habebitur ex natura & conditione alvi fluxus , ex iis quæ præceſſerunt , aut ex ægrorum relatu ; ſi enim poſt graves morbos atque febres ſuboriatur , accuſanda venit ſanguinis diſſolutio ; ſi diarrhœæ & dyſenteriæ conjungatur aut ſuccedat , accuſandæ veniunt horum ipſorum affectuum cauſæ jam jam antè expoſitæ , ſi adſint obſtructiones , temperamentum melancholicum , &c. ſuſpicio erit varicoſæ venarum inteſtinalium diſpoſitionis ; ſi ab hæmorrhoidibus internis apertis & copioſo fero dilutis procedat , illarum ſigna apparebunt inſequentibus afferenda ; ſi tandem ab aſſumptis aut externis cauſis pendeat , interrogandi hac de re erunt ægri , atque adſtantes .

De hujus morbi eventu variè pronuntiandum eſt , ſi namque affectui chronico & rebelli variiſque acutis & malignis febribus , longis diarrhœis atque dyſen-

ſenteriis ſuccedat, periculi plenus eſt & ſæpè lethalis; item & ſi cum pravo corporis habitu, virium jactura, febre lenta & viſcerum infarctu confirmato junctus videatur; ſi autem per ſe incipiat ab aliqua cauſa externa non admodùm valida excitatus; ſi hæmorrhoidum fluxui non valde inveterato aſſocietur, aut alvi fluxui ſeroſo & recenti, aut (quod aliquando contingere poteſt) poſt aquas minerales epotas & non rectè excretas ſuperveniat, conſtantibus aliunde viribus, nec admodùm depravato ſanguine, non ita malè ominatur.

Curatio hepatici fluxus ex curatione diarrhœæ atque dyſenteriæ in præcedentibus propoſitæ, aut ex therapeia hæmorrhoidalis fluxus inferiùs proponenda depromi debet; qui verò morbos chronicos, viſcerum infarctus & obſtructiones, febres acutas atque malignas conſequitur, non diſparem ab his affectibus requirit remediorum apparatum: hoc tamen hepatico fluxui peculiare videtur, ut non ita vacuantibus nec frequenti clyſterum injectioni cedat, imò plerumque ab his magis recrudeſcat; rhabarbarum tamen & myrobalani in decoct. paululum adſtringente & roborante aut leniente, vel in juſculo aut eorum pulvis cum conſerva cynorrhod. roſar. cydoniat. etiam ad plures dies in parva doſi tuto exhiberi poſſunt, atque etiam ſyrup. de cichor. comp. enemata quoque ex lacte lateribus candentibus uſtulato, vel decocto leviter adſtringente injici interdum poterunt, cum vitell. ovorum, confect. hyacinth. mell. roſat. colat. conſerv. roſarum antiqua, aliiſque roborantibus aut adſtringentibus, vitando opiatas etiam benignè purgantes. Huic morbo inſuper conveniunt & conferunt rhab. torrefactum, tabell. diatriaſantal. duplicato rheo, tinctura roſar. rubr. ſyrup. myrtin. cydonior. de roſ. ſicc. &c. diamargarit. frigid. aromaticum roſatum, corall. ejuſque tinctura, ſucc. plantag. cichor. urticæ; berber. millefolii depurat. trochiſc. de carabe, de ſpodio, &c. atque etiam rad. herbæ, ſemina ſtomachum & inteſtina roborantia & ſanguinem depurantia, ex quibus ptiſanæ, julepi, juſcula parari poſſunt, non prætermiſſis acidis ſi ſanguinis diſſolutio adſit, & narcoticis ſi vigiliæ nimis infeſtent, & vires non admodum collapſæ ſint.

Quia verò ab hoc affectu corpus valde abſumitur, ejus nutritioni atque reparationi per alimentorum adminiſtrationem accuratè incumbendum eſt, quod rectè perficitur per juſcula caponum & perdicum optimarumque carnium conſummata, gelatinas, panatellas, hordeata & oryſata, juś carnium euchymarum expreſſum, aliaque analeptica & reſtaurantia, quibus & remedia cardiaca intermiſceri debent ad virium jacturam reſarciendam.

CAPUT XX.

De Lumbricis.

CORpus humanum non ſolùm vita defunctum corruptioni proclive eſt indeque prodeunti copioſæ vermium ſoboli, ſed & idem vita fruens putredinem in ſuis partibus atque humoribus plerumque patitur; unde multiplex hujuſmodi animalculorum genus progerminat: ea verò quamquam in carnibus, viſceribus, oſſibus, imò & in ipſo ſanguine, ut practici plures obſervarunt, & ut mihi ipſi videre contigit, & Hildano teſte, in ipſo fellis folliculo generentur; quia tamen id rariùs accidit, & frequentior ſicut, & major in inteſtinis fit eorumdem proventus; de his hoc loco, ubi de affectibus inteſtinorum agitur, tractare inſtituti noſtri ratio poſtulat.

Nec vanam agitabimus quæſtionem, an ſcilicet lumbrici ad genus morbi, cauſæ morbificæ, aut ſymptomatis referri debeant; præterquam enim quod hæc materia ad Scholam pertinet, nil etiam ad praxim ſeu rectam remediorum adminiſtrationem, cui potiſſimum incumbimus, facere videtur.

Lumbricorum ergo alii ſunt longi, hoc eſt palmares circiter & teretes omnium frequentiſſimi, qui modò graciles

ſunt,

ſunt, modò craſſiuſculi pro vario eorumdem incremento, lumbricorum terreſtrium ſpeciem omninò referentes, & hi in tenuibus potiſſimùm inteſtinis copioſo plerumque numero generari ſolent, unde ſæpè in ventriculum aſcendunt & per os quandoque atque etiam per nares rejiciuntur, quanquam ſæpius per inferiores vias deturbentur. Alii breves, tenues, minuſque frequentes aſcarides dicti, filorum diſruptis particulis non abſimiles, qui in craſſis inteſtinis, præſertim in recto, copioſi etiam ex putridis aut diù retentis excrementis ortum accipiunt. Alii plani & ad plures palmos, ne dicam cubitos, longi, faſciati à Medicis nuncupati, ex eo quod faſciolam ſeu vitam tenuem exactè referant, exceptis capite & cauda quæ in acutum deſinunt, atque iſti non tam numeroſi in inteſtinali fiſtula exiſtunt ſicut præcedentes; unicus namque aut binus, ſi quando in inteſtinis hoſpitatur, & multò rariùs corpus afficiunt, cum vix Medico contingat hanc ſpeciem lumbricorum ſemel aut bis in vita videre. Denique alii ſunt non minùs rari, breves ſimul & craſſiuſculi, quos cucurbitinos appellant, in craſſis inteſtinis generati, ibique potiſſimùm reſidentes.

De duabus ultimis lumbricorum ſpeciebus, ſeu de faſciatis atque cucurbitinis celebris eſt apud Auctores controverſia: alii namque aſſerunt hanc duplicem vermium ſpeciem unicam tantum efficere, faſciatumque vermem ex pluribus cucurbitinis ſibi mutuò cohærentibus conflari; alii verò ſtatuunt faſciatum vermem unicum eſſe & à cucurbitinis etiam inter ſe connexis, quòd imaginarium videtur, omninò diſtinctum, quorum ſententiæ eo lubentiùs ſubſcribimus, quò lumbricum illum etiam ad ulnam & amplius longum & extenſum videre nobis in aperto cadavere Monſpelii ſemel contigit, cujus ſtructuram & compoſitionem examinare per tempus licuit, quia illum in phiala aqua vitæ plena diutiùs ſervavimus, & amicis atque curioſis demonſtravimus: hunc verò non ex plurimis vermiculis ſibi mutuò per caput & caudam, ut veteres quidam ſomniarunt, unitis compoſitum deprehendimus; ſed unicum planè atque in utroque extremo acuminatum & gracilius, quod vermium cucurbitinorum cohæſioni penitus repugnat.

Vermibus obnoxii ſunt omnes ætatis homines & omnis ſexus, attamen infantes præſertim ablactati, aut lactationis tempore carnibus & pluribus utentes, præ aliis omnibus verminoſo affectu magis tentantur; & ab illis ſenes atque fœminæ, hydropotæ & fructivoraces; minimè verò omnium adultiores & qui virilitatem attigerunt, in quibus rarò humoricos videas, niſi forſan ab ingluvie, cruditate, ciborum pravorum aut fructuum eſu, aut ubi febris intensè putrida eorum corpus divexat, quorum omnium ratio inferiùs videbitur.

Cauſam illorum materialem ſeu materiam ex qua generantur exiſtimant veteres pituitam lentam, dulcem, & craſſam eſſe ex pravis alimentis aut vitiata ſtomachi coctione oriundam, quæ dum in primis viis putreſcendo variè præparatur atque diſponitur, eum acquirit in partibus ſuis ſitum, motum, & ordinem, qui vermibus variis conſtituendis idoneus eſt. Alii verò putant ex ingeſtis ipſis pravis præſertim, & ad putredinem pronis, immediatè vermes ſoboleſcere, non diſpari modo ac eoſdem in carnibus, fructibus, caſeo putreſcentibus generari quotidie videmus.

Quod ad cauſam efficientem ſpectat, quidam credunt eſſe calorem nativum, quidam præternaturalem, & putrefactivum; nonnulli utrumque viciſſim agentem: putrefactivum quidem ad corrumpenda alimenta; naturalem verò ad vermium productionem quæ effectus naturæ eſſe videtur. Multi ex generatione Philoſophorum æquivoca ſeu ex calore Solis qui univerſalis cauſa eſt, horum animalculorum in humano corpore ſicut inſectorum variorum in luto natales deducere conantur, quorum omnium hypotheſeon rationes fusè propoſitas, & ex ſe facilè concidentes apud Rondeletium,

Sennertum, Riverium videat curiosus Lector.

Verùm ex quo omnia vegetantia atque etiam animantia, ne homine quidem excepto, ex ovo tanquam ex principio seminali generari ad oculum demonstravere Harvæi, Malpigii, Redi, Kerkringii, Graaf, aliorumque recentium clarissimorum & de re Anatomica optimè meritorum sedula & accurata experimenta, atque in tali ovo contineri reipsa delineata prorsus, quanquam in angusto, quæ ex iis excluduntur corpora, nulli ampliùs saniori Medico relictum est dubium, quin lumbrici in humano corpore eandem habeant originis rationem.

Ova autem illa ex quibus lumbrici excludantur, aut corpori ingenita sunt & implantata, aut cum ipsis assumuntur alimentis, latent namque in frugibus terræ, secali, tritico, hordeo, fructibus horæis, leguminibus, oleribus, imò & in carne mactatorum animalium multiplicia harum bestiolarum semina, sive ipsis per nutritionem infixa, seu à muscis aliisve insectis relicta, quæ cùm minutissima sint & microscopii aciem plerumque fugientia à fermento stomachi variisque aliis quæ in corpore fiunt coctionibus digestionibusque ob minimam sui molem intimamque cum minutissimis etiam partibus mixtionem non subiguntur semper, aut destruuntur, sicque integra & illibata permanentia data occasione in hac aut illa parte corporis tandem excluduntur & vermes proferunt.

In stomacho verò atque intestinis, ut suprà innuimus, fit potiùs atque frequentiùs horum reptilium exclusio, propterea quod exigua eorumdem semina unicam, eamque ut plurimum debilem quæ in primis viis absolvitur coctionem seu fermentationem meliùs & faciliùs eludunt quàm multiplices quæ in variis corporis partibus peraguntur; cui operi non parum concurrit calor loci blandus & humidis vermibus excludendis idoneus, & temperata bilis acrimonia, hoc est in qua sulphur magis cum phlegmate sali, quàm sal sulphuri, aut utrique phlegma præcellit; quæ enim acrior est & salibus acuta, lumbricorum ova dissolvit, eorumque exclusionem impedit, unde Helmont. *Quo non attingit bilis lumbricorum est patria.*

Insectorum hujusmodi facili in primis viis exclusioni favent plurimum Bartholini in Actis Hafnienſibus, & Curiosorum Germaniæ in suis ephemeridibus, aliorumque Auctorum observationes, quibus constat glutita casu cum aqua ranarum semina, etiamsi à corpore humano magis aliena calore stomachi & intestinorum exclusa fuisse, ranasque vivas inde prodisse, quæ vomitu tandem atque secessu rejectæ sunt.

Calor moderatus cum humiditate conjunctus requiritur ad lumbricorum generationem; calor quidem ad motum partibus ovo inclusis conciliandum earumque poros dilatandos; humiditas verò ad relaxandum duriorem ovi corticem atque etiam ad suppeditandas particulas quasdam ad animalculi augmentum & accretionem necessarias, non dispari ritu ac vidimus vegetantium semina, quæ reipsa & in sua specie ova sunt, & in quibus totius vegetantis compendium continetur, in terram projecta alternas caloris & imbrium vicissitudines exposcere ad germen suum exerendum; mortua enim & sopita quanquam integra, & perfectè non minùs quàm compendiosè delineata in suis ovis vermium excludendorum minutissima summamque materiæ divisibilitatem arguentia corpora indigent agente quodam extrinseco à quo moveantur & veluti expergefiant, sicque partes suas complicatas extricent ad ovi corticem perrumpendum; indigent & materia seu humore, qui in ovum penetrando particulas ipsorum nutriat atque adaugeat.

Atque hinc est quod qui calorem habent vegetum eumque acrem & minori humiditate temperatum, ut sunt ex adultis quamplurimi, atque etiam ex iis qui ad virilitatem pervenerunt, vermibus minimè aut parum sint obnoxii, calor enim intensior ova aut dissolvit, aut exsiccat humoresque absumit qui in illorum augmentum atque pabulum concurrere

rere debebant. Hinc pariter eſt quod pueri, fœminæ, & ſenes quorum corrum corpus magis humidum eſt & mitior calor, lumbricis magis infeſtari ſoleant, quòd ſi adulti & grandiores in pleriſque febribus putridis vermes ejiciant, quanquam calorem habeant à febre intenſiorem, illud ex præcedente ad morbum diſpoſitione ſeu morboſo apparatu potiùs quàm ab ipſa febre deducendum eſt.

Propter hanc tamen quæ homines facit verminoſo affectui magis aut minùs proclives corporis & primarum viarum diſpoſitionem, ſunt & aliæ concauſæ ad eumdem affectum non minùs diſponentes, inter quas primas tenet imbecillitas fermenti ſtomachici, quod dum glutitos cibos ad minimas uſque particulas diſſolvere & atterere non valet, lumbricorum ſemina ſeu ova in iiſdem occultata intacta ſalvaque relinquit, ex quibus deinceps vermes faciliùs erumpunt. Eorum pariter proventui & in primis viis generationi conducit eduliorum corruptorum, pravorum, & verminoſis hujuſmodi ſeminiis refertorum uſus frequens & immodicus, quales ſunt in primis fructus horæi, carnes minùs recentes, legumina, olera, aliave terræ producta ad putredinem certis præſertim anni tempeſtatibus valde prona, quorum omnium ad putreſcendum propenſio non aliundè deſumenda eſt, quàm ex eorumdem laxa compage & copia dictorum quæ in ſe continent ſeminiorum, quæ vel minima data occaſione in vermes pullulant. His demum lumbricorum cauſis adjungi etiam meritò debet ingluvies & ſtomachi nimia ingurgitatio, qua fit, ut cùm chyloſis præ ingeſtorum copia non debitè peragatur, ut jam dictum eſt, vermium ſemina in cibis contenta nihil aut parum alterentur, ſicque tandem occaſione loci & caloris in actum excitentur.

Cùm autem in puerili & ſenili ætate muliebrique ſexu ſegne admodùm ſit fermentum ſtomachicum, & fœminæ atque infantes repetito fructuum eſu delectentur, quos non niſi aquæ potu plerumque diluunt, ut nihil dicam de continua iſtorum fame, qua ſtimulati comedendi finem non facient; hinc fit ut pueri magis, deinde fœminæ, atque qui ætate valde provecti ſunt, vermibus, ut ſuprà dictum eſt ſcateant; contra quam accidit in aliis ætatibus & in maribus validiori ventriculi fermento donatis, cibis minus pravis & potiſſimùm vino meraco, quod vermifugum eſt, utentibus, nec ita gulæ aut ingluviei deditis.

Obſervant practici infantes quamdiù ſolo lacte veſcuntur, lumbricis minùs infeſtari, eoſdemque pultibus, panatellis, juſculis, aut carnibus nutritos vermibus magis obnoxios eſſe: cujus rei ratio non ex eo peti debet, quod calor lactentium nimis debilis ſit ad vermium excluſionem, ut volunt nonnulli, in mortuorum enim cadaveribus atque in terræ ſinu etiam citra tantum calorem generantur, nec quod lac facilè aceſcat, & aciditas lumbricorum exortui contraria ſit, in aceto namque ipſo & fructibus acidis plerumque vermes inveniuntur, ne quid dicam de acore lactis infantium victui prorſus contrario, ac proindè plerumque imaginario: ſed potius ex eo quòd lac purius ſit alimentum minuſque ovis illis ſeu vermium ſeminiis refertum, quæ per multiplices quas lactis materia in ventriculo nutricis, pulmone, corde, & mammis ſubiit alterationes, ſubigi & deſtrui faciliùs potuerunt.

Quod de dulcibus & ſaccharatis aut mellitis ad vermium generationem plurimùm conferentibus vulgò perhibent, id non alia ratione intelligendum eſt, niſi quatenus in ſaccharo, melle, &c. innata dictorum animalculorum ſeminia reconduntur, aut à pluribus inſectorum ſpeciebus dulcia quærentibus depoſita & in primis humani corporis viis facilè verminantia, aut in quantum hæc eadem ſemel ingeſta lumbricis jam in corpore hoſpitantibus pabulum idoneum æquè jucundum præbendo eoſdem ad copulationem invitant, ovorumque ſuorum depoſitionem; unde deinceps numeroſa & multiaria lumbricorum ſoboles enaſcitur; hac namque ratione, quod hìc notandum eſt, vermium quos catervatim nonnunquam ex infantium cor-

pore videmus ejici multitudo ſæpè propullulat.

Lumbricorum præſertim teretium in inteſtinis hoſpitantium ſigna varia ſe ſe offerre ſolent, quæ tamen omnia in omnibus non exiſtunt. Ac primò moleſtos illos hoſtes ſuſpicantur Medici ex ætati juvenili aut ſenili, tum etiam ex pravorum eduliorum uſu, & potiſſimum fructuum: tum denique ex vermibus quibuſdam excretis; quorum omnium ratio aut ſatis patet, aut ex his quæ dicta ſunt facilè erui poteſt.

Secundò ex oris fœtore ad aciditatem vergente, ſeu acido anhelitu, qui ex humoribus aut ingeſtis putreſcentibus, terramque & per ſalium fluorem acidam mephitim emittentibus deſumendus eſt.

Tertiò ex dejectionibus griſeo colore infectis, & argillæ diſſolutæ ſimilibus, quæ ex dificiente chyloſi, ut in cęliaca paſſione, aut ex minori bilis admixtione, ejuſdemve non ita in ſuo colore ſaturatæ, aut demum ex vermium morſu inteſtina lancinantium & promptam nimis ciborum ac proindè chilaceorum evacuationem faciente peti debent.

Quartò ex inquietudinibus, vigiliis, doloribus ventris, iiſque ſubitis atque intermittentibus, &c. quæ à dicto lumbricorum morſu aut humoribus irritantibus excitantur.

Quintò ex pruritu narium ab halitibus acriuſculis ex ventriculo erumpentibus & per nares ſicut & per os exeuntibus pendente.

Sextò ex nauſea, ſingultu, atque vomitu à pravis corruptiſque humoribus ingeſtiſve, aut etiam ab ipſis vermibus ſtomachi tunicas aut ejus os ſuperius laceſſentibus & ad contractiones ſpaſmodicas cientibus petendis.

Septimò ex fame quandoque inſatiabili & canina, quæ vel à lumbricis ſtomachum vellicantibus, vel ab eorum reliquiis acidioribus factis producitur.

Octavò ex macie & veluti tabe totius corporis, quæ ex defectu primæ coctionis provenit; minoriſque proinde alimenti diſtributionis, atque inſuper ex ejuſdem alimenti defectu quod lumbrici in ſui nutricatum arripiunt.

Denique ex eroſione gingivarum, labiorum, & totius buccæ ulcuſculis ſive aphtis, quæ ab acidiori & corrodente ſaliva, ab aſſumptis malè digeſtis, crudioremque & acidum chylum ſuppeditantibus maſſæque ſanguineæ & lymphæ præſertim ſimilem diatheſim conciliantibus excitantur.

His lumbricorum diagnoſticis ſignis adjunguntur alia multa quæ tamen minus frequentia ſunt, febres nempè variæ, quæ pluries in die exacerbantur, & quæ pulſu inæquali & plerumque itermittente ſtipatæ ſunt; harum verò originem non ex vermibus ſimpliciter in inteſtinorum ductu repentibus deducere licet cum veteribus quibuſdam; ſed ex materia verminoſa dicta, ſive ex putridis crudioribuſque humoribus à primis viis in ſanguinem excurrentibus, eumque ob ſuam improportionem in motum præternaturalem cientibus; qui cùm non æqualiter ſemper diſtribuantur, ſed quaſi per vices & inæquali copia non acmaſticam ſeu ejuſdem ſemper tenoris, ſed anomalam & inordinatis exacerbationibus ſtipatam febrem pariunt; pulſumque minùs regularem, ob cordis cum ſtomacho & inteſtinis punctione irritatis conſenſum in præcedentibus demonſtratum, unde motus ejus interturbatur. Cui operi concurrit etiam aliundè viſcidus atque lymphaticus infantium, ſenum, aliorumque vermibus obnoxiorum ſanguis non æquali ſemper gradu cordis ſinus pertranſiens, unde pulſus intermiſſio his ætatibus familiaris deducenda eſt.

Hanc febrem plerumque conſequitur animi deliquium, ſudor frigidus, ſtridor dentium, tuſſis ſicca, ſopor, delirium, convulſiones epilepticæ, ventris inflatio & tenſio, horrifica è ſomno expergiſcentia, &c. prout dicta materia verminoſa aut in primis viis & ſtomacho vim ſuam exerit, aut in pulmonum bronchiis, aut in corde, aut demum in cerebro, ubi copia ſua & viſciditate nerveos canales opplet vel comprimit, qualitate verò irritat, & ſpiritus animales inordinariè movet. Tandem & dolor lateris

teris inter ſigna verminoſi affectus minùs frequentia reponi debet, qui à morſu lumbricorum aut materiæ verminoſæ irritante acrimonia excitatur in ea potiſſimùm coli parte aut ipſius ſtomachi quæ alterutri reni aut hypochondrio finitima eſt, & quæ vicinas membranas ob nervorum commercium dolentes efficit.

Vermium variæ ſpecies ex eorumdem excretione innoteſcunt; faſciati ex majori fame & corporis conſumptione; aſcarides ex moleſto ani pruritu & deſidendi cupiditate; cucurbitini verò ex aliorum abſentia arguuntur, aut ex ipſis excretis patent, atque etiam ex minori ſupradictorum ſymptomatum numero & gravitate.

Quod ad prognoſim attinet, ea dubia plerumque eſt in hoc affectu, itaut non niſi ratione ſymptomatum ſubſequentium ſtatui rectè poſſit; quanquam enim lumbricos frequenter & ſæpe catervatim infantes ejiciant abſque ullo ſanitatis ſuæ diſpendio; ſæpè tamen contingit, aut ut hæc animalcula ſtomachum & inteſtina in variis locis perterebrent, undè mors ſequitur; aut ut corrupti & putridi humores ſeminia continentes undè excluduntur è primis viis in ſanguinem, & inde in partes nobiles translati non ſolùm febrem intenſam, ſed & graviſſima inferant ſymptomata, magnum plerumque periculum portendentia: quare quò majori aut minori ſymptomatum ſatellitio & gravitate ſtipatus erit affectus verminoſus, eò pejoris aut meliori ominis cenſendus eſt.

Curatio hujus morbi ad triplicem ſcopum collimare debet, nempe ad lubricorum excluſionem aut occiſionem qui toto genere præter naturam ſunt, & morſu ſuo inteſtinorum aut ſtomachi tunicas poſſunt lacerare; ſecundò ad materiæ verminoſæ ſeu humorum putrium & corruptorum expurgationem; tertiò ad ſymptomatum inde prodeuntium & plerumque urgentium mitigationem.

Primò ſcopo ſatisfiet per amara, acria, acida, atque tereſtria per os uſurpata; quæ aculeis ſuis vermium ſubſtantiam diſſolvunt, ipſiſve ſapore ſuo plurimum diſplicent, atque etiam per oleoſa quæ poros eorum obturando tranſpirationem qua ſola vivunt, impediunt, ſicque eoſdem ſuffocant. Talia ſunt rheum, mirobal. corallina, corn. cerv. uſtum aut crudum, raſ. ebor. corall. creta alba; ſem. critri, ſantonici, ſeu contra vermes, ſemen portulac. & tanacet. amygdal. amar. myrrha, aloes, pulvis hieræ, trochiſ. alhand. cœpæ, allia, cortex aurantior. cortex Peruvianus pulverat. Ex quibus varii pulveres dicti contra vermes à variis componuntur Auctoribus; ſuccus limon. granator. berber. ſpir. vitriol. ſalis, ſulphur. infuſ. & ſyrup. flor. perſicor. ſyrup. de cichor. comp. decoctum rad. gram. cichor. zedoar. gentian. acetoſ. fol. abſint. centaur. abrotan. tanacet. ſcord. portulac. dictamn. Cretic. acetoſ. lactuc. hyperic. &c. aut ex iiſdem elicitæ aq. ſtillatitiæ; theriaca, oleum olivar. amygdal. amar. ol. abſinth. hyper. vel per ſe, vel cum pauco vino aut ſucco limon. mixta; ſed magis commendatur oleum magiſtrale ex ſuprà dictis amaris in oleo olivar. diù infuſis & maceratis compoſitum.

In hoc etiam cenſu reponi debet vinum cum pauco oleo exhibitum, item rhei infuſ. in vino facta & cochleatim exhibita, ſed urgente febre non ita conveniunt, magis verò infuſ. ejuſdem aut ſem. contr. trit. & nodul. incluſ. in aq. portulac. aut ſero lactis.

Verùm quod omnibus præcellit vermes fugantibus aut enecantibus remediis mercurius eſt, qui etiam vivus ſeu crudus experientia teſte à ℈. ss. ad ℈. j. & ʒ ss. infantibus tutò exhiberi poteſt; grandioribus verò ad drachmam unam & plures, quidquid reclament è veteribus nonnulli, venenata atque deleteria qualitate donari eum falſò exiſtimantes; at ſi caſtigatione ulla aut correctione indigere videatur, extinguatur in mortario vitreo aut marmoreo, & agitetur cum pauco ſacchar. rubr. aut conſerva quadam & ol. amygdal. guttis aliquot, ſicque in formam boli aut pilulæ exhibeatur; quibus autem mercurii crudis uſus ſuſpectus videbitur, adhibeant eumdem per Chymiam

præparatum, qui ſi ter methodo ordinaria in igne arenæ ſublimetur ſublimato corroſivo priùs mixtus, mercurius dulcis ſeu aquila alba dicitur; ſi verò ſexies calomelas apud Reverium valde decantatus, qui à gr. vj. ad. gr. x. & xij. infantibus & pueris præſcribitur, utraque enim & præſertim ultima præparatio eum omnibus ſpoliat impuritatibus, & tenero infantium corpori facit magis accommodatum.

Sunt qui mercurio dulci gr. iij. iv. aut v. diagrid. utiliter admiſcent, quod fit non ſolum ad fugandos lumbricos, ſed etiam materiam verminoſam ſeminis eorundem turgentem per vias inferiores educendam, remiſſiore præſertim exiſtente febre, nec alvo admodùm fluida: alii eumdem crudum in aqua ſimpliciter decoquunt & diutiùs macerant, quam deinde ægris in potum ordinarium præbent non minori fructu; adeò verum eſt minerale illud, ſi non metallum, potentiſſimum eſſe vermifugum quod ſummæ partium ipſum componentium tenuitati & mobilitati tribuendum eſt molle & poroſum lumbricorum corpus pervadentium & texturam ipſorum diſolventium, aut ſapori odorive ipſius his animalculis valde ingrato.

Obſervandum hìc venit quod cùm vermes ut plurimum febrem adjunctam habeant, vitanda ſint tunc ex ſupradictis remediis quæ calidiora ſunt, ne ſcilicet lumbricorum excluſioni providendo calor febrilis magis incandeſcat. Notandum quoque luxuriantem humorum corruptorum ſaburram quæ nunquam non comitatur affectum verminoſum identidem expurgandam eſſe, quod optimè fiet per agaricum, ſennam, electuar. diacarthàm. &c. ſed præcipuè per amara purgantia ſupra dicta, rhab. ſcilicet pulverem hieræ trochiſc. alhand. mirobal. ſyrup. de cichor. comp. & de florib. perſicor. &c. quæ omnia non niſi in parva doſi pro ratione ſuæ virtutis, & roboris ætatiſque ægrotantium exhiberi debent, & non admodum vigente febre.

Febri quoque dum urget per refrigerantia & acida occurrendum eſt, non negle-

ctis venæſectionibus, quæ in pueris etiam trimeſtribus ſi neceſſariæ videantur, ſat tutò celebrantur ſi ſat bene, & ſi ſat moderatè ſanguis extrahatur; dum verò à parte anteriori ſeu ἄνω expugnantur moleſti illi hoſtes, à poſteriori ſeu κάτω ſimul alliciendi veniunt atque attrahendi ut penitus à corpore ſubducantur, quod apprimè fiet per clyſteres ex dulcibus compoſitos & ſæpiùs iteratos; ex decoct. ſcilicet liquir. portulac. ficuum, prunor. dulcium, aliorumque fructuum, ex juſculo, lacte, &c. cum caſſ. ſachar. mell. ſyrup. vitellis ovor. vitatis ſemper oleoſis, acribus, ſalſis, & amaris, quæ vermes ad ſuperiores partes certò amandarent. His tamen enematibus adjungi poſſunt herbæ, radices, ſemina, flores, emollient. & refrigerant. ſi res id poſtulare videatur, ſicut & opiatæ purgantes, modò in iiſdem amarities non excedat. Quod ſi, ut plerumque contingit, alvi fluxus verminoſo affectui adjunctus ſit, tunc temporis ad detergentia leviora, anodyna, imò & paululum adſtringentia recurrendum eſt, decoct. nempè hord. paſſul. liquir. roſ. rubr. agrimon. balauſtior. cort. granator. furfur. in lacte aut ſero lact. &c. diſſolvendo conſerv. roſ. cynorrhod. mel. roſat. colat. ovorum vitell. butyrum inſulſum, &c. in quo caſu magis à potionibus aut pulveribus purgantibus eſt abſtinendum, aut ſi eadem indicari Medico videantur, rheum pulveratum, ſyrup. de cichor. comp. tamarindor. decoct. ut in diarrhœa atque dyſenteria dictum eſt, adhiberi debent.

Verùm ſi lumbricos in inteſtina craſſa deſcendiſſe conjiciat Medicus, unde non tam facilè nec tam citò in tenuia & ſtomachum aſcendere poſſunt, tunc temporis fructuosè quandoque injiciuntur enemata ex amaris, oleoſis, aliiſque vermes necantibus parata, hac tamen in re circumſpectio magna & ſagax judicium ſemper requiritur.

Sopor, convulſiones, animi deliquium, ſingultus, dolores ventris &c. ſi lumbricos conſequantur, poſt univerſalium remediorum adminiſtrationem, eorumque quæ vermibus in ſpecie contraria

ſunt,

ſunt, aliorum remediorum uſum requirunt, quæ talibus ſymptomatis occurrere apta nata ſunt, quæque propriis capitibus expoſitis aut exponendis comprehenduntur.

Topica ſeu externa remedia quamplurima ab Auctoribus afferuntur quæ ſatis inefficacia aut inutilia mihi creduntur, præſertim cum internis vermes immediatè aggredientibus uti liceat. attamen quia ex iis quædam ſunt odore gravi & penetrante donata quæ lumbricorum fugam quodammodò promovere poſſunt eoſque arcere aſcenſu ad partes ſuperiores, eorum in hoc affectu uſum non omninò rejicimus; talia ſunt alia in modum torquis collo circumpoſita, oleum abſinth. juniper. amygdal. amar. fel, myrrha, aloes, colocynth. farina lupinorum, ſcordium, tanacetum, abſinthium, collo, ori ſtomachi aut toti ſtomacho & umbilico applicata.

Lumbrici faſciati non diſſimilem à teretibus requirunt remediorum adminiſtrationem; aſcarides verò præter remedia expoſita loco enematum ex dulcibus & lacteis paratorum ea poſtulant quæ ex amaris atque oleoſis componuntur, quibus purgantia etiam aloetica miſceri poſſunt, tum ad eos enecandos, tum ad extrahendam materiam ex qua generantur; ad eoſdem tamen ad extra vocandos admoveri ano poſſunt cataplaſmata aut ſuppoſitoria ex dulcibus conflata.

NOTA.

LUmbricis multa adverſantur, ex ſimplicibus quidem Angelica, abſinth. abrotan. dictamn. centaur. min. contrahyerv. gentian. gramen, folia perſici, filix, marrub. ſcordium, tanacet. tormentill. ſemen citri, Zedoaria, raſura eboris, & C. C. cortex ovorum, aloe, rhabarbar. myrrh. ſemen ſantonic. muſcus marin. vulgò corallina. Ex compoſitis theriaca, mithridatum, orvietanum, diaſcordium, aqua & ſpir. theriacalis, aqua alexipharmaca, & alia hujus generis plura. Corticem malorum aureorum pulveratum ad ʒ j. exhibitum præcipuè laudat Borellus, ut & eſſentiam ſemin. ſantonic. umbilico inunctam. Semen tanaceti ſpecificum eſt Vveckero apud Schenchium, ſi ex ſyrupo violarum propinetur, cui addit Hoefferus radicem primulæ veris. Commendatur Baricello aqua fontana ſpir. vitrioli acidulata, item aqua portulacæ; ac ejus ſemen ad ʒ. ss. in lacte. Foreſto ſecretum eſt olei olivar. ʒ. ss. cum ſucci malorum punicor. ʒ j. unde fiat hauſtus, addito ſi placet ſaccharo. De Mercurio nihil addimus, quia de eo ſatis ex Auctore noſtro.

Ad Lumbricos latos efficaciter, de multorum ſententia, valet radix filicis in pulverem redacta & ad ʒ j. cum aqua rutæ caprariæ exhibita: commendatur itidem ſuccus naſturtii, decoctum radicis bryoniæ, graminis, addito ſpir. ſulphuris. laudatur quoque elixyr proprietat. extract. aloes. ventri admota proſunt oleum thuris ſtill. eſſentia abſinth. oleum diacolocynthid. lign. corylin. nucleorum perſicor. cataplaſma ex malo aureo, ſucco abſinth. menthæ utriuſque; folior. perſici & portulacæ repleto, adjecto pulvere aloes, & ſemine colocynthid. cum felle tauri, fuligine camini & theriaca: ad ignem excalefiunt omnia & contrita ac piſtata ventri & lumbis applicantur *Hæc è Præclariſſimi Viri D. Lucæ Tozzi, Medicina Practica.*

CAPUT XXI.

De Hæmorrhoidum fluxu immodico, earumdemque dolore, & ulcere.

HÆmorrhois etiam ſi nomine tenus & ex etymo ſanguinis ex quacumque corporis parte fluxum ſignificet, communiter tamen pro ea cruoris effuſione à Medicis accipitur, qui ex vaſis ani & inteſtini recti tumentibus, iiſque ruptis aut apertis prodit, imò etiam citra ullum ſanguinis effluvium pro tumore in recti cavo aut confinibus ab influente ſanguine cum calore & dolore excitato. Hinc eſt quod hæmorrhoides dividantur in cæcas, hoc eſt non fluentes, & apertas ſive

ſanguinem aut ſanguineum ichorem fundentes ; atque iterum in externas , quæ extra anum foris prominent , & internas , quæ interiùs inteſtinum occupantes viſui minùs obviæ ſunt.

Quanquam verò ea ſemper fuerit veterum de hæmorrhoidibus ſententia , ut tumor ad venas hæmorrhoidales externas varicoſas factas pertineat , quæ rami ſunt hypogaſtricæ venæ à trunco cavæ prodeuntis in recti finem ſphincterem muſculum & podicem diſtributi phlethoram in eorumdem ſenſu vacuantes , aut ad hæmorrhoidales internas , quæ à vena porta mediante meſenterica derivantur , & inteſtinum rectum perreptantes cacochymiam expurgare ab ipſiſmet creduntur : nos tamen experientia & ratione ducibus tumorem hæmorrhoides conſtituentem non in venis ſimpliciter , ſed membrana inteſtini dicti interiore eſſe aſſerimus , quæ à ſanguine ibidem retento nec circulum ſuum peragere valente inflatur & intumeſcit ; neque enim de tumore hìc loci enato ſecùs ac de illo qui in aliis corporis partibus excitatur ratiocinandum eſt : Adde quod rugoſum eſt intrinſecùs inteſtinum rectum ſanguinem in ſuis rugis recipere aptum , ne quid dicam de dolore intenſo hæmorrhoides comitante , qui non niſi ex diſtenſione ſenſibilis membranæ oriri poteſt , non venæ varicoſæ quæ minimè dolens eſt.

Aſſerimus pariter imaginariam & chimæricam omninò eſſe illam plethoræ per venas hæmorrhoidales externas & cacochymiæ per internas evacuationem , venæ ſiquidem illæ non ſanguinem deferunt ad inteſtinum rectum , ut Veteribus placuit , ſed eumdem à dicta parte mediantibus , ut ſuprà dictum eſt , hypogaſtrica & meſenterica in cavæ & portæ truncos revehunt , & indè in dextrum cordis ſinum , ut ſanguinis circulari motus demonſtrat , & aliundè tam impurus eſt ſanguis in cavæ quàm in portæ minoribus ramis , ita ut hæc non magis quàm illa , plethoram , quàm cacochymiam , aut vice verſa vacuare videatur.

Ut ergo vera & principiis Anatomiæ magis congrua ſtatuatur de hæmorrhoidibus hypotheſis , dicendum cum neotericis affuſum in inteſtini rugas aut intimas aut extimas ſanguinem , qui tumorem hæmorrhoidalem internum , aut externum parit , non aliundè prodire quàm ex arteriis ſanguinem ex officio à corde ad omnes corporis partes deferre ſoliti , iiſque hæmorrhoidalibus pariter nuncupatis , quarum ramus alter ab aortæ trunco per arteriam meſentericam , undè immediatè oritur ſanguinem haurit & internas facit hæmorrhoides ; alter verò ex arteria iliaca hypogaſtrica mediante & externas hæmorrhoides excitat : ſanguis verò ille ideo in his partibus congeritur potiùs ſæpiuſque quàm in multis aliis , quod nonnullos facit huic affectui magis proclives , quia craſſior & fæculentior eſt , nec facilè huc advectus in exiles molleſque venarum hæmorrhoidalium radices reſorberi poteſt ; cui operi concurrit præprimis alvi adſtrictio & excrementorum durities venas in rectum & anum diſtributas comprimens , ſanguiniſque refluxum impediens , aut ſummus & frequens dejiciendi conatus in diarrhœis , teneſmis , aliiſve affectibus non diſparem venarum compreſſionem efficiens , ſanguinemque in haſce partes irritatas copiosè advocans.

Atque hinc eſt , quod melancholici , lienoſi , icterici , gravidæ mulieres , puerperæ , &c. qui omnes alvum habent irritatam , rectumve inteſtinum & frequenter dejcere conatur , hæmorrhoidibus obnoxii ſint , quas quandoque ſemel , bis , ter quater , in anno , & interdum ſingulis menſibus pro varia viſcerum & ſanguinis diſpoſitione patiuntur ; in his namque omnibus compreſſæ venæ , ſeu ab excrementis nimium induratis , ſeu à fœtu grandiore & graviore utere concluſo , ſeu à fortiori excernendi & pariendi niſu , aut eædem ab humoribus affluentibus valde relaxatæ ſanguinem in recti ſubſtantiam effuſum , eumque craſſiorem factum recipere & revehere facilè non poſſunt , undè ejuſdem ſequitur reſtagnatio tumorem hæmorrhoidalem in hac aut illa parte inteſtini , hoc eſt intrin-

trinſeca aut extrinſeca excitans, pro varia ipſiuſmet diatheſi.

Tumor verò ſemel excitatus, qui initio dolet multum & ardet ob ſanguinis contenti fermentationem præternaturalem, & ab eodem factam ſenſibilis membranæ diſtenſionem atque divulſionem, modò ſenſim diſſipatur & ſubſidet citra ullum humoris fluxum, quod cœcas facit hæmorrhoides, cùm ſcilicet exhauſtis & avolantibus tenuioribus partibus, molliorique facta inteſtini ruga contentus reliquus humor in vaſa venoſa reſorbetur, & circulum ſuum redintegrat à nuvo præterlabente ſanguine dilutus; modò præ membranæ ſeu tunicæ diſtenſione rumpitur, aut à pertranſeuntibus excrementis humoribuſve acribus aperitur, tuncque ſanguis aut ſenſim aut affatim fluit, aut ſaltem apertis notabiliter membranæ tumentis poris ſerum tenuius flavum aut cruentum, hoc eſt ſanguinis aut excrementorum colore tinctum exſtillat, undè apertæ ſeu fluentes hæmorrhoides excitantur.

Verùm præter dictas hæmorrhoidum differentias, aſſignantur & aliæ plures ab Auctoribus, quæ à magnitudine, numero, figura, deſumuntur; aliæ namque magnæ dicuntur, aliæ parvæ, aliæ plures, cùm ſcilicet plures rugæ plures tumores efficiunt; aliæ pauciores, aliæ demum uvales, morales, verrucales, veſicales, propter ſimilitudinem quam cum uva, moro, verruca aut veſica habent: quæ differentiæ cum minus notabiles ſint, illis non amplius immoramur.

Hæmorrhoides ſic expoſitæ vel ſalutares ſunt, aut ſaltem minùs morboſæ, cùm ſcilicet in ipſa ſanitatis latitudine nullam afferunt ſaltem notabilem atque permanentem functionum læſionem; ſive ſiccæ ſint, ſive fluentes; imò potius natura onus ſuum ſeu pravos & ſuperfluos humores per arterias hæmorrhoidales deponente à multis plerumque morbis præcavent, tuncque medicam manum non requirunt; vel eædem inſalubres magis ſunt atque morboſæ, de quibus hìc præcipuè agimus, cùm nempè præ ſanguinis congeſti fervore & copia inflammatio in recto atque dolor intenſus excitantur, unde gravia plus minus plerumque ſubſequuntur ſymptomata aut rupto tumore ſanguis affatim & immodicè fluit, undè vires multum atteruntur, idemve tumor poſt diuturnum ſanguinis fluxum ulceroſus fit atque purulentus: tunc verò ſedulam Medici atque Chirurgi operam expoſcunt. Rurſus eædem in morborum decurſu advenientes vel criticæ ſunt, cùm natura morbificum humorem in maſſa ſanguinea contentum per ani & recti vaſa cum ægri levamine ſecernit & extrudit; vel ſymptomaticæ cùm diſſolutus valde & attritus ſanguis per dicta vaſa copioſus exit malis ægri rebus, ſeu nulla indè prodeunte morbi aut ſymptomatum urgentium imminutione.

Morboſarum hæmorrhoidum cauſæ, præter illas quas ſupra innuimus, ad hunc affectum diſponentes, ſunt primò ſanguinis quantitas in corpore redundans; ſecundò ejuſdem craſſities & lentor; tertiò ipſius acrimonia, tenuitas, atque caliditas; cùm enim morboſæ fiant hæmorrhoides per dolorum intenſum, phlogoſim, ulcus aut immodicum fluxum, ut jam annotatum eſt, eo dictis maſſæ ſanguineæ vitiis facilè eædem deduci poſſunt; ſanguis namque in vaſis turgens ſive per ſe, ſive ex ſuppreſſa aliqua ejuſdem per alias vias, evacuatione, aut idem craſſior factus minima data occaſione in rugis inteſtini recti, ut in aliis pleriſque partibus, colligitur & ſiſtitur, ubi copia ſua per continuum ejuſdem affluxum creſcente membranam dicti inteſtini interiorem elevat, implet, ac proindè diſtendit atque divellit, unde dolor; atque ſemel congeſtus, præſertim ſi particulis bilioſis ſcateat, fermentationem præternaturalem ſeu corruptivam ſubit, unde calor & inflammatio; idem verò ſive nimis copioſus, ſive acrior atque tenuior tumorem facilè rumpit, & penetrat? undè ſanguinis fluxus, qui ſucceſſu temporis ob humorum moram, acrimoniam, & ſanguinis corruptionem & in pus converſionem ulcus excitat.

Cauſæ autem procatarticæ & externæ

ſunt

ſunt ea omnia quæ ſanguis copiam facere apta nata ſunt, aut ipſi acrimoniam, calorem, atque craſſitiem conciliare, quæ in hoc Tractatu pluries recenſita ſunt aut inferiùs recenſebuntur; ſed præſertim quæ alvum conſtipare, venas hæmorrhoidales comprimere, aut rectum inteſtinum irritare & relaxare valent, quæ etiam antè cap. de alvo adſtricta, de diarrhœa atque dyſenteria expoſita ſunt.

Dignoſcuntur hæmorrhoides ſatis ſuperque ex iis quæ de iiſdem jam dicta ſunt, tumore ſcilicet, calore atque dolore in ipſo recto aut recti extremo, qui ſedendo, tuſſiendo, ſternutando; mejendo; ſed præſertim excrementa duriora per alvum ejiciendo plurimùm exaſperatur. Externæ ab internis, cœcæ ab apertis, aliæque earumdem ſpecies ipſis oculis aut ægrorum relatu ſufficienter diſtinguuntur. Immodicus ipſorum fluxus, ex virium imbecillitate, ex copia ſanguinis excreti, ex diuturnitate fluxus, ex fœdo & pallido totius corporis colore innoteſcit, &c. uno verbo hæmorrhoides ab aliis ani affectibus aut tumoribus differunt, ex eo quod ſenſim cum dolore & calore intumeſcant, ſanguinem plerumque aut ſerum fundant, ſucceſſu temporis diſcutiantur, & vario quandoque tempore recurrant.

Cauſarum verò hæmorrhoides excitantium ſigna ex ægri habitu, temperamento, victus ratione, aut ex iis quæ præceſſerunt, patientiſque relatu facilè colligi poſſunt. Febris ſi quæ ſit ab inflammatione & dolore maſſam ſanguineam accendente & commovente petenda eſt: vigiliæ, inquietudines, & ad quemvis motum impotentia ex doloris acutie: virium collapſus & pallor corporis ex ſanguinis fluentis immodica copia; ſanguinis demum immoderatus fluxus ex ejuſdem tenuitate atque diſſolutione, aut vaſorum ſanguineorum rixi notabili, diabroſi, aut anaſtomoſi.

Dolor hæmorrhoidum ut plurimum periculoſus non eſt, aliquando tamen ob gravem tumoris inflammationem gangrænæ metum infert; periculum quoque majus portendunt hæmorrhoides tumentes atque dolentes, dum febre intenſa, aut vigiliis, inquietudinibus, aliiſque ſymptomatis gravibus ſtipatæ ſunt. Immoderatus earumdem fluxus pernicioſos plerumque morbos inducit, imbecillitatem nempè totius corporis, atrophiam, cachexiam, hydropem, &c. propter caloris nativi in ſanguine potiſſimùm reſidentes deperditionem; ipſarum verò ſuppuratio atque exulceratio in fiſtulam ani incurabilem nonnumquam degenerat ob partis affectæ mollitiem atque humiditatem irritantem, quæ ulceris exſiccationi contraria eſt.

Dolentibus prætermodum hæmorrhoidibus, ac proindè valdè inflatis medetur præſertim venæ ſectio in alterutro brachio facta, per quam ſanguis ad ſuperiores partes potenter revellitur, ejuſdemque copia & motus plurimùm imminuitur, ea verò bis, ter, quater, aut plures repeti debet pro ratione doloris, inflammationis, febris, plethoræ, virium, & ætatis ægrotantis. Poſt venæ ſectiones ſufficienter celebratas veniunt cucurbitulæ ſcarificatæ dorſo & lumbis applicandæ, ſi affectus urgeat, atque etiam hyrudines tumori hæmorrhoidali, ſi externus ſit, admovendæ, quæ cauſam conjunctam foras evocant, & incarcerato humori fores aperiunt; harum tamen uſus non ita promptus eſſe debet, niſi cœcarum hæmorrhoidum nec facilè diſſipabilium ſuſpicio ſit, ſucceſſu namque temporis, præſertim poſt emollitam alvum varioſque fotus, cataplaſmata, ſuffumigia, inſeſſus, clyſtereſque, ſi internæ ſint, emollientes aut anodynos ſpontè diſcutiuntur, aut aperiuntur & ſanguinem aut ſeroſitates ſanguineas fundunt. Emollitur verò alvus, quod præcipuus curationis aut ſaltem levaminis ſcopus eſt, decocto prunorum dulcium, tamarindorum, malvarum, mercurialis, violar. alth. &c. & præcipuè diluto caſſiæ, aut ptiſana ex ſecali aut pane ſecalino parata, quorum uſus frequens eſſe debet, ad hoc ut dilutis excrementis durioribus & laxato ventre tumor hæmorroidalis minùs exacerbetur, idemque proindè ad reſolutionem ac reſerationem faciliorem diſponatur.

Hanc

Hanc pariter paginam implent humectantia omnia, refrigerantia, laxantia atque lubricantia antè recenſita, imò & fructuum eſus, modò febris abſit, quapropter victus humidus ægro ſemper imperandus eſt, ſicut & largus frigidæ etiam glacie refrigeratæ potus, modò eam ſtomachus ferre poſſit: præſcribenda quoque oleoſa & mucilaginoſa, ut butyrum, oleum olivarum, lini, amygdalar. dulcium decoctum extremitatum animalium, inteſtinorum & capitis vervecis aut vituli, &c. Mucilagines ſeminis pſyll. alth. cydoniorum.

Interim ſi tumor extra promineat, admovenda ſunt ſtatim cataplaſmata ex mica panis in lacte cocta, cum vitellis ovorum, oleis lenientibus, croco, aut ex ſtercore bubulo & vaccino, vegetantibuſque emolliantibus & anodynis ad putrilaginem coctis, piſtis, & cribratis, rad. nempè lilior. malv. alth. cæpis dulcioribus ſub cineribus coctis, foliis ſempervivi majoris, fabariæ, cotyledonis, ſeu umbilici veneris, branc. urſin. malv. biſmalv. portulac. violar. flor. chamom. melilot. ſambuc. additis farinis ſeminis lini aut fœnugræci & oleis convenientibus: ſed præcipuè & magis ſpecificè ex verbaſci herba & floribus linaria, ſcrophularia, chelidonia minore & fol. ſambuc. quibus omnibus in doloris vehementia & pervigilio aliquid opii addi poteſt, aut unguent. populeum &c.

Hunc dolorem pariter mitigant ex topicis oleum buxi per deſcenſum paratum parti dolenti oppoſitum, oleum ovorum, medulla cruris vituli, ſævum hircinum, balſamus ſulphuris, oleum amygdal. dulc. oleum violaceum & lini, butyrum inſulſum in mortar. plumbeo diutiùs agitatum, ſuper uſtum cum vitell. ovor. & oleo roſaceo mixtum, aut alio oleo anodyno, porrum ſub cineribus coctum & cum butyro aut unguento populeo agitatum, oleum denique anodynum quodcunque in quo cortex medianus ſambuci aut ejuſdem flores, ſcarabæi ſtercorarii, azelli ſive millepedes decocta ſint, ut multa alia taceam, quæ in variis practicorum libris paſſim occurrunt: item & fotus aut inſeſſus ex lacte, herbarum ſupradictarum decocto, aut ex aqua roſacea cum pauco alumine vel ſale ſaturni, ſucco ſolani aut ſempervivi, dum magis refrigerandum eſt & repercutiendum.

Verùm his omnibus externis remediis minimè cedunt ſuffumigia axcepta per anum in ſella perforata, quæ tum ex decocto ſupradicto parari poſſunt, tum ex vino in quo aromata decocta ſint, aut lateres igniti projecti, tum ex aqua vitæ ubi hæmorrhoides diſcutiendæ ſunt, apertis namque tumoris poris contenti humores facilè exeunt aut exſudant.

Sed quia cum dolore dictarum hæmorrhoidum calor immodicus atque inflammatio, imò febris & vigiliæ ſæpiſſimè conjunguntur, vocanda ſunt in uſum medicum ex dictis topicis quæ magis refrigerant, aut iiſdem alia refrigerantia ſunt adjungenda, flores nempè nymphææ & papaveris, ſem. 4. frigida majora & minora, fol. ſolani, hyoſcyami, & lactuc. aut ſucci earumdem herbarum expreſſi. Quibus remediis externis accreſcere interna debent, emulſiones ſcilicet deſcriptionis ordinariæ, juſcula, julepi ex decoct. aut aquis ſtillatitiis refrigerantibus parata, aut ex decoct. ſcrophulariæ, millefolii, verbaſc. chelidon. minor. cum ſyrup. aut ſuccis refrigerantibus & acidiuſculis, ſale prunellæ, imò & narcoticis; atque etiam clyſteres refrigerantes emollientes, iique minimè irritantes & in minori doſi, ſi neceſſarii videantur, tum ad diluendas fœces, viſcera refrigeranda, tum ad expurgandos ſenſim & demulcendos humores; qui ſi præ dolore aut ani occluſione injici ſine tormento non poſſunt, vitari omninò debent, eorum vicem per potiones ſupplendo, aut ne cannula ſive fiſtula ano indenda tumorem duritie ſua irritet, eadem pulli gallinacei inteſtinulo inveſtita in rectum propellendi atque injiciendi ſunt: eorum autem multò frequentior uſus ſit oportet, præſertim anodynorum, & refrigerantium in internis hæmorrhoidibus, quibus non ita per cataplaſmata, aut inunctio-

ctiones ſuccurrere poteſt Medicus.

Quod ad purgantia ſpectat, ea in hoc affectu ſi in quovis alio, parcè admodùm adhibenda ſunt, & non niſi ex mitioribus depromenda; acriora enim partem affectam nimium irritant, humoreſque copioſos ad eandem advocant, quibus tumor atque dolor plurimùm augentur. Interim quies ægrò imperanda eſt, & præſertim pronus in lecto decubitus; præſcribenda quoque victus ratio leniens, refrigerans, & humectans, vitatis craſſioribus, calidioribus, acrioribus, imò & ſolidis atque ſiccioribus eduliis, quæ excrementa faciunt duriora.

Quòd ſi non dolori hæmorrhoidum, ſed earumdem fluxui nimio, diuturniori atque copioſiori medendum ſit, tunc poſt phlebotomias brachiorum iteratas pro viribus, eaſque in principio paulò largiores, deinceps magis parcas, habita ſimul ratione temperamenti, plethoræ, ætatis, ad adſtringentia, incraſſantia, & roborantia confugiendum eſt, qualia ſunt quæ in capite de vomitu ſanguinis, diarrhœa & dyſenteria poſita ſunt, ex quibus cataplaſmata, fotus, inſeſſus, fieri poſſunt, vitando ſemper oleoſa atque relaxantia; ſic decoctum foliorum quercus, ſummitatum rubi, granorum ſumach. malicorii, nucum cupreſſi, gallarum, glandium, foliorum plantag. millefol. urticæ, myrti, verbaſc. roſarum rubrar. balauſtior. rad. biſtort. pentaphyll. aut ſucci ex iiſdem herbis expreſſi apta ſunt remedia, quæ hæmorrhoidibus nimium fluentibus & ſanguinem copioſiùs fundentibus applicentur aut immediatè & per ſe, aut per ſui vaporem in ſuffumigio; item fotus ex aceto aut oxycrato, aqua roſar. rubrar. aut plantag. cum pauco vitriolo ceruleo nimio hæmorrhoidum fluxui plurimùm competunt: imò & telæ aranearum, pili leporis, albumen ovi, atramentum, calcitis, bolus armena, maſtiches, thus, terra ſigillata, ſanguis draconis, aliique pulveres adſtringentes parti affectæ utiliter admoventur, & ungula muli aut equi uſta & in pulverem redacta; ne quid dicam de pulvere bufonis, aut ranæ combuſtæ, aut de fungo quodam rotundo, qui crepitus lupi apud vulgus dicitur, ſiccato & pulverato, quæ inter topica ſpecifica hujus affectus recenſentur.

Inſuper ad ſanguinis fluxum revellendum applicantur dorſo & lumbis cucurbitæ ſcarificatæ, & panni aqua frigida imbuti partibus vicinis admoventur, atque etiam partibus genitalibus ad eumdem cohibendum; quibus adjunguntur julepi, juſcula, ptiſanæ, opiatæ, pulveres, conſervæ, ex adſtringentibus parata, aut ex refrigerantibus & narcoticis; cavendo tamen ne præpoſterus & frequentior eorum uſus excrementa alvi nimium induret, à quibus tumor hæmorrhoidalis magis irritaretur; liquida namque quantum fieri poteſt in hoc caſu non ſecùs ac in hæmorrhoidum dolore uſurpanda ſunt.

Clyſteres in hæmorrhoidum fluxu immodico rari aut nulli injiciuntur, aut ſi ad illos confugere neceſſitas cogat, ex lacte uſtulato cum adſtringentibus, vitellis ovorum, aliiſque minùs irritantibus ſunt comparandi, præſertim cùm hæmorrhoides internæ ſunt; potiones item purgantes validiores cane pejus & angue vitandæ ſunt, uſurpando tantùm admodùm lenia, aut quæ adſtringendo purgant, ut ſunt rheum, myrobalani, caſſia, manna, ſyrup. de cichor. cum rhab. aut de floribus perſicor. tamarindi, &c. quorum omnium doſis non niſi modica eſſe debet, & qualis ad exſuperantem humorum ſaburram ſenſim & per epicraſim ſubducendam neceſſaria eſt.

Succus urticæ aut millefolii depuratus atque in juſculo ſolutus, tinctura roſarum vitriolata, decoctum lentiſci, pilulæ de bdellio Meſue, trochiſc. de carabe, de bolo armena, terra ſigillata, corallia margarit. confect. hyacinthor. victus euchymus & incraſſans, aliaque plurima in aliis ſanguinis fluxibus propoſita, atque etiam ea omnia quæ ſpiritus exhauſtos reparant, fractaſque ex nimia cruoris effuſione vires reſarciunt hìc etiam locum habere debent.

Obſervandum tamen & accuratè examinandum eſt, num aliquod vitium

ſan-

ſanguinis, quantitas nempè, acrimonia, diſſolutio, craſſities, humoris bilioſi redundantia, aut viſcerum obſtructio, aliique abdominis aut inteſtinorum morbi hæmorrhoidum dolori aut fluxui immodico occaſionem dederint; tunc enim præter dicta remedia ad alia confugere debet Medicus, dictas cauſas aut effectus in ſpecie oppugnantia. Obſervandum quoque ne nimis promptè cohibeatur ſanguinis fluxus, qui fortè in alias, & quidem nobiliores partes decumberet, item & in cauterio potentiali aut actuali hæmorrhoidali tumori nimium fluenti, ut quandoque neceſſe eſt, applicando, ne omnes tumoris hiatus urantur tanganturve; ſed aliquis apertus ſervetur, ſecundùm Hippoc. præceptum *Aphor.* 12. *ſect.* 6. niſi, ut docet Aetius, maluerit æger huic affectui proclivis imminens aut futurum ab integra hæmorrhoidum & ſubita ſuppreſſione periculum victus regimine, venæ ſectionibus, & purgationibus tempeſtivè repetiti præcavere.

Curato autem hæmorrhoidum fluxu immodico, de prophilaxi cogitandum eſt, dictique affectus recurſui impediendo graviter incumbendum; quod apprimè fiet victus ratione convenienti, exercitio modico, phlebotomia identidem celebrata, laxata & expurgata, benignè tamen, identidem alvo, reſeratis primarum viarum & viſcerum ductibus, balneis denique vel aquarum mineralium vitriolatarum, nitroſarum, aut aluminoſarum, ferratarum, aut etiam thermalium uſu, prout viſcerum aut ipſius ſanguinis diatheſis poſtulare videbitur.

Ulceratæ hæmorrhoides curantur decoct. radicum gentian. ariſtoloc. ſol. vinc. pervinc. eupator. cichor. abſint. veronic. piloſell. roſ. rubr. flor. hyper. aliorumque vulnerariorum cum mell. roſaceo aut ſacchar. rubr. ſæpiùs applicatis aut injectis, balſamo ſulphuris terebinthinato, oleo ovorum & roſaceo cum ceruſa aut lythargyro, thure, myrrha, &c. digeſtivo ordinario, lotionibus ex aqua calcis cum aq. roſar. mixta, uno verbo detergentibus, exſiccantibus & conſolidantibus.

Sin verò grangræna hæmorrhoides invaſerit: nec illi aqua vitæ camphorata, aut ſpiritus vini, decoctum ſcordii & abſint. in vino, digeſtivum cum myrrha & aloe, ægyptiacum unguentum, aut Apoſtolorum in aqua calcis, aut aqua vitæ aut phagædenica ſolutum, aliaque id genus obſiſtere potuerint, filo alligandæ ſunt, & ferro aut igne conſumendæ.

Excitantur ſuppreſſæ hæmorrhoides, ſi cui neceſſariæ videantur ad hunc affectum antea prono, per exercitia, equitationem, ani confricationem cum pannis aſperis, aut cum foliis ficus arboris, per purgantia aloetica & per ſuccum cepæ cum aloe mixtum aut lac ficulneum ano confricatum, eædem verò diutiùs tumentes atque cœcæ, ſi fluore indigeant, ſcalpello tenuiori aut hyrudinibus admotis aperiuntur, earumque fluxus ſuffumigio aut vapore calido in ſella perforata ſuſcepto ad tempus requiſitum fovetur & continuatur.

NOTA.

EMollitæ Hæmorrhoides per ſemicupia & fottus, aliis etiam præmiſſis, aperiuntur foliis ficus & mercurialis: quæ ſi non ſufficiant veniendum ad ſuccum cyclaminis ſolum, aut cum inflammatio adeſt ſucco betæ admixtum; adde ſuccum ceparum cum aloe externè illinendum. Item linimentum ex cancris fluviatilib. in oleo coctis ad mellis conſiſtentiam, in primis ubi eſt metus inflammationis, tumque præſertim in mortario plumbeo tandiu agitatum donec nigreſcat. Succus & magnæ urticæ mortuæ furentes aperit Hæmorrhoides. Specifica in dolore eſt momordica poſtque eam verbaſcum, flores ſambuci, aquæ vel potiùs lacti incocta, ex iiſque fricatus anus; adde in doloris acerbitate ſemen hyoſcyami, folia portulacæ. Oleum in quo baccæ ex herba paridis incoctæ ſunt, item ex ſem. pap. albi vel hyoſcyami expreſſum cum aſelliſa ſcarabæis, valet tum extus, tum intuſſi ſuppoſitoriis illinatur ad partem afflictam pertingentibus. Cineres præterea ſuberis uſti,

cum

cum oſeo myrthino, aut capiſtri, aut lini, ſunt ſpecificum, ut & mucilagines variæ, addito etiam opii tantillo. Laudatur etiam ſacculus ex foliis quercus & glandibus contuſis, aceto incoctis, balſamus ſulphur. terebinthinatus, aut præparatus, radix ſcrophulariæ antumno collecta, ſi in ſubſtantia vel decocto capiatur; imò coxæ ſecundùm quoſdam, alligetur, vel cum butyro frixa, in unguentum piſtetur, herbæ & radices eſulæ majoris vino vel liquori alii apto infuſæ, atque mane & veſperi epotæ.

In Hæmorrhoidibus nimium fluentibus ſyrupus è ſucco ſtercoris aſinini quàm maximè prodeſt; item ſuffitus ex bdellio, & pulvis ranæ terreſtris, ut & bufonis combuſti, applicatus; pinguedo anguillæ quæ ſtillat quando aſſatur, inſignis eſt contra fluxum ac dolores. Cingulum è foliis ellebori albi linteo inſutis ſingularis eſt efficaciæ in exulceratis Hæmorrhoidibus. Unguentum ex oleo amygdalarum dulcium & auro fulminante maximè etiam commendatur.

CAPUT XXII.

De calida Hepatis, & aliorum viſcerum intemperie.

PEr calidam hepatis & viſcerum intemperiem non hìc cum pleriſque Veterum imaginarium quemdam caloris exceſſum intelligimus, qui in variis corporis partibus independenter à ſanguine & humoribus ſeſe prodat, quemque calidi innati in dictibus partibus primariò reſidentis incrementum eſſe putant: ſed eam tantùm caloris nativi exſuperantiam quæ à ſanguinis calidioris particulis aduſtis & retorridis in aliquo viſcere retentis, aut nimis commorantibus atque effervescentibus dependet, ſanguis namque in quo ſolo ſitum eſt calidum innatum non minùs quàm influens, dum ſingulas corporis partes perluit, calorem ſuum quem à motu particularum ſuarum fermentativo atque ſimul circulari habet, iiſdem impertitur, nec ipſæ propriè calidæ ſeu ſecundùm, ſeu præter naturam dici poſſunt, niſi in quantum aut fervido ſanguine, aut humoribus æſtuantibus ab ipſo deciduis imbibuntur aut irrigantur.

Hinc facilè colligitur intemperies omnes primariò in ſanguine eſſe, ac proindè viſcerum caliditatem ex particulis ſulphureis ſeu bilioſis acrioribus & ſale lixivo aculeatis in ſanguine hoſpitantibus & in eorumdem parenchymata aut membranas depoſitis ibique tardiùs circulantibus, aut per moram intenſiùs effervescentibus petendam eſſe: quia tamen particulæ illæ ſanguinis calidiores, quamdiù ſunt intra vaſa, aut citiùs præterlabuntur, aut in maſſæ alveo ab aliis humoribus ſeu principiis minùs activis refringuntur atque temperantur; hinc eſt quòd dictus caloris exceſſus minùs in dictis vaſis plerumque ſe manifeſtet, magis verò in viſceribus, primis viis, & præſertim in hepate, ubi aut per ipſorum intricatam & denſam ſtructuram & compagem retinentur moranturque humores fervidi, aut per eorumdem colatoria ſui juris fiunt, aut demum alii aliis contrariæ indolis ibidem occurrentes fermentativos & præternaturales motus concipiunt: ſunt enim viſcera pleraque ſanguinis nimio motu agitati quaſi repagula aut diverſoria, in quibus humores aliquandiù hoſpitantur, tùm ad ſua recrementa deponenda, tùm ad varios in ſuo ſinu contentos ſuccos variis uſibus deſtinatos per ſecretionem præbendos, tùm demum ad exaltationem quamdam corporis œconomiæ ſeu ſanguineæ maſſæ fermentativo motui neceſſariam acquirendam.

Colligitur inſuper futiles prorſus eſſe quas Veteres afferunt intemperiei viſcerum calidæ in ſimplicem & compoſitam; in eam quæ ſine materia, eſt, eamque quæ cum materia conjungitur differentias; ut enim humores calidi non niſi calidam ſtatim humidamque intemperiem producere poſſunt, quanquam ex calore nimio humiditas ſenſim abſumitur, ſiccitaſque proindè pleriſque ſaltem corporis partibus induci poteſt; ſic iidem humores intemperies quaſcunque in corpore excitatas fovent ſemper atque ſuſtinent, nec ulla immaterialis abſolutè eſſe poteſt,

teſt, niſi humor dicatur non humidus, aut non materialis.

Rectiùs dividi poteſt intemperies in eam quæ congenita eſt, & à principiis generationis oriunda, quam à nativa principiorum ſanguinis activorum copia & exaltatione in primis viis, ubi ſui juris fiunt, magis ſe manifeſtante petunt Medici ſaniores; & in adſcititiam ſeu acquiſitam, quæ per abuſum ſex rerum non naturalium ſanguinem potiſſimùm accedentium viſceribus ſucceſſivè inducitur. Rurſus in eam quæ in latitudine ſanitatis poſita eſt, hoc eſt quæ parum à ſtatu naturali deflectens pro ratione temperamenti & ætatis functiones corporis ſenſibiliter non lædit; eamque quæ præternaturalis omninò eſt & morboſa, quæ ſcilicet hepatis, ſtomachi, inteſtinorum, aliorumque adjacentium viſcerum actiones abolet, infringit, aut depravat, & ad alios graviores affectus diſponit, de qua ultima hìc agere inſtituimus.

Cauſas hujus intemperiei internas & immediatas non eſt ut pluribus inquiremus, utpotè quæ ſtatim initio hujus capitis indicatæ ſunt, ſanguis namque ſpiritu, ſulphure atque volatilioribus quàm par eſt turgens, quæ principia ejus ſunt magis activa ejuſque maſſam exagitantia, non niſi fervidior eſſe poteſt, bilemque ſuam, quæ ſui principii ſeu ſui fontis naturam redolet, in hepate atque primis viis deponens, aut ipſe per ſe varias abdominis partes perluens, & in ipſis cunctans, hæc aut illa vel omnia ſimul contenta viſcere (quod frequentius exiſtimo) neceſſariò excalefacit, unde eorundem ſequitur intemperies, quam pariter (ut ſupra inſinuatum) ſuccorum variorum & inter ſe heterogeneorum, bilis putà magis lixivioſæ & acidioris pancreatici ſucci, aut lymphæ in primis viis depoſitio & occurſus inducere non minùs probabiliter poteſt; ut enim oleum tartari ſpiritui vitrioli mixtum, aquâ calci, &c. ſtatim intenſam ineunt effervescentiam ex qua calor immodicus fervidique halitus erumpunt; ſic humores contrarii nec facilè ſociabiles in humano abdomine ſibi mutuò occurrentes effervescunt ſubitò, calidiſque quos emittunt halitibus partes in quibus ſtabulantur, imò etiam & vicinas atque adiacentes plerumque incendunt.

Cauſæ verò mediatæ ſive externæ ſint, ſive non, ſunt ea omnia quæ ſanguini fervorem conciliare, bilis proventum facere, principiaque humorum activa exaltare quoquo modo poſſunt, ut calidior aer, exercitia immodica, vigiliæ immoderatæ, ira frequens, &c. ſed potiſſimum calidiora ſeu edulia, ſeu remedia, vinum putà meracum largius & ſæpius epotum, liquores ardentes, piperata varia, acria, & aromatis condita, cathartica vehementia, ſulphurea denique, ſpirituoſa, & ſale alchalino ſeu volatili, ſeu fixo abundantia.

Viſcera calidiora denotant cibi faſtidium, oris amaror, linguæ albedo & nigrities, palati & gutturis ſiccitas, ac proindè ſitis, quæ ſymptomata ex bilioſis calidiſque halitibus è primis viis erumpentibus œſophagum atque ſtomachum & fauces exſiccantibus aut inficientibus peti debent; præterea calor excedens in toto corpore, totius cutis ariditas, & corporis macies, quæ à motu particularum ſanguinis intenſo ſive præternaturaliter fermentativo, humidamque, oleoſam, atque lymphaticam ſanguinis portionem abſumente vel atterente proficiſcuntur. Alvus adſtricta; cùm infarctum hepar clyſterem naturalem ſive bilem ad duodenum minus tranſmittit, aut cùm excrementa in craſſis inteſtinis à calore viſcerum ſicciora atque duriora efficiuntur, quàm ut facilè excerni poſſint, vomitus bilioſi cùm exantlata in ventriculum bile, aut eadem per oſcula vaſorum in ejuſdem membranas exſudante; ipſe in contractivum motum ſubitò cum muſculis epigaſtricis adigitur: dejectiones tandem bilioſæ iſti affectui quandoque adveniunt, cùm bilioſus humor, iſque acrior & calidior in hepate & primis viis redundans facilem ad inferiora commeatum habet, atque etiam febris aut eamdem propenſio, cùm eadem in maſſa ſanguinea turgens ipſam in motum ſolito majorem & præternaturalem ciet.

Cali-

Calida viſcerum intemperies per ſe & ſtatim valde periculoſa non eſt; ſi tamen diutiùs perſeveraverit, & graviora ſymptomata induxerit, multò pejus ominatur: acuti namque atque rebelles morbi inde quamplurimi ſubnaſcuntur. Difficilis quoque curationis eſſe ſolet, cùm ventriculi frigiditati ſeu potius cruditati & obſtructionibus imi ventris conjuncta eſt, ut plerumque contingit; remedia enim quæ ad calorem abdominis temperandum præſcribuntur, ventriculo plerumque officiunt, & quæ ad obſtructiones tollendas, morbum ipſum intendunt.

Curabitur hic affectus per phlebotomias in brachiis & pedibus celebratas, eaſque parcas aut largas, citius aut tardius, ſæpius & rarius repetitas pro ratione virium, ætatis, plethoræ, & caloris intenſionis. His ſuccedere debent vomitoria, ſi ſtomachus bilioſis ſcateat humoribus, fomenta abdominis, aut balnea refrigerantia, julepi, juſcula, emulſiones, ptiſanæ ex refrigerantibus, acidiuſculis & incraſſantibus comparata & ad plures dies continuata; aut etiam ex temperatis aperientibus & chalybeatis, ſi viſcerum infarctus quidam fit & hypochondriorum renitentia, in quo caſu ab acidis & incraſſantibus abſtinendum.

Dum verò ſic temperantur humores fervidi & ad faciliorem exitum diſponuntur, uſurpanda identidem veniunt cathartica benigniora & minus acria, ex tamarind. rheo, caſſia, manna, ſale polych. infuſ. & ſyrup. roſar. & flor. perſicor. &c. de cichor. comp. in decocto conveniente; præmiſſis tamen clyſterib. emolientibus atque refrigerantibus ordinariis, iiſque ſæpius repetitis, Julepus Alexandrinus hìc etiam locum habet, qui paratur ex aquæ fontis. ℔. j. aq. roſar. ſucc. limon. & ſacch. alb. an. ℥. ij. aut iij. omnibus ad deſpumationem coctis; atque etiam ſucci variarum herbarum endiviæ ſcilicet, cichor. tarax. lactuc. portulac. bugloſ. borrag. acetoſ. pomor. redolent. aut eorumdem decocta, ſpiritus item ſalis, ſulphuris, vitrioli, ſal prunell. cryſtal. tartar. ſuccus limon. granator. ribes, berberis, ſyrup. viol. limon. nenupharinus, de papav. albo, ſemina 4. frigid. major. & minor. conſerv. flor. cichor. violar. flor. nympheæ, bugloſſ. caules lactuc. conditi, cucurbitæ & melones ſaccharo condit. uno verbo ea omnia quæ in variis præcedentibus capitibus ſanguinis motum compeſcere, bilis ferociam refrænare, viſcera infarcta expedire, humores in primis viis reſtagnantes & per moram effervescentes expurgare valere non ſemel diximus.

Quòd ſi his omnibus remediis omninò non cedat affectus, ad uſum ſeri lactis per plures dies atque etiam lactis aſinini, ſi corpus valdè emaciatum fuerit, & viſcera expedita, deveniendum eſt, ex quibus non parum levaminis hac intemperie laborantibus plerumque affertur; item & ad uſum aquarum mineralium acidularum, quæ curam nonnunquam abſolvunt & ab eodem affectu in poſterum præcavent; aut aquarum ferratarum, ſi adſit viſcerum obſtructio quævis; hæmorrhoidum per hyrudines apertio, ſi earumdem ſuppreſſio affectui locum dederit utilis eſſe poteſt? ſecus autem quid conferat non planè video.

CAPUT XXIII.

De Hepatis inflammatione, abſceſſu & ulcere.

INflammatur hepar non ſecùs ac pulmo, lien, ſtomachus, veſica, aliæque partes abdomine contentæ, cùm ſanguis perruptis quacunque de cauſa cancellis ſuis in glanduloſam ejus ſubſtantiam effunditur, & extravaſatur, ubi circulationis defectu, quæ diatheſim ejus ſervare ſolet, fermentationem præternaturalem & corruptivam cum calore ſubit, hoc eſt exaltatis ejus principiis magis activis, ſpiritu nempè & ſulphure atque ſale volatilioribus, iiſdemque deinceps per ulteriorem fermentationem avolantibus putrent, ipſe corrumpitur, & tandem ſuppuratur; ut enim principiorum ſanguinem conſtituentium intima

& exa-

& exacta mixtio eumdem facit laudabilem & naturalem, ſic eorumdem à ſe invicem diviſio atque diſceſſus ut in omni corporum ſeu compoſitorum naturalium corruptione contingit, dictum ſanguinem vitiat, deſtruit, & ad corruptionem atque putrefactionem ducit.

Talis verò ſanguis fervidus plerumque & plus æquo excalefactus in hepatis parenchyma diffunditur, cùm ſcilicet præcedens febris eumdem, utpotè in vaſis ſuis turgentem, nec facilè iiſdem contentum, in dictam partem ob peculiarem ejus diſpoſitionem tranſmittit; tuncque febris eſſentialis dicitur, ex qua inflammatio ut ſymptomata & effectus ſequitur; vel idem ſanguis ſecundùm naturam ſe habens ſaltem in motu ſuo, priùs in hepatis ſubſtantiam decumbit, aut ibidem ſiſtitur, quàm febris excitetur ob varias cauſas infrà afferendas; tuncque extravaſatus acceditur magis & fermentatur, particulaſque inflammatorias maſſæ ſanguineæ locum inflammatum continuò perluenti ſucceſſivè communicans eandem in motum febrilem adigit, tuncque febris ſymptomatica eſt, hoc eſt ab inflammatione hepatis tanquam ex cauſa primaria dependens.

Hepatitidem ſive dictam jecoris inflammationem veteres Medici in varias diſpergunt ſpecies, ſcilicet phlegmonoſam, eryſipelatoſam, œdematoſam, ſckirrhoſam, aut ex his variè compoſitam, prout ſanguis è vaſis ſuis exiliens magis ſincerus eſt, aut bile, pituita, aut fœce ſeu tartaro mixtus: verùm quanquam fateamur inflammatorium in hepate excitatum tumorem modò magis, modò minus intenſum eſſe pro varia ſanguinis extravaſati incaleſcentia, eumdemque modò majorem, modò minorem pro dicti ſanguinis extravaſati copia & diffuſione; non tamen ſupradictas admittimus inflammationi differentias, utpotè merè imaginarias, ſanguis namque phlogoſim efficiens principiis (ut jam jam innuimus) activis magis quàm paſſivis ſemper abundat, nec pituita aut melancholia Veteribus dicta quidquam conferre videtur ad eam patiendam.

Ratione loci peculiaris in quo fit inflammatio, alia eſt quæ gibbam ſeu convexam hepatis partem occupat, alia quæ concavam; rursùs alia quæ membranam & exteriorem hujus viſceris partem, alia quæ ſubſtantiam & internum ejuſdem parenchyma, quod tamen non ita ſtrictè intelligendum eſt, ut una parte affecta, altera omninò libera exiſtat; continuum enim jecur cùm ſit in ſuis partibus, maximumque habeant vaſa innumera quibus irrigatur inter ſe commercium, non poteſt in uno loco inflammari, quin totum ejus corpus quodammodò afficiatur.

Cauſæ hujus affectus proximæ & immediatæ ſunt, ut omnium aliarum inflammationum, ſanguinis quantitas nimia, ejuſdemque in vaſis ſuis turgeſcentia, efferveſcentia, tenuitas, acrimonia, per quas omnes diſpoſitiones aptus eſt vaſa perrumpere aut ex iiſdem exſilire atque extravaſari; obſtructio quoque in vaſis jecoris ſanguineis, cruorique circulum ſuum peragenti interpoſitus obex ad eumdem affectum proximè plerumque diſponunt, propter eamdem rationem; verùm ex parte hepatis requiritur ſemper, ad ejuſdem inflammationem potius quàm aliarum partium efficiendam, aut nativa acquiſitave ipſius imbecillitas & flaccities, vel intemperies in præcedenti capite expoſita; vel infarctus, pravaque alia ejuſdem conſtitutio, per quam influens ſanguis in ejus ſubſtantiam facilè effunditur, aut cum ſemel influxit ſiſtitur & retinetur.

Cauſæ remotæ & externæ plurimæ eſſe ſolent, nimia puta corporis & ſanguinis excalefactio, ſeu ab exercitiis & motu immodico acquiſita; ſeu à ſole, igne, cibis, & potibus acribus, calidis, & ſpirituoſis, ſeu ab effrænata venere, ſive ab ira frequentiori, vigiliis, aliiſque cauſis in præcedenti capite memoratis, ſeu à remediis calidioribus intrinſecus aſſumptis, aut extrinſecus regioni hepatis & ſtomachi applicatis, ſeu demum à percuſſione & caſu, aut ictu circa hepatis regionem, atque etiam à cucurbitula regioni hepatis fortè admota ſecundum Fabricii Hildani obſervationem. Ex qui-

bus omnibus quomodò ſanguinis in ſubſtantiam jecoris effuſio promoveri poſſit facilè colligitur.

His omnibus externis cauſis alia non minus frequens addi poteſt, ſubita nempè corporis ſudantis aut quacumque de cauſa æſtuantis refrigeratio, potuſque frigidior hauſtus, calidioribus exiſtentibus viſceribus, aut toto corpore; fuliginum enim copioſarum, quæ per ſummum corporis calorem apertis ipſius poris exhalant, prompta retentio ſanguinem magis inflant, rarefaciunt, & accendunt; & ipſe deinceps facilè vaſa rumpit, per quæ præſertim non ita commodum, ut in hepatis ſubſtantia accidit, habet commeatum; potus verò frigiditas nimia æſtuante ſtomacho, qui hepati immediatè ſupponitur, ſanguinem in ea parte per varios portæ & cavæ ramos atque etiam arteriam hepaticam quæ cæliacæ ramus eſt, excurrendum figit ac remoratur, undè tumor & phlogoſis plerumque ſubſequitur.

Diagnoſis hepatitidis ſaltem diſtincta non ita facilè haberi poteſt ac plerarumque aliarum inflammationum; confunditur enim utplurimum hic morbus cum pleuritide aut cum inflammatione ventriculi, muſculorum abdominis, pancreatis atque meſenterii; quapropter ipſius magis propria & pathognomonica ſigna mox afferenda veniunt, à quibus ad alia magis æquivoca atque etiam diſtinctiva deinceps progrediemur. Primum ergo quo ſe manifeſtat indicium eſt gravitas in hypochondrio dextro percepta, præſertim dum æger ab uno latere in aliud ſe convolvit, quæ ex repletione & infarctu hepatis alioquin ſatis compacti atque ponderoſi omnino dependet. Alterum ſignum eſt dolor atque tenſio in ipſa jecoris regione, quæ ab ibidem facta continui ſolutione ſeu partium hepatis à ſe vicem divulſione tumoreque inflammatorio ejus ſubſtantia diſtendente & inflante peti debent; talis verò dolor, qui tactu & digito comprimente admodùm intenditur, varius eſt pro vario hepatis loco affecto, hoc eſt gravativus & minùs acutus, cùm inflammatio intimam minuſque ſentientem ipſius ſubſtantiam occupat; acutior autem & tenſivus, cùm ad ſuperficiem ejuſdem externam atque inveſtientem membranam ſenſus magis compotem extenditur. Præterea dictus dolor nunc ad nothas coſtas, nunc ad jugulum exporrigitur, prout phlogoſis gibbam hepatis partem invadens ligamentis hepatis ſuſpenſoriis & adjacentibus inferioribus coſtis plus minus communicatur, indeque per dictarum coſtarum membranam interiorem & membranarum continuationem toti pleuræ uſque ad claviculam.

Tertium hepatis phlogoſeos ſignum eſt febris acuta omnium inflammationum comes, eaque modò major modò minor, pro varia inflammationis intenſione, & extenſione; quæ ſi primaria ſit & eſſentialis, ut nonnumquam accidit, à variis ſanguinis recrementis potiſſimum bilioſis in ejuſdem maſſa retentis aut fuliginibus aliiſque partibus heterogeneis ipſius maſſam accendentibus & ad fermentationem febrilem promoventibus ſuam trahit originem: ſi verò ſecundaria & ſymptomatica (ut ſæpius contingit) ex hærente & extravaſato in jecoris ſubſtantia ſanguine ibidemque corrupto & præternaturaliter fermentato, multaſque ſui particulas toti maſſæ per viam circulationis continuò remandante petenda eſt.

Quartum ſignum eſt difficultas ſpirandi, quæ oritur non ſolùm ex pondere hepatis inflammati diaphragma deorſum trahentis, ejuſque ſuperiora versùs retrogreſſum quodammodò impedientis; verùm etiam ex ipſa phlogoſi diaphragmati, utpotè vicino, quod præcipuum reſpirationis inſtrumentum eſt, communicata, qua fit ut ipſum ſyſtolem ſuam, hoc eſt contractionem, debitè aut ſaltem ſine dolore elicere non poſſit.

His omnibus ſignis adduntur & alia plurima hujus affectus diagnoſim certiorem facientia, qualia ſunt decubitus ſupinus facilis, difficilior verò in unum aut alterum latus, propterea quod in primo ſitu tumor inflammatorius non tam comprimitur aut divellitur quàm in alio

quo-

quocunque; ſitis intenſa propter caliditatem ſiccitatemque toti œſophago à ſanguine fervido per aortæ truncum dicto canali proximè accumbentem deſcendente, atque ori ſuperiori ſtomachi totique ipſi ab hepate inflammato circum adjacente communicatam; atque inſuper propter febrem intenſam humorem ſalivalem in ore & faucibus conſumentem; linguæ nigredo, ſummumque cibi faſtidium, propter halitus calidos, bilioſos, & acres ab ſtomacho nimium excalefacto ad totam buccam continuò aſſurgentes; alvus plerumque adſtricta ob ipſius jecoris infarctum bilem in duodenum minùs tranſmittentis, aut viſcerum calorem excrementa exſiccantem; color totius corporis & præſertim faciei pallidus & veluti icteritius, propter humorem bilioſum ab hepatis infarctu magis in ſanguine redundantem, minuſque ſecretum; urina admodum rubra, flammea, & acris, quia bile acriore & copioſiore ſacurata eſt; ſingultus quandoque & vomitus bilioſi ob conſenſum & proximitatem ſtomachi & diaphragmatis cum parte affecta; tuſſis tandem ſicca, & moleſta propter ichores quoſdam bilioſos & acres in ſanguine redundantes, & in bronchia pulmonum per interturbatam reſpirationem magis inſtillatos.

Verùm cùm Medico non ſufficiat hepatis phlogoſim in ſpecie per magis propria ſymptomata cognoviſſe, niſi eadem ipſa à vicinarum partium inflammatione rectè diſtinguatur, notumque inſuper habeat in qua hepatis parte, concava ſcilicet aut convexa, tumor ſitus ſit; diſtinctiva adhuc atque tumoris locum deſignantia ſigna proponenda nunc veniunt.

Si ergo gibba jecoris pars afficiatur, tumor erit magis tactui conſpicuus, & digitorum preſſione magis dolebit, quin imò figuram hepatis, ſi notabilis ſit, ſub nothis coſtis inſtar ſemilunæ plerumque refert; inſuper reſpiratio difficilior eſt, dolor ad ſuperiores partes magis extenditur per ſuprà dictas rationes, idemque in ſpirando magis intenditur, ob deſcenſum & contractionem diaphragmatis locum jecoris affectum immediatè prementis quàm expirando, quia tunc aſcendit diaphragma, relaxatur, & ex plano in convexum ſe redigit, undè minor compreſſio.

Quòd ſi cava hepatis pars inflammationem patiatur, tumor ad tactum non ita ſe offert, hepar paulò majorem digitorum compreſſionem ferre poteſt, phlegoſis magis ſtomacho quam coſtis atque diaphragmati communicatur, ac proindè magis vigent ſitis, vomitus, oris ſiccitas, linguæ nigredo, &c. minus verò inſpirandi difficultas & doloris ad partes ſuperiores extenſio.

Dum tumor internam jecoris ſubſtantiam occupat & in eam latè diffunditur, icteritius magis eſt corporis & faciei color, urinæ magis rubræ & flammeæ, alvus minùs libera, quia bilis minoris copia ſecernitur; cùm vero extimus eſt, ſuperficiarius & minùs extenſus, contraria omnia ſunt, quia magis liberum eſt humoris bilioſi colatorium.

Diſtinguitur hepatitis à pleuritide, quod in iſta dolor lateris major ſit & magis punctorius, tuſſis moleſtior, frequentior, & minùs ſicca, & ſputo cruento, aut ſaltem colorato ſtipata; difficultas ſpirandi, hoc eſt pectoris oppreſſio major, color faciei, & præcipuè genarum ruber, quorum omnium ratio inferius cap. de pleuritide videbitur; in illa verò præter abſentiam dictorum ſymptomatum adſint etiam & illa quæ ſuprà relata ſunt, quæque pleuritidem non comitantur, niſi cum hepatitide conjungatur.

A meſenterii & pancreatis inflammatione differt, ex eo quod in iſtis affectibus tumor magis profundus ſit in abdomine, & multò infra regionem jecoris, alvus magis liquida, color facie & corporis minus citrinus, febris non ita acuta, &c. A muſculorum abdominis inflammatione quod in hac tumor magis ad extra promineat, figuram muſculorum affectorum repræſentet, ventris cutem magis tendat, quia ei proximior eſt, & rubore atque calore perfundat, faciem minùs decoloret febrem minùs accendat.

infarctu bilis in duodenum minùs transmittentis aut viscerum

A ſtomachi demum phlogoſi diſcriminatur per totam iſtius diagnoſim proprio capite antè expoſitam.

Periculoſiſſima ſemper eſt omnis hepatis, ſaltem notabilis, inflammatio, & ſæpè lethalis; nam ſi ægrum de medio promptè non tollit internarum aliarum inflammationum ritu, in grangrænam plerumque degenerantium, in hydropem, febrem lentam, maraſmum, aut cachexiam inexpugnabilem ſucceſſu temporis terminatur. Si tamen levis ſit, virium robori conjuncta, promptioribus atque efficacioribus remediis in ſuo principio expugnetur; aliquam ſalutis ſpem afferre poteſt.

Singultus hepatitidi ſuperveniens ſuſpectus admodum eſt: Ex Hippoc. *Aphor.* 17. *Sect.* 7. ſignificat enim inflammationem aut morbificum humorem ad os ſuperius ſtomachi, atque etiam ad ſeptum tranſverſum extendi, quod multò deterius eſt, quia plures officiales partes tunc ſimul afficiuntur, undè magis œconomia corporis pervertitur.

Quæ intimam jecoris ſubſtantiam occupat phlogoſis pejoris eſt ominis, quàm ea quæ externam atque ſuperficiariam, item & ea quæ gibbam, quàm quæ convacum hepatis partem afficit, propterea quod in priori caſu morbus ad partes ſuperiores quæ vitales ſunt transfertur; in poſteriori ad inferiores quæ naturales & minùs nobiles.

Alvi fluxus hepatitidem conſequens, etiamſi majorem hepatis libertatem ſignificet, male tamen ominatur, niſi materia excreta laudabilis ſit conſiſtentiæ & coloris, eaque criticè effluat alioquin enim magna hujus viſceris atque etiam ſtomachi & inteſtinorum atonia indicatur.

Inflammatio hepatis quæ ægrum citò non jugulat, vel diſcutitur atque reſolvitur, ſi notabilis non ſit, hoc eſt avolantibus humoribus tenuioribus tumorem facientibus, quod reliquum eſt à cavæ & portæ canalibus reſorbetur & in maſſam ſanguinis remandatur, undè deinceps per vias excretorias tanquam heterogeneum ejicitur, quod ſatis rarum eſt.

Vel diſſipatis tenuioribus partibus humorum phlogoſim facientium, quod ſupereſt concreſcit, & induratur, unde ſkirrhus major aut minor ſequitur: Vel denique ſucceſſu temporis in ſuppurationem tendit, hoc eſt ſanguis extravaſatus corrumpitur atque in pus convertitur, eo prorſus modo quo tumor inflammatorius externus aut phlegmone; ſicut dictum eſt antè ubi de inflammatione ſtomachi ſuppurata; tuncque abſceſſus generatur, à quo tamen pauci evadunt, niſi parvus ille ſit & in ſuperficie hepatis externa ſitus; tunc enim apparente præſertim tumore & fluctuatione aperiri poteſt cauterio actuali aut potentiali, atque etiam ferro, ut puris contenti effluxus & exitus promoveatur, quod ſi bonum ſit & paucum, nec gravibus ſtipetur ſymptomatis, ſalus expectari poteſt, ſi verò ſanioſum putridum & quaſi amurca, de ægri ſalute magis deſperandum eſt.

Hujus abſceſſus jecoris inflammationem ſecuti quam Toloſæ paſſus erat, exemplum inſigne præbuit nobis in hac urbe filius Mercatoris Pilearii *Barbaſan* dicti, quem per cataplaſmata varia, necnon emplaſtra aut cerata epiſpaſtica atque ſuppurantia maturatum, non neglectis remediis internis, licèt æger ad extremas redigeretur vitæ anguſtias, quia juvenis erat & vegeti corporis, cauterio potentiali primum, mox ferro aperiri curavimus, unde amurca ſanguinea vini rubri fæcem referens & teterrimam mephitim exhalans primis diebus exiit, & quidem ſatis copioſè, deinceps pus ſpiſſioris conſiſtentiæ cum dicta amurca mixtum, poſtea pus ſanioſum & ſanguineum, mox laudabile magis &c. qui tamen æger, juvante ſupremo Archiatro remediiſque internis analepticis & externis detergentibus & vulnerariis injectionibus benedicente, ſanitatem integram qua nunc etiam fruitur intra menſem circiter recuperavit.

Rupto abſceſſu ſi æger adhuc vivat, ulcus remanet difficilius admodum curationis, utpotè quod ad febrem lentam, maraſmum, aut ad hydropem &c. neceſſariò deſinit; imò & ad mortem, niſi pus

fluat

fluat ad extra in vegeto & juvenili corpore viasque inveniat per quas foras seu ab arte seu a natura educatur. Potest quoque idem ulcus in hepate excitari absque præcedente inflammatione, cùm humores acres, erodentes, potissimùm biliosi aut lymphatici acidiores intra ipsius parenchyma sensim congesti ejusdem substantiam hìc aut illic erodunt, ut in plerisque aliis corporis ulceribus, præsertim internis fieri solet.

Dignoscitur verò abscessus qui fieri incipit, cum superstite post quindecim circiter dies aut amplius ægro & remissa paululum febre aliisque symptomatis suprà dictis eadem iterum accenditur & quasi renovatur, nam ut ait Hippoc. *Dum pus fit, febris magis viget quàm eodem confecto*, ob novam eamque corruptricem sanguinis extravasati fermentationem, quæ deinceps cessante fermentatione remittitur & in febriculam lentæ typum servantem degenerat, non secus ac in aliis internis ulceribus contingit, è quibus purulentum quiddam seu putridum & heterogeneum ad sanguinem sensim appellit, non acutam, sed languidam febrem producere valens.

Ulcus autem, præsertim quod interiora verius apertum est, etiamsi difficilis admodùm sit diagnoseos, ex præcedente inflammatione atque abscessu, aut si hæc non præcesserint, ex febre lenta, marasmo, tabe, doloris sensu in hypochondrio dextro, colore faciei icteritio aut nigricante, &c. colligitur.

Curatio hepatitidis non absimilis instituenda est atque ea quæ antè *cap. de ventriculi inflammatione* tradita est, quam proindè hìc repetere inutile prorsus foret; imò abscessui atque ulceri jecoris paribus remediis succurrendum est, ac ulceri & abscessui ventriculi, nisi quod in illis ob hepatis infarctum aperientia quædam temperata & hepatica dicta præscribenda sunt, vitatis astringentibus atque etiam incrassantibus.

Notandum purgantia, si necessaria videantur, quanquam ea benigna semper esse debent, paulò tutiùs in hepatis quàm stomachi inflammatione usurpari posse; & si abscessus fiat in parte externa & convexa dicti visceris præter fotuum & cataplasmatum resolventium adhibitionem, applicari etiam posse non infructuosè emplastra & unguenta suppurantia ex gumm. galban. ammoniac. diachil. cum gum. emplast. de melilot. unguent. basilic. &c. ol. chamomil. lin. lilior. &c. parata, ad hoc ut evocata ab intra ad extra tumoris materia, ejusdem exitus per tumoris apertionem promoveri possit, qua facta adhibentur lotiones atque injectiones ex decoct. vulnerar. digestivo ordinar. uno verbo detergentia, abluentia, atque consolidantia, non secùs ac in externorum ulcerum curatione: sed morbus plerumque tales non dat inducias.

CAPUT XXIV.

De Obstructione Hepatis, ejusque Skirrho, & de Ictero.

TRiplicem hunc ad hepar pertinentem affectum in hoc uno capite pertractamus propterea quòd causas habet valde affines, symptomata non multum dissimilia, & eamdem ferè remediorum requirit administrationem.

Est verò obstructio hepatis nil aliud quam infarctus ejusdem vel plenitudo ab humoribus crassis, tartareis, aut viscidis in ipsius glandulis & vasis innumeris quibus totum contexitur, congestis ibique hærentibus prodiens atque liberum sanguinis ab arteria hepatica aut portæ radicibus ad cavæ ramos commeatum, liberamq; proindè humoris biliosi per dictas glandulas & vasa excretoria secretionem impediens; non tamen hìc eam vasorum aut glandularum jecoris à sanguine hærente occlusionem intelligendam volumus, quæ circulari ipsius motui totaliter officiat; sic enim homo vivere non posset; sed talem dicti visceris oppilationem, quæ progressivum cruoris motum per ejusdem parenchyma admodùm retardet, ipsumque stagnare per tempus faciat; aut si in vasis plerisque, præsertim minoribus atque glandulis, obtura-

tio quædam ſit, non tamen in toto viſcere, ac proindè bilis ſi non integrè, ſaltem partialiter ſecernatur.

Hìc notandum eſt obſtructionem dictam hepatis rarò ſolam eſſe, eandemque lienis, meſenterii, pancreatis, totiuſque abdominis obſtructionibus ut plurimum conjungi; neque enim hæ partes, quarum denſa atque intricata textura eſt, vias patentes habere poſſunt intercluſis jecoris canalibus, cùm craſſior atque glutinoſior factus ſanguis æquè in una, ac in alia parte ductibus præſertim anguſtis donata hærere, & morari debeat.

Skirrhus, ſub quo etiam ſkirrhos in aliis viſceribus excitatos comprehendimus, ſi confirmatus ſit & exquiſitus, tumor eſt durus, renitens atque indolens in hepatis ſubſtantia ab humore viſcido, craſſo atque per moram concreſcente ac indurato genitus; ſi autem ſpurius, & incipiens tumor eſt ejuſdem partis paulo minùs durus, utpotè à materia minùs indurata excitatus & cum quodam doloris ſenſu conjunctus.

Si quæratur cur in ſkirrho facto & habituali dolor partis affectæ nullus ſit, in incipiente tamen doloris ſenſus quidem adſit? Reſpondeo hepar etiamſi non ad modùm exquiſitæ ſenſationis particeps, nervis tamen quibuſdam à plexu hepatico dicto derivatis non ſecùs ac alia viſcera donari, qui ab humoribus in ejus ſubſtantia congeſtis diſtenduntur ſtatim, comprimuntur, aut irritantur; cùm verò humores dicti occalluerunt, viamque ſpiritibus animalibus in dictis canalibus nerveis compreſſione ſua præpedierunt, obtunditur omninò hepatis ſenſus, ac proindè nullus dolor excitatur. Dicendum etiam ſi tumor ſkirrhoſus ad membranam hepar inveſtientem pertigerit, per diſtenſionem ejuſdem, utpotè magis ſentientis, dolorem initio excitari, qui deinceps ob dictam tunicam unà cum tumore occalleſcentem ſenſim evaneſcit.

Cauſa tam obſtructionis hepatis quam ſkirrhi continens & proxima, ut initio hujus capitis innuimus, eſt humor viſcidus, craſſus terreſtris, iſque modò lymphaticus, modò bilioſus, modò acidus, qui in anguſtis vaſorum aut glandularum hepatis meatibus ſiſtitur ac retinetur; mox aliis ſuccedentibus humoribus viam præcludens, & à calore partis magis incraſſatus tumorem atque obſtructionem auget & extendit; talis verò humor ab alio fonte petendus non eſt, quàm ab ipſo ſanguine ſeu ab arteria hepatica, ſeu à venæ portæ ramis huc advecto, qui vel lympha viſcidiore onuſtus, vel ſalibus acidis & coagulantibus, vel tartaro ipſo ſeu fæce & partibus terreſtribus, vel demum ſulphure craſſo terrenis partibus permixto, ſeu bile ſpiſſiore; denſam atque compactam jecoris intercapedinem ob minorem liquiditatem liberè permeare non poteſt, atque per minimas, quibus compaginatur glandulas tranſcolari, ſicque quod in eo magis craſſum eſt & ad concreſcendum magis idoneum in dicto viſcere hæret, atque pro majori aut minori coagulatione, denſitate, & mora obſtructionem ſimpliciter, aut ſkirrhum efficit.

Obſtructionem quoque aliundè creare poſſunt in hepate ulcera & lapilli tam in hujus viſceris ſubſtantia, quàm in ipſo fellis folliculo geniti, quos in aperto Monialis cujuſdam cadavere portentoſo jecoris ſkirrho & tumore laborantis videre nobis ſemel contigit; atque etiam tumores quicunque & inflammatio ipſa, de qua in capite præcedenti actum eſt, quorum omnium hepatis vias intercludendi vis ſatis ex ſe patet.

Obſtructio verè ſimpliciter dicta ad ſkirrhum etiam plerumque diſponit, ut & ejuſdem jam allatæ cauſæ, quatenus retentus in hepate craſſus & terreſtris humor, iſque viſcidioris lymphæ copula magis compactus, aut partium tenuiorum reſolutione induratus, duritiem & renitentiam huic viſceri ſenſim conciliat.

Cauſæ dictorum hepatis affectuum mediatæ, externæ, aut procatarticæ ſunt aer nebuloſus & maritimus, cibi craſſi, acidi, ſaliti, crudi, viſcoſi, frigidi, terreſtres, vinum tartareum, vita ſedentaria, mœror, curæ, temperamentum melancholicum,

licum, aliaque hujuſmodi ex ſex rebus non naturalibus petita, quæ omnia ſanguinem incraſſare, coagulare, lentumque & tenacem efficere apta nata ſunt.

His omnibus cauſis addenda eſt alia quæ non efficiens, eſt, ſed merè occaſionalis, laxa nempè & flaccida hepatis ipſius compages, quæ ipſum humoribus congerendis facit idoneum, aut ejuſdem ab extrinſeco contuſio aut percuſſio tonum ejus atque firmitatem diſſolvens, humoreſque & ſanguinem in parte contuſa retinens, quod pariter de aliis viſceribus dicendum eſt.

Diagnoſis ſkirrhi & obſtrutionis hepatis, quæ certè non valde diſpar eſt ab obſtructione aliorum viſcerum & partium abdomine contentarum, quacum fere ſemper conjungitur, ut antè dictum, eſt petenda eſt ex hypochondrii dextri tenſione, duritie, & gravitate, difficultate reſpirandi; præſertim ab exercitio & ſcalarum aſcenſu, ſegnitie & frigiditate totius corporis; faciei pallore & flavedine necnon totius cutis, pulſu frequenti, debili, & inæquali, aucta reſpiratione ab aſſumpto etiam parco cibo, dejecta appetentia, vomitu, alvo adſtricta, ſuppreſſis ordinariis evacuationibus: quæ omnia ſymptomata ex hypochondriorum plenitudine, bilis aliorumque ſanguinis recrementorum ſecretione impedita, craſſitie, impuritate, atque ignavia ſanguinis partes varias infarcientis, atque etiam ex his quæ capite præcedenti dicta ſunt, facilè deduci poſſunt: in primis verò obſtructiones in toto abdomine denotat pulſationis ſenſus manu ventri aut hypochondriis admota perceptus, qui ex ſalientibus præter modum ob partium obſtructarum renixum arteriæ coliacæ & meſentericæ canalibus pendet.

Quòd ſi quandò obſtructo hepate aliiſque vicinis partibus alvus humidior ſit & excrementa liquidiora, eaque alba, griſea, atque chyloſa rejiciantur, illud ex deficiente ſtomachi coctione, ſeu ab alimentis ob fermenti ſtomachici biliſque & ſucci pancreatici defectum aut vitium, male ſubactis, deducendum eſt, aut ex occluſis vaſis lacteis &c.

Obſtructio jecoris recens facilis eſt curationis, ac proindè periculo caret; inveterata verò atque etiam ſkirrhus majorem habent contumaciam, & remediorum ferè ſemper vim eludunt; atque inde eſt quod in cachexiam; hydropem, icterum, atrophiam, &c. degenerare ſoleant, innumeraque alia mala inferre, quorum parens rectè ab Avicenna dicitur obſtructio, qua humorum diſtributionem impedit, ſanguinis depurationem, totamque proindè corporis œconomia perturbat.

Quod ad icterum ſpectat, de quo etiam hoc capite agere inſtituimus; is affectus eſt flavum ſæpiùs, ex flavo vireſcentem rariùs atque nigricantem ſeu potius fuſcum toti corpori, ne cornea quidem oculi tunica quandoque, & ipſis unguibus exceptis, colorem concilians, imò nec ipſis etiam capillis, quos à nigritie nativa ad flavedinem pervenire in Chirurgo hujus urbis icterico & cachectico vidi, & iterum dum à me ſanaretur, à flavitie ad nigritiem priſtinam redire, atque à bilis magis aut minus crudæ, exaltatæ; ac præaſſatæ in ſanguine redundantia & in totum corporis habitum effuſione oriundus.

Icterus dicitur ab ave ejuſdem nominis & citrini coloris, quam ab icterici aſpectu ægro ſanato moti tradit hiſtoria ſeu potiùs fabula, origo quoque, morbus regius, arquatus appellatur, eumque in duas ſpecies diſpergunt Auctores, citrinum nempè, quem ex hepate & bile; & nigrum, quem ex liene & humore melancholico pendere exiſtimant: verùm niſi ex vario cutis colore petantur dictæ icteri differentiæ, inter quos etiam & arquatum viridem à bili porracea & crudiori aut æruginoſa dicta ortum recenſere non abſurdum eſt, non video tales differentias, utpotè mere accidentales, duas icteri ſpecies ſaltem propriè dictas facere poſſe; una namque bilis magis aut minus uſta, principiiſque quibus componitur variè exaltata, eaque craſſior aut tenuior, quia varios à diverſa partium ſua-

rum configuratione & ſitu colores induit, à quibus vitellinæ, poraceæ, glaſteæ & atræ nomen ſumpſit, tam flavum quàm vireſcentem aut nigrum icterum parere capax eſt, ſolique hepati, minus verò ſpleni, ſi affectus ex vitio viſcerum pendeat, culpa imputari debet. Ut enim bilioſus humor, qui in ipſa ſanguinea maſſa à particulis ejus inibi magis aduſtis atque ſulphureis generatur, & in ſolo hepate tanquam proprio colatorio ſecernitur; diverſos in excrementis, urinis, quibus commiſcetur, atque etiam in ipſo ſanguine vena ſecta extracto, pro varia ſua compoſitione & temperatura colores, & præſertim ſupra dictos exerit ſic idem ſemel in dicta maſſa luxurians & in ſero diffuſus eandem totam colore ſuo inficit, non ſecus ac crocus paucus copioſam aquam, parteſque omnes corporis quas ſanguis perluit, ac proindè corporis habitum vireſcere, flaveſcere, aut nigreſcere facit, prout ipſe nunc crudior & minus elaboratus; nunc naturalis & magis temperatus, nunc copioſus magis, præaſſatus, aut fæculentus exiſtit, aut humori vitriolico in eodem ſanguine congeſto ſeu acido auſteroque commiſcetur.

Icterus iterum vel per ſe incipit ab alio affectu ſenſibili non dependens, vel alios morbos ſequitur, quorum effectus & ſymptoma eſt, phlogoſim puta hepatis, ſkirrhum, intemperiem viſcerum, &c. & potiſſimum febres tum acutas continuas, tum lentas atque etiam intermittentes, in quibus vel criticè advenit, natura bilioſum humorem maſſam ſanguinis depravantem à centro & vaſis majoribus ad habitum corporis amandante; vel ſymptomaticè excitatur, vitata nempè totius ſanguinis craſi, factoque tanto bilis fæculentioris aut acrioris proventu, ut non ſolùm partes internas, ſed etiam & externas inquinet, ipſaque ſanguini intimius adhæreat.

Cauſam hujus affectus omnes ferè referunt ad hepatis infarctum atque obſtructionem, in primis verò pori biliarii meatuſque cholidoci à glutinoſa nimis aut craſſiore bile, aut eadem admodum copioſa, & copia ſua exitum ſibi ipſi præpediente, vel calculis in cyſtide fellea genitis, aliove humore fæculento, viſcido, & terreſtri hepatis ductus biliferos obturante factum; quibus omnibus bilis ſecretionem atque per inferiores vias excretionem impedientibus, ipſa in ſanguine, ubi continuo à ſale ejuſdem lixivo & acri partem ejus rubram magis ac magis diſſolventes generatur, redundat tandem & exſuperat, ſicque totam maſſam & proindè cutem imbuit.

Verùm quanquam fatendum eſt dictam cauſam in ictero generando ſymbolum utplurimum ſuum conferre inſufficiens tamen ex ſe ſola ad talem effectum nonnumquam videtur, niſi ſimul ea ſit ſanguineæ maſſæ conſtitutio, quæ ipſam ad bileſcendum, hoc eſt ad magnam partium ſulphurearum, earumque ſummè diſſolubilium atque diffuſibilium copiam congerendam omninò diſponit; ſecus enim in omni hepatis obſtructione icterus neceſſariò excitaretur, quod tamen falſum eſſe praxis medica docet, & cadaverum diſſectio, in quibus ſkirrhoſum, durum, ac proindè infarctum & obſtructum hepar quandoque inventum eſt, abſque colore flavo aut fuſco ſaltem icterico corporis habitum tingente; in his namque caſibus ſal acidum, quod à Chymicis ſal fluor dicitur, in ſanguine præpollens non valet partes ejuſdem rubras magis exuſtas & ſulphureas ſufficienter diſſolvere & atterere, ut in bilem commutari poſſint. Imò & ſine ulla jecoris vaſorumque bilis excretoriorum obſtructione icterum generari poſſe, teſtatur Sylvius Dele Boe; aſſerens ſe in diſſectis ictericorum quorumdam cadaveribus nullum infarctum in hepate, nullamque in meatibus biliario atque cholidocho obſtructionem deprehendiſſe teſtatur, & experientia atque plerorumque practicorum obſervatio, quibus compertum eſt ictericos nonnullos eſſe, in quibus alvus minimè ſuppreſſa aut adſtricta eſt, imò valdè libera atque fluida, & in quibus excrementa copioſa bile tincta ſunt; tunc verò minimè accuſari poteſt

poteſt hepatis ejuſdem canalium obturatio; ſed potuis bilioſi humoris in ſanguine redundantia, ex alia quavis cauſa ſuborta, totamque maſſam colore ſuo inficiens, ut antè dictum eſt.

Hoc quàm verum ſit probat viperæ aut alterius venenati animalis morſus aut ictus, probant & certa toxica ore aſſumpta, quæ omnia ſubitò colorem icteritium abſque ullo obſtructi jecoris indicio toti corpori inducunt. Probat demum & icterus ipſe febribus acutis variis derepentè adveniens, qui non niſi lentè & ſucceſſivè contingeret, ſi ab unica hepatis obſtructione penderet, quæ numquam ſtatim fit; in quibus omnibus caſibus pars ſanguinis rubra à particulis acrioribus veneni ipſum pervadentis, aut ſalivæ viperæ per morſum ſubeuntis, aut febrilis fermenti ejus maſſam commoventis magis ac magis attrita tota citrina atque bilioſa fit, & ſero diluta partes facilè pervadit & inficit; bilis enim & pars ſanguinis rubra non niſi penes majorem aut minorem partium ſuarum attritionem atque diſſolutionem a ſale acri & achalino, naturali aut præternaturali factam, inter ſe differunt, cujus ope ſanguis ruber in bilem flavam faceſſit, ſicut chylus in ſanguinem.

Bilis verò illa, quæ verſicolor eſt pro varia ſui exaltatione & copia, ut antè innuimus, minimè plerumque ardens eſt atque febrilis, niſi ferè febres continuas aut intermittentes, comitetur icterus, aut ab aliis, cauſis ſanguinem exagitantibus, & diſſolventibus oriatur; ſed effecta oleoſa nec ipſi ſanguini valde adverſa & heterogenea, ad ipſius ſaltem fermentativum motum notabiliter augendum: atque hinc eſt, quod icterus febrem ut plurimum non admittat, quod etiam procedere poteſt ex defectu ſpirituum in ſanguine à ſulphure oleoſo obſcuratorum aut intricatorum, quorum tamen præſentia, exaltatio, & copia in febre notabili excitanda abſolutè requiritur. Quòd ſi ad proventum bilis faciendum partium ſanguinis attritio neceſſaria ſit, ut jam jam ſuppoſuimus, & ad ſaturatiorem ſeu ſcum ipſi colorem inducendum ejuſdem diſſolutio major & quaſi uſtio deſideretur, ex quibus febris neceſſario ſuborienda videtur; ea tamen attritio atque diſſolutio non ita ſubitò fit, aut in omnibus ſanguinis integrantibus partibus, nec à ſale præter naturam lixivioſo, ut febris excitetur; ſed lentè, ſucceſſivè naturaliter, & in ejuſdem rubicundis globulis, non ſecus ac chylus ſine fermentatione febrili mutatur in ſanguinem, ejuſque color albus in rubrum convertitur: adde quòd bilioſus humor qui in certa quantitate flaveſcit, in majori citra uſtionem obſcurè rubeſcit, & tandem nigreſcit, ut in urinis ictericorum videre eſt.

Cauſæ icteri remotæ ſeu quæ dictam bilioſi humoris in ſanguine abundantiam facere aptæ natæ ſunt, ipſiuſque maſſam ad bileſcendum idoneam reddere, ſunt primò alimenta omnia acria, ſpirituoſa, calida, atque ſulphurea; aer æſtuans, vigiliæ, ira frequens, exercitia immodica, vini, aquæ vitæ, & liquorum ardentium potus immoderatus, &c. quorum omnium uſus partes ſanguinis ſenſim præaſſat atque exurit. Secundò febres ſeu continuæ, ſeu intermittentes, bilem ſemper augentes atque exaltantes. Tertiò venena hauſta aut potentiora cathartica, venenatorum animalium ſaliva; aut ſuccus quivis in ſanguinem per morſum aut ictum transfuſa, & per viam circularis ejuſdem motus in totum corpus exporrecta, quæ utpotè ſummè acria ſanguinis ſulphureas rubraſque partes ſubitò ſolvunt & quaſi fundunt. His tamen cauſis addendæ ſunt & illæ, quæ bilis ductus tam ſecretorios quàm excretorios intercipere poſſunt, ex quorum occluſione cæteris concurrentibus ut plurimum, ſi non ſemper, morbus regius enaſcitur.

Præbet ſe ſtatim in conſpectum hic affectus, ipſoque intuitu dignoſcitur; ſymptomata autem peculiaria quæ infert præter colorem ſuprà dictum, ſunt primò ſegnities totius corporis à defectu ſpirituum animalium, qui ex ſanguine oleoſo & quaſi rancido minori multò copia generantur, perenda. Secundò pruri-

tus

tus totius cutis, qui bilis paulò acrioris cutem quam totam imbuit irritantis effectus est. Tertiò linguæ amaror, cibi fastidium nausea, vomitus & quandoque singultus, ex eadem bile quæ semper amara est & sulphureo-salina, linguam, stomachum, aut os ejus superius inferciente procedentia. Quartò urinæ admodùm rubræ aut nigricantes, linteaque alba immersa colore croceo plus minùs intenso inficientes, ob copiosam qua imprægnantur bilem, quæque sero diluta per glandulas renum facilè transit. Quintò alvus plerumque adstricta & fœces albicantes aut minus bile tinctæ, propter obstructionem pori biliari atque cholidoci, in quo casu & alia symptomata hepatis infarctum consequi solita subnascuntur.

Prognosis icteri, pro varietate causarum à quibus dependet, & longitudinis temporis quo ægrum invasit, varia quoque instituenda est; sic qui a skirrho hepatis, obstructione inveterata, inflammatione, lapiliis aut calculis in hepate aut cystide fellea genitis producitur, mali semper ominis est, & curationis admodùm difficilis; qui etiam venenum haustum aut viperæ morsum consequitur, febres lentas, imò & acutas continuas, citra ægri levamen malè quoque ominatur.

At morbus regius subitò, ut sæpe accidit, adveniens, ab hepatis infarctu recenti & minori dependens, atque etiam ab obstructione meatuum biliariorum non admodum inveterata, liquorum ardentium & catharticorum vehementium potu, aliisque causis minùs gravibus atque contumacibus, item & qui febres seu continuas, seu intermittentes criticè comitatur, non ita est periculosus, & multò faciliùs curatur. *Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum advenerit malum*, esse ait Hippoc. *aphr.* 62. *sect.* 4. *Aphr.* verò 64. ejusdem sectionis; *Quibus per febres icterus die septimo, nono, aut undecimo supervenerit bonum, nisi dextrum hypochondrium durum sit, aliquin minime bonum*. Quibus verbis divinus Senex innuere videtur sanguinem indigere sex diebus integris, aut adhuc pluribus, ad partes biliosas, quibus plerumque in febribus, luxuriat, subigendas & ad cutem criticè pellendas, naturamque talem depurationem cum ægri levamine non moliri nisi diebus morbi imparibus à septimo ad decimum quartum, nulla in primis jecoris existente duritie; secùs enim, hoc est restante morbi fomite hepaticisque ductibus semper infarctis, non nisi malis ægri rebus agere natura potest.

Verùm non minùs quandoque criticus icterus est die tertio, quarto, quinto, aut sexto die adveniens, & iterum octavo, decimo, duodecimo, & decimo tertio, quam aliis supradictis diebus; & tam symptomaticus nonnumquam est die septimo aliisque imparibus sequentibus natus, quàm ante septimum paribusque ipsum comitantibus diebus; ita ut agens natura, hocce saltem tempore quo remediorum promptè adhibitorum usu ab opere suo plerumque & utiliter distrahitur, non certis diebus paribus aut imparibus adstricta sit, sed aliis atque aliis indifferenter, prout ipsa magis vegeta est aut minùs, humoresque per criticam fermentationem expellendi aut præcipitandi magis aut minùs resistunt, aut intricati sunt; ad quod fortè attendens laudatus Auctor *lib.* 4. *de victus ratione in acutis*, asserit morbum regium in biliosa febre ante septimum diem cum rigore natum morbum solvere. Et ratio practicorum experientia confirmata suadet non minus criticè ante septimum diem icterum quandoque supervenire, quàm criticum sudorem, alvi fluxum, aut urinæ profluvium, quibus tamen plerique acuti affectus salutariter judicantur.

Curatio obstructionis hepatis atque ejusdem skirrhi instituti debet per ejus generis remedia quæ crassos humores, tartareos, & induratos emollire, attenuare, rarefacere, solvere, viasque occlusas referare apta nata sunt; cujus generis sunt inter vegetantia rad. quinque aperientes, apii nempe petrosel. fænicul. brusc. asparag. aut etiam rub. tinctor. eryng. bryon. ononidis. polypod. enul. camp. filicis, gra-

graminis , ireos , valerian. oxylap. &c. Cortex median. fraxin. tamariſc. ſambuc. juniper. geniſt. & rad. cappar. cinnamomi ; fol. cichor. & dent. leon. cum toto agrimon. capillar. omnium pimpinell. centaur. & abſint. min. ſalviæ , chamædr. naſturtii hortenſ. & aquatic. origan. calament. puleg. praſſii alb. fumar. borrag. bugloſſ. cerefol. becabung. ſummit. lupul. thym. aneth. &c. Semina fænicul. ap. coriand. aniſ. naſturt. carui , ameos. Flores tres cordiales dicti , aut geniſt. ſambuc. tamariſc. calendul. roris marini , lavendulæ , crocus , baccæ lauri , juniper. alkekeng. chermes , fæcul. rad. bryon. & ari ſecundum artem præparata ; talia ſunt aq. ex iiſdem herbis deſtillatæ , aut eorumdem ſucci depurati , cryſtallus tartar. ſal prunell. ſed magis adhuc ſal tartat. abſint. geniſt. tamariſc. fraxin. ſal card. bened. centaur. arthemiſ. ſal juniper. ſarmentor. vitis , ſtipit. fabarum &c. ſal armoniac. ejuſque flores , ſal martis , ſal viperarum corn. cervi , ſuccin. urinæ ſal cancror. &c. ſang. hirci præparat. milleped. præpar. pulvis viper. Spiritus ſal. armon. ſpiritus terebint. Spiritus urinæ , & cornu cervi , tartari , aq. vit. aq. claret. aqua cinnamomi , theriacalis , theriaca , confect. alcherm. & hyacint. nux moſch. condit. conſerv. fol. abſint. capill. ven. violar. rad. helen. gumm. ammoniacum , bdellium , ſagapen. aloes myrrha , electuar. aromatic. roſat. diarrhod. abbatis , triaſantal. lætific. Galen. mercur. dulc. antim. diaphor. beſoardicum minerale , multaque id genus alia aromatica , amara , ſpirituoſa , volatilia , alchalina , quæ apud Auctores varios videri poſſunt , & ex quibus omnibus juſcula , julepi , decocta , ptiſanæ , opiatæ pulveres , pilulæ , aut ſyrupi magiſtrales , parari poſſunt.

Sed quod omnium practicorum conſenſu putatur præſtantiſſimum , longoque uſu & experientia confirmatum dicitur in obſtructionibus ſolvendis , humoribuſque tartareis attenuandis remedium , ferrum eſt potiùs quàm chalybs, utpotè minùs denſum atque compactum, ac proindè magis ſolubile ; illud enim cùm potenter alchalinum ſit , acidum omne in ſanguine præpollens , ipſumque grumoſum atque obſtructionibus pariendis aptum efficiens deſtruit aut abſorbet , ſicque humoribus congeſtis liquiditatem , viſceribus liberum commeatum reſtituit. Quanquam verò ejus plures ab Auctoribus afferantur præparationes, una tamen eſt hujuſce metalli rubigo ex ejuſdem laminis tenuibus rore majali , pluvia aut aqua madefactis per ſimplicem derаſionem extracta , aut ipſius admodùm rubiginoſi limatura tenuis , aut etiam ſcoriarum ejuſdem tenuiſſimus pulvis , quæ cæteris omnibus præſtant , quæque hocce tempore paſſim à practicis ſanioribus uſurpantur , ſive in vino albo , aut rubello tenui , aut aqua fontana , diutiùs infuſa , ſeu in ptiſana , juſculo , julepo , apozemate aperientibus decocta & nod. incluſa , ſeu demum tabellis , pulveribus , atque opiatis admixta ; cave tamen ne ferrum in ſubſtantia ſtomacho minus vegeto donatis præſcribas, neve ab eo aſſumpto corpus nimium quieſcat , ſed potius deambulatione per unam aut alteram horam exerceatur.

Quod de ferro dictum eſt , de oculis & pulvere cancrorum fluviatilium , coralliis , margaritis , conchis , & matribus perlarum , aliiſque alchalinis , quanquam terreſtribus , dici pari ratione poteſt : ea namque acidi cujuſcunque in ſanguine , & viſceribus excedentis , & humore coagulantis aculeos in ſuis poris ſuſpiciunt , & recondunt , ac proindè maſſæ ſanguineæ fluiditatem redintegrant.

His remediis accedunt balnea & fotus emollientes totius abdominis , quæ viſcera relaxant , humores impactos liquefaciunt & diluunt , ſicque eoſdem ad exitum aut ad motum ſuum circularem ineundum diſponunt ; decoct. galli veteris radicib. aperientibus infarcti , aqua vegetalis ferrata ex ſale fixo tartari , ejuſdemque cremore atque ferri rubigine in aqua fuſis & decoctis comparata , chinæ , ſeu corticis Peruviani tinctura in vino admodum tenui , vinum

abſin-

abſinthites, decoct. aut infuſ. ſummit. marrub. in vino albo, aquæ minerales ferratæ, nitroſæ aut thermales ad plures dies bibitæ, poſt univerſalium remediorum atque aperientium ſupradictorum adminiſtrationem, ſuccus marub. alb. in juſculo, eſſentia croci aut cinnamom. lavendulæ, roriſmarin. &c. ad aliquot guttas; rhabarbari maſticati uſus, denique ea omnia remedia ſeu ſimplicia ſeu compoſita quæ de obſtruendi, attenuandi, atque ſolvendi facultate donata ſunt, quæque in hydropis affectionis hypochondriacæ, ſcorbuti, &c. curatione inferius proponenda ſunt.

Sed ne evacuantia ſileamus, quæ in hoc affectu expugnando ſymbolum ſuum non minus conferunt quàm alia ſupradicta aperientia, atque humorem morbificum præparantia, quæque identidem repeti debent, ob recrementorum ſanguinis qui minimè ob viſcerum infarctum depurari poteſt abundantiam, conveniunt purgationes identidem celebratæ, præſertim poſt uſum ptiſanarum, juſculor. julepor. aut apozematum aperientium, ex ſenna, rhabarbaro, agarico, jalappa, mechoacan. turbith. diagrid. electuariis de citro, diacartham. aut de ſucco roſar. confectione hamech. ſyrupis de florib. perſicor. roſar. ſolut. de pom. reg. ſapor. manna &c. aut ex iiſdem purgantibus una cum ſupra dictis herbis, radicib. ſeminib. florib. corticibus, &c. infuſis aut decoctis parabuntur apozemata præparantia ſimul alterantia & purgantia, ut in omnibus morbis chronicis fieri ſolet, imprimis verò aloetica, quia amara ſunt atque detergentia, ac proindè acidis humoribus atque viſcidis contraria, in obſtructionem & ſkirrhi hepatis therapeia plurimùm commendantur; quare ex aloe ſuccotrina aut pulvere hieræ, gummi ammoniaco in vino ſoluto & iterum inſpiſſato, rhab. extracto, mercurio dulci, diagridio, myrrha ſalibus ſupradictis fixis & volatilibus parari poterunt pilulæ ſæpius ſi lubet, per morbi decurſum devorandæ, aut ſi per epicraſim & ſingulis aut alternis diebus purgandi animus ſit, ut nonnumquam expedit, ob humorum tenacitatem cathartícis non ſubitò cedentium, componi etiam poteſt opiata ad uſum quæ lentè & ſucceſſivè purgando humores etiam incidat, partes infarctas penetret, ſanguiniſque augeat fluiditatem; talis eſt opiata chalybeata dicta ſeu potiùs ferrata, ex conſervis convenientibus ſupra dictis, rubigine ferri, ſenna pulverata, rheo, jalappa, diagridio, ſale abſinth. fraxini oculis cancri, fæcula bryoniæ, croco, cinamon. aliiſque atque aliis ibidem expoſitis cum ſufficienti quantitate ſyrupi purgantis aut alterantis compoſita; cujus ℥. ij. vel iij. aut ʒ. ss. pro ejuſdem viribus ſingulo aut alterno mane ægro imperandæ ſunt, ſuperbibendo poſt horariam deambulationem juſculum herbis aperientibus atque incidentibus alteratum.

Vomitoria etiamſi ad ipſum morbum ejuſque cauſam, præſertim dum altas egit radices, parum ſpectare videantur; quia tamen pravis ſtomachum replet humoribus appetitum depravantibus, iiſque ut plurimum ejuſdem tunicæ tenacius adhærentibus, in principio curationis poſt fotuum aliorumque præparantium adhibitionem quandoque utiliter uſurpantur, præ primis ægro non admodum difficilè vomente, & incipiente, nec multum inveterato affectu; ſic etenim ſi non ex parte affecta cauſa continens ſubtrahitur, antecedens ſaltem, ſeu quæ ex ſtomacho ad alia viſcera ferri debebat, aut quæ ingeſta alimenta inquinare, chyloſim infringere, ſicque morbi fomitem augere, eradicatur potenter atque evacuatur; eorum verò materiam pete ex Inappetentiæ curatione initio hujus Tractatus propoſita.

Enemata frequentia ſint oportet, præſertim dum humor morbificus per aliorum remediorum adminiſtrationem ad liquiditatem evacuationemque diſponitur ex emollientibus & carminantibus compoſita, additis catholico, diapruno, tum ſimplici tum compoſito, hiera picra, benedicta laxativa, diaphænico, &c. in majori aut minori doſi, prout humores expurgandi magis tenaces ſunt & pigrior alvus.

Quo-

Quoad venæ ſectionem ea etiam curationis initio non inutiliter uſurpatur, quamquam enim ab ipſo morbo indicari minimè videtur, quia tamen major ſanguinis copia per viſcera obſtructa non ita facilè tranſit, ejuſque maſſa recrementis ſcatet, quæ per varia colatoria ſecerni non poſſunt, tutò & ſalubriter ſanguis extrahitur non ſemel tantùm, ſed bis & ter in morbi longitudine, modò vires ferant & parca manu, ægrum tunc temporis per cardiaca & ſpirituoſa, ſi opus eſt, aperientibus permixta roborando, nuncque ex venis ſuperioribus, nunc ex inferioribus, atque etiam per hyrudines ano admotas, ſi menſtruorum aut hæmorrhoidum ſuppreſſio affectui dederit occaſionem.

Sunt qui ad hepatis ſkirrhi curationem topica ejuſdem regioni applicant, linimenta, emplaſtra, cataplaſmata, &c. ſed parum utili plerumque eventu, ob remedii à parte affecta diſtantiam, aut ſaltem minorem ejuſdem penetrationem; ea verò ſi unquam utilia cenſeantur, parentur ex rad. byron. ireos, cucumer. agreſt. lilior. alth. malv. ad putrilaginem coctis & cribratis; ex fol. parietar. abſin. ſpinachiæ ſeu atriplicis eſculenti, agrimon. ſambuc. ebul. alliis, cepis ſub cineribus coctis violar. branc. urſin. & flor. melilor. cham. aliiſque emollientibus & attenuantibus ſuprà dictis, additis croc. ol. lilior. chamom. cappar. abſint. &c. ex gumm. ammoniac. bdellio, ſagapen. galban. emplaſt. de ranis cum mercur. de cicuta, de mucilaginibus, de meliloto, diabotano &c.

Icterus autem valde diſſimili remediorum apparatu curatur, præſertim cùm à vaſorum biliferorum aut ipſius jecoris infarctu, ut plerumque accidit, dependet; iis tamen addi debent atque intermiſceri quæ ipſi peculiariter & velut ſpecificè mederi creduntur, decoctum ſcilicet rad. fragar. urtic. rub. tinctorum, folior. buxi, marrub. alb. chelidon. maj. centaur. min. euphraſiæ, eupatorii cannabini, ſeminis cannabis ad crepaturam in vino tenui, juſcul. ptiſana aperiente; ſuccus marrub. alb. deporatus, aut ex eodem cum ſacchar. paratus ſyrupus ſtercus anſeris aut gallin. exſiccatum & pulveratum, aqua ex betula arbore primo vere ante foliorum eruptionem germinante per inciſionem ſtillans, ſapo ad ʒ. ss. aut ʒ. j. rhabar. ejuſqu. extractum, crocus, aliaque quæ apud varios practicos videri poſſunt.

Quòd ſi citra ullam obſtructi jecoris ſuſpicionem icterus excitetur, quod ex libera alvo, excrementis bile tinctis, & ex abſentia ſignorum obſtructum hepar indicantium dignoſcetur; nec criticè & bonis ægri rebus adveniat, huic enim medela nulla debetur, tunc minuenda eſt bilis exſuperans copia per blanda vomitoria, clyſteres & purgationes lenes ſæpiùs iteratas, eaque infringenda & refrænanda eſt per uſum acidiuſculorum; ſalſorum, diluentium atque etiam moderatè refrigerantium; atque in hoc caſu conveniunt præ primis lapis prunell. cryſtallus tartar. tartarum vitriolatum, nitrum, aq. minerales acidulæ decoctum cichor. in ſero lactis, aliaque bilioſo humori adverſantia in præcedentibus jam commemorata; cave tamen ne ſanguis ſit nimis effœtus & vappidus, hoc eſt ſulphure oleoſo & minùs volatili onuſtus, tunc enim volatilia ſpirituoſa, & ſanguinem depurantia in uſum medicum ſunt adhibenda.

Si ex viperæ aliorumve venenatorum animalium morſu aut punctione morbus regius originem trahat, applicanda ſubitò parti demorſæ aut punctæ cucurbitula cum multa flamma, humorque venenatus per ejuſdem ſcarificationem, cavendo à nervis & tendinibus, ad extra advocandus eſt, eandem poſt inungendo theriaca, mithridatio, aqua vitæ aut vino ſolutis, & ligando, ſi fieri poſſit, ſuperius ne tam facilè per venas ad cor venenum ſuſceptum transferatur; aut quod adhuc potius exiſtimo applicandum dictæ parti jam ſcarificatæ ipſum animalis pungentis aut mordentis contritum corpus, ut fieri ſolet in ſcorpionis ictu, quod ſubſtantiæ analogia infuſum venenum facilè ſuſcipit. Per os verò exhibenda ſunt quæ cor & facultates vitales

robo-

roborare, atque contra veneni insultum munire quoquo modo possunt, ut sunt diascordium, viperinus pulvis, ejusque sal volatile, confectio hyacinth. alcherm. atq. imperial. theriacal. cinnam. opiat. Salomon. theriaca, &c. confugiendo deinceps ad ea quæ bilem exaltatam temperant.

Si demum à toxicis assumptis aut hypercatharticis icterus pendeat, eidem medendum est statim per oleosa, pinguia, lactea, analeptica & restaurantia, diluentia, mucilaginosa, mox per cardiaca, absorbentia, &c. postremò per acidiuscula atque refrigerantia, nisi toxicum haustum frigidum summè fuerit in quo casu theriaca, aliaque cardiaca & stomachica calidiora conveniunt.

NOTA.

IN Hepatis obstructione ut & plerisque aliorum viscerum obstructionibus à venæ sectione tutius incipimus, ut sanguinis circulatione liberiore reddita, aperientia effectum suum præstare faciliùs possint. Inter quæ, præter medicamenta à Clariss. Auctore indicata, commendantur pilulæ tartareæ *Bontii*; trochisci de rhabarbaro, infusiones rhei, cum sale prunellæ, & alia ex rhabarbaro composita; electuarium de vermibus *Mayernii* ac præprimis pilulæ de vermibus ejusdem, quarum compositio & usus in Bibliotheca Pharmaceutica hìc Genevæ impressa videri potest.

In Ictero specificum est aquilegiæ semen pulverisat. vel in emulsione propinatum. Item decoctum & pulvis lumbricorum terrestrium, & electuarium Mayernii supra indicatum; stercora variorum animalium, anserculorum, canis, pullorum, succus stercoris capræ cum lacte expressus, ligni berberis cortex secundarius; lapis in vesica bilar. tauri repertus, item martialia omnia purgantibus juncta; & speciatim *anima hepatis* dicta Mayernii. Nota & hìc à V. S. incipiendam.

CAPUT XXV.

De Hydrope.

INcendio obnoxium esse humanum corpus testantur causæ, febres variæ atque inflammationes; diluvio verò atque inundationibus hydrops, qui in genere collectionem aquæ seu seri à sanguine, cujus vehiculum est, decidui, & extravasati in quacunque corporis parte, aut cavitate, vel in eodem toto seu in omnibus particulis musculosis significat.

Hujus affectus plures statuuntur species sive differentiæ, non tam ex humore morbifico aliisque eumdem parientibus causis petitæ, quàm ex partium affectarum sive aquas collectas præternaturaliter continentium diversitate; undè alius dicitur capitis hydrops seu hydrocephalos infantibus magis familiaris, ob cerebri totiusque capitis mollitiem atque humiditatem, in quo humor serosus, & aqueus cutem inter, & cranium, aut inter cranium, & meninges, aut demùm inter ipsas cerebrum involventes membranas copiosiùs colligitur: alius hydrops pectoris, cùm idem humor in ipsa pectoris capacitate coacervatur: alius scroti seu hydrocele cùm serum copiosum scroti & penis membranas implet, distendit, easdemque translucidas efficit: alius hydrops uteri, cùm ejusdem membranæ seu tunicæ copiosa aqua turgent & imbibunt:

Celebres tamen magis apud Medicos hydropis species, de quibus hìc præcipuè agimus, & ex quarum pertractatione prædictarum æthiologia & curatio facilè deduci poterunt, sunt ascites, tympanites, & anasarca seu læucophlegmata, quæ quia plures quàm supra dictæ corporis simul invadunt partes aut saltem magis extensas, ventrem putà & in eo posita viscera, crura, tibias, pedes, aut totum corporis habitum, hydropum universalium nomine à veteribus donatæ sunt.

Est autem ascites ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ, sive ab utre denominatus, ex eo quod ventrem instar

inſtar utris plenum & tumidum faciat, abdominis tumor & inflatio ab humore aquoſo & ſeroſo in ejuſdem capacitate collecto ortum habens, & femorum, tibiarum, pedum, imò etiam & ſcroti quandoque aquea inflatione comitatus aut præcurſus. Talis aqua ut plurimum in ipſa ventris cavitate fluctuat, nonnunquam tamen, ut à Schenkio aliiſque Obſervatoribus notatum eſt, in membranis omenti, aut tunicis partium abdomine contentarum levatis, inflatis, & veſiculas atque hydatides facientibus concluſa continetur.

Tympanites verò à tympano dictus, cujus ſonum venter ægri percuſſus æmulatur, eſt ejuſdem partis ſeu abdominis prominentia & tenſio à multis flatibus in illius capacitate aut ſtomachi & inteſtinorum cavo concluſis oriunda, iiſque non ſolis, ut quibuſdam placitum eſt, qui ideò hunc affectum hydropem ſiccum nominare voluerunt; ſed aqueis humoribus etiam redundantibus, undè dicti flatus elevantur permixtis; neque enim credibile eſt ſolos flatus tympaniticum affectum, ſicut nec ſolam aquam collectam aſciticum producere, cùm flatus ſeu halitus omnes in corpore geniti ex humoribus ſemper aut fermenteſcentibus, aut per calorem reſolutis erumpant, & ab ipſis humoribus reſtagnantibus halitus etiam uſque emittantur; quare in eo differre videntur hæ duæ hydropis ſpecies non admodùm diſpares, quod prior ſeu tympanites abdomen magis flatibus quàm aqueis humoribus tenſum efficiat, poſterior verò ſeu aſcites magis aqua quàm flatibus plenum.

Anaſarca demùm, quæ incipiens, cachexia dicitur, confirmata verò leucophlegmatia, eſt tumor ad totum corporis habitum, ne facie quidem excepta, magis quàm ad ejus cavitates pertinens, ſeu inflatio partium omnium exteriorum à ſero redundante cutem & interſtitia carnium atque muſculorum implente ac tumefaciente excitata; in qua cum pallido ſeu albo oris ac totius corporis colore eam mollitiem carnes acquirant, ut manu compreſſæ, impreſſiones digitorum ad aliquod tempus plerumque ſervent.

Hìc juvat innuere dictas hydropis ſpecies inter ſe plerumque complicari, aut ſibi mutuo ſuccedere; ita ut particularis in univerſalem facilè degeneret, & aſcites atque tympanites hydropem pectoris, atque etiam leucophlegmatiam ſibi nonnunquam aſciſcat, & rurſus hydrops pectoris, uteri, & anaſarca aſcitem atque tympanitem; ubi enim ſeroſior facta ſanguinis conſtructio aqueos humores in aliqua parte deponit, in aliis pariter atque in toto corporis ambitu, perſeverante præſertim aut creſcente affectu, & data alia quacunque occaſione deponere poteſt.

Ad cauſas hydropis tam particularis quàm univerſalis, quæ non valde diſſimiles ſunt, eruendas, non eſt ut veterum Medicorum partes amplectamur, quorum alii frigidam accuſant hepatis intemperiem ejuſque imbecillitatem hæmatoſim non rectè perficientis, crudumque, aquoſum ac flatulentum ſanguinem in variis partibus aut cavitatibus ſerum ſuum pro re nata diffundentem generantis. Alii caliditatem nimiam ejuſdem viſceris calorem nativum diſſolventem, quam colligunt ex hydrope febribus ſuperveniente. Alii materiam ſeroſam ex potu cibiſque humidis derivatam, & utriuſque hypochondrii aut partium omnium nutriendarum attractione deficiente in ramis portæ aut cavæ retentam, & denuò reſtagnantem. Alii denique rimas ſeu fiſſuras in exſiccato per nimium calorem jecore excitatas, aqueumque humorem fundentes; &c. ex quo enim hepar ſanguifica facultate ſpoliatum colatorium, utpotè Anatomiæ & veritati magis congruum munus obtinuit, attractioneſque illæ merè imaginariæ atque commentitiæ, jecoris & lienis ariditates à corpore, aut (ut melius dicam) ex reſipiſcentium Medicorum animis exularunt; concidunt penitus dictæ de hydropis cauſis hypotheſes, nec refutatione ulla cuivis Anatomiæ animalis gnaro dignæ videntur.

Aliæ ergo afferendæ veniunt dicti affectus

fectus cauſæ, quæ Anatomiæ magis conſentiant, & ex quibus ejuſdem phænomena atque ſymptomata faciliùs deduci poſſint; tales verò ſunt primò ſeroſior & aquoſior ſanguinis diatheſis, ex quacunque cauſa prodeat. Secundò obſtructiones confirmatæ in viſceribus veniſque minoribus variarum partium hydropi & aquarum collectioni proclivium ex hoc ſiquidem duplici vitio clarè concipitur aqueas capitis, pectoris, ventris, totiuſque corporis inundationes ſuboriri; quando namque ſanguis ſero nimio dilutus ſingulas pervadit partes, de facili aquam ſuam, utpotè valde tenuem, per extrema vaſorum ora dimittit, interea dum pars ejus craſſiuſcula cordi per viam circulationis remandatur; aut ſi viſcera minoraque partium aliarum ſanguifera vaſa obſtructio tentaverit, (ut plerumque accidit) cruor, qui continua cordis ſyſtole protruditur, curſum ſuum abſolvere non valens interpoſitoſque obices perrumpere dicta vaſa prætermodum diſtendit, undè ſequitur ſeroſi laticis per diapedeſim, aut per anaſtomoſim exitus pedetentim creſcens, donec partes impleverit atque tumefecerit.

Quàm verò conſtet obſtructiones dictas in hydrope pariendo plurimum, imò totum plerumque conferre, probat præ primis experientia Anatomica, per quam injecto venæ cavæ per lateralem thoracis canini apertionem diaphragma inter & cor vinculo, notabilis aquæ ſeu ſeri quantitas in capacitate abdominis poſt mortem animalis collecta, & fluctuans reperitur; probat etiam & hydrops skirrhis hepatis, lienis, meſenterii uteri, atque etiam inveteratis earumdem partium obſtructionibus &c. facilè ſuccedens, in quibus caſibus impedito ſanguinis à partibus inferioribus ad cordis ſinus per venas regreſſu, quod tenue, & ſeroſum eſt per poros diſtentorum vaſorum apertos, & magis hiantes exilit, aut per dilatata dictorum canalium ob nimiam plenitudinem ora elabitur.

Sunt qui ex lymphæ ductuum non longo abhinc tempore detectorum ruptione, quorum etiamſi exilium numerus in abdomine, & thorace frequens eſt, atque etiam in collo, cerebro ipſiſque artubus, aquarum in variis partibus collectionem deducere conantur; quatenus iidem per lymphæ copiam ejuſve curſum obſtructione qualibet præpeditum ultra modum tumidi, ob texturæ ſuæ tenuitatem rumpuntur, ſicque humorem contentum, novumque ſubindè advenientem ad cumulum profundunt; verùm quanquam hoc ita fieri poſſe minimè negandum eſt, quod tamen rarius exiſtimo quàm putatur; non video quod ex uno aut altero rupto lymphatico & capillari vaſe, niſi omnia ſimul dilacerata intelligantur, quod eſt abſurdum guttiſque minimis atque inſenſibilibus indè ſenſim manantibus, tanta aquæ copia quanta in hydropicorum abdomine, thorace, &c. intra paucum plerumque tempus coacervata reperitur, elutriari poſſit. Adde quod effuſa lympha gelatinæ inſtar, quod ipſi proprium eſt, dum refrigeratur, in apertis hydrope defunctorum cadaveribus tota concreſceret; quod tamen nuſquam viſum eſt; imò potius aquæ in variis corporis hydropici cavitatibus collectæ urinam & ſerum ſanguinis omni ex parte, hoc eſt quoad colorem, conſiſtentiam, odorem & ſaporem potius quàm lympham referunt; ne quid dicam de colatoriis lymphæ ſive glandulis conglobatis non minùs quàm ipſis viſceribus in hydrope plerumque obſtructis, & infarctis, ex quibus proinde dictus humor abundè ad ruptionem vaſorum effluere & percolari non poteſt. Quòd ſi lymphaticum quiddam atque concreſcibile ſero ſeu aquis in hydropicorum corporibus collectis mixtum inveniatur, illud præterquam ex dictorum lymphaticorum canalium ruptione, ex ipſis vaſis ſanguiferis, in quibus primariò lympha reſidet, imò & plerumque ob obſtructas glandulas exſuperat unà cum humoribus ſeroſis ſanguinem diluentibus exſtillare poteſt, non ſecùs ac videmus lymphæ partes quaſdam cum urina à renum ſubſtantia, quanquam ſatis denſa percolari, quæ

nubes,

nubes, eneoremata, & hypoſtaſes ſeu ſubſidentias, ut Medici vocant, conſtituunt.

Sed ut ad legitimas & magis frequentes hujus affectus à nobis jam aſſignatas cauſas revertamur, indeque varias deducamus ejuſdem ſpecies, dicendum ſeroſum tunc præcipuè fieri ſanguinem & hydropi pariendæ idoneum, quando ſalis acidi in ipſius maſſa ſupra acres & lixivioſos eidem, modò non excedant, magis connaturales exaltantur & luxuriant, depreſſiſque partibus ejus ſpirituoſis & principiis activis ipſe quaſi deliquium patitur & in vappam degenerat, indè enim fit ut condenſata pauliſper, quamvis non omninò ejus parte rubra ſeu globuloſa, & lymphatica, ſeu fibroſa, quæ craſſiores ſunt, ſeroſa quæ in poris & interſtitiis earum continebatur, faciliùs ab iiſdem ſecedat, & in vaſis ſanguiferis redundet non ſecus ac videmus in coagulatione lactis incipiente ſerum à reliquis partibus quaſi expreſſum ſeparari.

Ab obſtructionibus quoque ipſis, quarum cauſas in præcedenti capite retulimus, & quæ per ſe hydropem parere poſſunt, aquoſa atque vappida fit ſanguinis conſtitutio, in quantum recrementa ſanguinea per multiplex corporis colatorium ſecedere & excerni ſolita in ejuſdem alveo propter colatoriorum infarctum retineantur, ex quorum præſentia & cumulo illius diatheſis ſenſim vitiatur, & obſcuratis ſpirituoſis atque ſulphureis tenuioribus partibus phlegma cęteris tandem prędominatur principiis; quare non mirum eſt ſi malè moratis & munio ſuo non defungentibus, hypochondriis aliiſque viſceribus, ut in omni non recenti, aut non ſubitò facto hydrope contingit, morbus ſemper malè audiat; neque enim huic tam facilè nec tam properè ſuccurri poteſt, cum cauſa ipſum fovens (utpotè duplex) contumax admodum ſit, & iterato ſanguinis circulari motu continuo creſcat.

Præter dictas aquoſum & vappidum ſanguinem efficientes cauſas, ſunt & aliæ parem affectum ſortientes & ad hydropem ſimiliter diſponentes; tales habentur morbi omnes chronici, ſeu febriles ſint, ſeu febre carentes diarrhœa putà, dyſenteria, & lienteria diuturnæ, febres longæ intermittentes & continuæ, colica paſſio frequentior & habitualis facta: hæmorrhoidum aut menſtruorum diuturna ſuppreſſio, ſanguinis ex quacumque parte fluxus immodicus, aut ſæpius recurrens, affectio hypochondriaca diuturnior, concoctio ſtomachi jamdudum læſa, aſthma inveteratum, &c. ſed præ primis renes calculis, arenulis aut phlegmate craſſo obſtructi, glandulæ cutis miliares obturatæ, ſudoremque ſeu ſenſibilem ſeu inſenſibilem à ſanguine minus ſeparantes, atque etiam veſica ob varios quibus obnoxia eſt morbos urinam non debitè excernens; in quibus omnibus affectibus, quia ſanguinis activa principia diſſipantur & exolvuntur, aut eadem à redundantium in ejuſdem maſſa recrementorum variorum copia deprimuntur, aut à ſero per vias ordinarias excernendo, & tamen non excreto, nimis diluuntur & quaſi ſubmerguntur; quia inſuper cruor in motu ſuo ab infarctis partibus retinetur atque ſiſtitur, aut à ſalibus fluorem paſſis ad coagulationem ſerique ſui profuſionem diſponitur, aut à minus ſubacto chylo crudior & aquoſus efficitur aut (ut verbo dicam) à quocumque ex ſuprà dictis pluribuſve ſimul concurrentibus infringitur & vigorem ſuum atque conſiſtentiam deperdit, ſeroſum eumdem atque effœtum tandem fieri neceſſe eſt, ſerumque ſuum, quod facilè elabitur in variis partibus deponere.

Ab extrinſeco autem ad hydropem diſponunt alimenta frigida, flatuoſa, cruda, & humida frequentius ingeſta, ſcilicet largus & immoderatus aquæ aliorumve liquorum refrigerantium potus, fructuum omnium, præſertim immaturorum aut acidorum eſus continuatus, acetaria, olera, legumina, terreſtria & craſſa edulia ſæpius comeſta; denique ea omnia quæ ſanguinem diluendi, incraſſandi, refrigerandi, atque viſcera obſtruendi facultate donata ſunt, quæque in præcedenti capite propoſita fuerunt: quibus tamen adjungendus meritò videtur vini & ſpiritus ejuſdem aliorumve liquorum

ardentium aut eduliorum acrium & oleoſorum uſus frequens & immodicus; illa enim, quanquam ex ſe minus frigida & cruda ſint acido-ſalinum tamen ſtomachi fermentum ſulphure ſuo aut ſale volatili ita infringunt, ut digeſtioni alimentorum peragendæ impar omninò evadat, ſicque ex crudiori chylo crudior ſanguis generetur; adde quòd ex uſu dictorum calefacientium bibaces & ſitibundi fiunt homines, & potandi finem non faciunt, unde ſanguis nimium diluitur.

Cùm itaque prædictæ hydropis cauſæ non valde notabilem fecerunt, ſed tantùm in ſaguinem, ubi prima eorum vis exeritur, impreſſionem; expanſo tunc temporis inter carnes & interſtitia muſculorum ſero redundante, cachexia, anaſarca, & leucophlematia inducuntur, aut etiam hydropes particulares, ſi id certis corporis partibus vaſiſque earum minoribus obſtructio & laxitas ſimul advenerint. Quando verò progreſſa ulterius dictorum agentium virtute viſcera abdomine contenta vitium contraxerunt, & potiſſimùm obſtructionem regreſſum ſanguinis à partibus imis ad cor prohibentem, aquarum collectio potiùs in infimo ventre fit, quæ nunc in ejuſdem capacitate fluctuant, nunc certis membranis atque tunicis concluduntur, pro varia harum partium diſpoſitione; atque hinc aſcites atque tympanites potiſſimùm peti debent; ille quidem, dum minùs calidis exiſtentibus viſceribus, aut minus crudo ſeu debili ventriculo, aquæ coacervatæ non ita ebuliunt & in halitus erumpunt, aut flatus in inteſtinorum canali non tam copioſi genarantur; iſte autem cùm minus vegetus ſtomachus multos flatus progenerat, aut intemperies viſcerum calidior ſtagnantes aquas in vapores & flatus reſolvit.

Nec hìc ſilentio prætermittenda eſt peculiaris quædam, quamquam rara aſcitis cauſa, quam olim in quodam Hydrope defuncto obſervavit Felix Platerus, renes ſcilicet ulcuſculis profundis perforati, ex quibus cum urina continuo ſtillet, non ampliùs per vias ſolitas, id eſt pelvim, ureteres, viſicam, & urethram utpotè minùs faciles tranſmittenda, in capacitate abdominis congeri eamdem & accumulari neceſſe eſt.

Diagnoſis hydropis univerſalis dicti ejuſque ſpecierum ferè tota ex dictis collegi poteſt; in aſcite enim prominet venter, mollior eſt, & commotus fluctuationis ſonum edit, tumorque compreſſus, niſi admodùm renitens ſit ob ventris ab aquarum nimia collectione diſtenſionem ab una parte ad aliam commutatur; in tympanite verò magis tenſus eſt aqualiculus, & percuſſus tympanum æmulatur, ob flatuum contentorum levitatem minùs gravitat nec facilè tumor ab uno latere in aliud per varium ægri decubitum devolvitur; præterea adſunt murmura ventris & borborygmi, flatuſque magis per os aut anum plerumque rejiciuntur, æger flatibus obnoxius eſt &c. Utrique autem communis eſt pedum primò, deinde tibiarum, femorum, tandem ſcroti ab humore aqueo excitata intumeſcentia, in ſitu corporis erecto major, in reclinato minor, quæ ex prohibito à partibus inferioribus ad ſuperiores refluxu & aſcenſu, ſeroque inde tenuiori per extrema vaſorum ora eorumque poros per nimiam diſtenſionem apertos exſtillato petenda eſt. Secundò gracilitas & contabeſcentia in partibus ſuperioribus utpotè minùs tumidis conſpicua, ab impuritate & depravatione ſanguinis nutrimentum aptum ſuppeditare non valentis dependens. Tertiò urinarum paucitas ex imminuto ſanguinis vehiculo, eoque aliis partibus impenſo facta. Quartò earumdem craſſities rubedo, aut ſaturatus color, quæ ex variis recrementis potiſſimùm biliosis in cruore retentis & cum ſero renes penetrantibus oriuntur. Quintò difficultas reſpirandi & tuſſis ſicca ægro præſertim decumbente, quæ plenitudini abdominis deſcenſum diaphragmatis, liberamque proindè pulmonum expanſionem impedienti, atque etiam ſanguini ipſi effœto in vaſis pneumonicis minùs benè circulanti, & ſerum muraticum aut acidum bronchiis pulmonum inſtillanti debet imputari. Sextò ſitis moleſta ex ariditate gutturis, faucium, œſopha-

phagi, & ſtomachi non ampliùs ob ſeri defectum humore ſuo irrigatorum prodiens, aut ex halitibus, fervidis è viſceribus erumpentibus, dictaſque partes præ ſiccitate corrugantibus; tandem febris continua & lenta, à particulis impuris & heterogeneis ſanguini effœto innatantibus, ipſumque in motum febrilem, languidum tamen qualem ob particularum ſpirituoſarum defectum, ſuſcipere poteſt, cientibus excitata.

In anaſarca demùm non ſolùm partes inferiores, ſed etiam manus, brachia, ſcapulæ, dorſum, pectus, facies &c. à ſeroſo humore totam cutem atque interſtitia carnium infarciente atque imbuente inflantur & intumeſcunt; color cutis ob eandem cauſam albus eſt atque pallidus, carnes molles, laxæ & veſtigium manus comprimentis ſervantes; à ſpirituum verò animalium atque vitalium defectu ſegne & languidum fit, reſpiratio non facilis, præſertim à minimo exercitio, urinæ minùs craſſæ & ſaturatæ ſunt, ob minorem recrementorum in ſanguine exſuperantiam; febris autem lenta quandoque conſequitur, quando morbus altas egit radices, & viſcera vitium contraxerunt ſanguinem particulis impuris & heterogeneis implentia.

Omnis hydrops in genere periculi plenus eſt, nec facilè curationem admittit, propter diſcraſiam ſanguinis multum à ſtatu naturali recedentis, atque inde labefactata ſucceſſu temporis viſcera: ne quid dicam de aquis extra vaſa collectis, quæ vix ab iiſdem reſorberi poſſunt, ut per vias ordinarias a corpore extrudantur; anaſarca tamen, ſi ſolus ſit, non ſecùs ac aſcites ſubitò factus, & à cauſa minùs gravi, in ætate minus provecta, atque bonis exiſtentibus viſceribus, minus multò periculum portendunt; quia ſerum in habitu corporis expanſum faciliùs in vaſa unde exiit regredi poteſt, atque per ſudores ejici, ſeu per cutis poros, aut per calorem viſcerum abſumi, ſi per novi humoris adventum morbus minimè foveatur; qui verò habitualis, inveteratus, chronicoſve morbos ſequitur, ſkirrhos putà partium abdomine contentarum, febres longas, diarrhœas, dyſenterias, lienterias, hæmorrhagias immodicas, alioſque ſupra enumeratos non leves affectus; item qui in ætate ſenili, cui magis familiaris eſt, advenit, à gravibus & contumacibus cauſis excitatus, atque malè moratis viſceribus, ſive aſciticus ſit, ſive tympaniticus, peſſimè ſemper ominatur.

Hydrops morbo acuto ſuperveniens malus, ex Hippocrat. *prognoſtic. lib.* 2. ob attritionem ſanguinis, & virium inde ſequentem dejectionem, quæ proindè affectui tam contumaci reſiſtere non poſſunt. *Hydropicis tuſſis adveniens mala*, ex eodem Hippocrat. *Aphor.* 35. *ſect.* 6. & *Aphor.* 47. *ſect.* 7. *ſi hydropicum tuſſis vexet deſperatus eſt*: inde namque arguitur ſeroſum humorem in pulmones exſtillari, unde metus ſuffocationis impendet, aut etiam hydropis pectoris, qui multo pejor eſt, utpotè ad partes vitales ſpectans.

Aqua inter cutem laborantibus exorta in corpore ulcera non facilè ſanantur; Aphor. 8. *ſect.* 6. ob ſuperfluam eamque ſalitam & acrem humiditatem, quæ partis ulceratæ exſiccationem & conſolidationem impedit; ulcera autem illa & hydatides in partibus inferioribus excitatæ atque fluentes, quanquam ex practicorum quorumdam obſervatione hydropicos aliquando & aſcidicos morbo nondum confirmato liberaverint, ut plurimum tamen & ferè ſemper, cùm morbus habitum contraxit, in gangrænam tandem ob partium frigiditatem degenerant, & mortis prodromi ſunt.

Urina pauca & turbata hydropico febriculoſo perniciosa. Ex Coac. prænotion. cap. 19. *text.* 1. quia præter ſpurcitiem ſanguinis quæ lotium plurimum conturbat, ſignificat etiam redundans ſerum alio quàm ad vias ſolitas & ordinarias deferri, ex quo morbus plurimùm ingraveſcit.

Hydropici remediis ſemel liberati ſi in eumdem affectum reciderint deſperati ſunt; ex iiſdem Coacis cap. dicto; ex tali enim recidiva colligitur vitium quoddam immedicabile tum in maſſa ſanguinea, tum in ipſis viſceribus latitare, quod

evacuatis aquis novam earumdem congeſtionem promovet.

Ineunti verò hydropi alvi profluvium aquoſum abſque cruditate adveniens morbum ſolvit ; ex eodem Hipprocat. *in Coac. & in Aphor.* 14. *ſect.* 6. *Hydrope detento ſi aqua è venis in ventrem, id eſt alvum & inteſtina fluxerit morbi ſolutio fit*. Qui aphoriſmus de incipiente necdum confirmato affectu intelligendus eſt; quando enim hydrops altas non egit radices, nec ſanguinem aut viſcera valde depravavit, diarrhœa ſeroſa, utpotè cauſam conjunctam imminuens, ab eodem vindicare facilè poteſt, contra quam accidit in alvi fluxu hydropem inveteratum conſequente, qui maximum ut in pleriſque aliis chronicis & lentis morbis viſcerum atoniam ſignificat, & mortis proximæ prænuntius eſt.

Hydropis curatio ad plura ſimul collimare debet, ſanguinis nempè correctionem, ſpirituum deficientium recreationem atque reſtaurationem, ſtomachi & primarum viarum à ſuo ſtatu plerumque, ne dicam ſemper deflectentium reſtitutionem, viſcerum aliarumque partium obſtructarum reſerationem, & aquarum demùm aut flatuum in corpore & ventre redundantium evacuationem.

Ac primò quia omnes illas aut ſaltem pleraſque ex illis indicationes implent apozomata purgantia ſimul roborantia atque aperentia, etiamſi jam ferè obſoleta, initio eadem mihi uſurpanda videntur per aliquot dies, dum ex alia parte celebrantur fotus totius abdominis emollientes, ad viſcerum & ventris, ſi quæ ſit, ſolvendam retinentiam, & humores impactos & viſcidos, fluidos efficiendos.

Talia ſunt quæ parantur ex rad. quinq. aperient. ex rad. ireos noſtrat. azar. vincetoxic. imperator. ebul. aliorumque in præcedenti capite enuntiatorum vegetantium, ſeu radices ſint, ſeu folia ; flores, ſemina, cortices, baccæ, & fructus; quibus in ſuper herba gratiol. & ſoldanell. tanquam ſpecifica miſceri poſſunt addendo etiam indecoct. ſennam, rhab. polypod. mechoacan. ſemen cartham. turbith. hermodactyl, agaric. epithym. aliave purgantia, ea proportione quæ variis apozematis doſibus, aut catharticorum vehementiæ imò & ægri temperamento, ætati, & viribus reſpondeat, addendo quoque, ſi lubet, ferri rubiginoſi limaturam nodul. incluſam, ſales alchalinos volatiles aut fixos, atque etiam cinnamom. & crocum &c.

His ſuccedere debent julepi aut juſcula merè alterantia, ex aperientib. diureticis, chalybeatis, & ſtomachicis comparata, atque per plures dies continuata. Quorum materiam pete ſimiliter ex capitibus præcedentibus, ubi de affectibus ſtomachi & de obſtructionibus actum eſt, aut ex ſequentibus, ubi de affectibus renum & veſicæ agetur, quibus rheum & abſinthium ponticum incoqui debent, aut ſi mavis, maſticandum prius rhabarbarum imperandum eſt, ejuſque tinctura ex ſaliva ſenſim glutienda, ſuperbibito juſculo aut julepo conveniente.

Quia verò non uni atque alteri remedio cedit affectus contumax & rebellis, ad alia ſucceſſivè progrediendum eſt, vinum ſcilicet chalybeatum, crocatum, abſinthit. uſuale, vinum juniperinum, ſeu in quo baccæ juniperi maturæ maceratæ ſint & decoctæ ad mediæ partis conſumptionem, aut vinum aromaticum & diureticum ex variis radicibus, ireos v. g. noſtrat. ebul. virg. aureæ, raphan, helenii &c. fol. ceterach. equiſet. parietar. menth. naſturtii utriuſq. ſabinæ, chamædr. ſalv. abſint. min. cinnam. macis, caryophyll. rahab. bacc. juniper. halicacab. ſemen ebul. aniſ. aneth. coriand. lithoſperm. contuſ. aliiſque per debitam infuſionem paratum & ſalibus volatilibus acutum ; ſic enim pituita inteſtinalis exſuperans funditur, roborantur ſtomachus & inteſtina, ſanguis vigoratur, flatus, (ſi qui ſint, diſcutiuntur) viſceraque & viæ urinariæ reſerantur.

Similem aut non valde diſparem effectum ſortiuntur lixivium benedictum & diureticum Minſichti ; aqua ejuſdem antihydropica, ſpiritus aperitivus Penoti, Tractatu de Medicina Chymica, qui etiam apud Hartmannum deſcribitur; lixivium ex cineribus ſarmentorum, ligni

ligni juniperini, ſtipitum tabarum paratum, aut corum ſal; ptiſan. ex rad. bruſc. aliorumque deobſtruentium, carminantium, roborantium, cum ferri rubiginoſi limatura, decoctum diaphoreticum ex lign. ſanct. cort. ejuſdem, lign. ſaſſafras, china, ſalſaparill. rad. lappæ major. antimon. crud. cum aperientibus ſecundum artem confectum, & per 12. aut 15. dies continuatum, quibus omnibus ſpiritus & ſales in præcedenti capite propoſiti ad juſtam doſim miſceri poſſunt.

His autem uſualibus remediis purgantia identidem intermiſcenda ſunt, ad aquas luxuriantes per epicraſim educendas, ſeu in formam pulveris, ut pulvis Cornachin. ex. æquis partibus diagrid. crem. tart. & antim. diaphor. compoſitus, aut potiùs ex una parte diagrid. & dupla aliorum; pulvis hieræ cum rheo & ſpeciebus diarrhod. Abbat. aut aromat. roſat. pulv. rad. & reſin. jalap. pulvis & electuar. diacartham. cum cinnamon. ſal. abſinth. & aniſ. elater. & gutt. gamb. correct. ad parvam doſim; ſem. ebul. pulverat. ad ʒ. j. rhab. & ſoldanell. pulver. turbith. trochiſc. alhand. agaric. mechoacan. cum pulv. cancror. corall. margarit. fæculari, aut bryon. croc. criſtal. tart. & mineral. tart. vitriolat. aut chalybeat. aut ſolubili &c. Vel in formam opiatæ & boli, ut Electuarium hydragogum Silvii de le Boe ad ʒ. ss. hydragogum eximium Joann. Renodæi; confect. hamech. opiata chalybeata, ſeu potius ferrata in præcedenti capite expoſita, cum pulver. millepedum, ſem. ebul. &c. extractum rhei, juniperi, eſulæ, & hellebor. nigr. rub. aut ſapa baccarum ebul. & ſambuci; vel in formam pilular. ex prædictis pulveribus cum gumm. ammon. & ol. macis, juniper. cinnam. caryophyll. aniſ. aut ex pilul. hydragogis Scroderi, aloephanginis, de agarico, de nitro, &c. vel denique in formam potionis, ex infuſ. ſenn. agar. rhei, mechoac. polypod. in decoct. aperiente & carminante, cum ſyrup. flor. perſicor. de pom. reg. Sapor. roſato ſolutivo, de cichor. cum rheo; aut etiam quando validius purgandum eſt, ſyrupo de rhamno cathartico, qui hydragogus præ aliis omnibus creditur, aut cum pulver. rad. jalap. Electuar. aut pulvere diacartham. de citro &c.

Nec minus plerumque neceſſarius eſt clyſterum uſus, qui primas vias primariò in hoc affectu peccantes eluunt, humores expurgant, flatus diſcutiunt & evacuant, tales ſunt qui ex urina parantur, aut ex decoct. emolliente ſimul atque carminante, cum herbis & rad. ſupradictis ſem. cumin. aniſ. ameos, dauc. rut. fœnicul. aneth. flor. chamom. & melilot. ſambuc. geniſt. &c. & cum hier. picra, benedicta laxativa, diaphæc. catholic. &c. tales etiam ſunt qui ante in colici doloris & obſtructionum curatione ſunt propoſiti.

Vomitoria etiamſi ad morbum ejuſve cauſam directè agere non videantur, quandoque tamen ad curam hydropis plurimùm conferre viſa ſunt, in quantum humores viſcidos & lentos tunici ſtomachi impactos, affectum proinde ob chyloſim deficientem foventes potentiùs eradicant, ea verò (ſi neceſſaria videantur) præſcribi debent initio, & iis præcipuè qui nauſea, cibi faſtidio, & aliis ſignis emetica indicantibus tentantur, & non difficulter vomunt.

Phlebotomia tantùm abeſt ut hydropi conveniat, ut potiùs eum accerſere vulgo cenſeatur, quod tamen non niſi ad hunc affectum pronis aut ſæpius quam par eſt repetita præſtat, ſpiritus ſcilicet exhauriendo ſanguinemque effœtum & vappidum efficiendo, eo modo quo de hæmorrhagia alibi dictum eſt; quare caveat Medicus ne eamdem præſcribat ſæpius in hoc morbo, & non niſi ſeria adhibita attentione, ineunte v. g. hydrope, vigentibus viribus, & vaſorum exiſtente plethora, aut in aliis variis caſibus ubi ſagax Medici judicium ratione temperamenti, ætatis, cauſæ morbificæ, aut ſymptomatum peculiarium ipſam neceſſariam reputat.

Ne autem alia pleraque remedia hydropi ſpecificè congruentia, & à practicis pleriſque, imò & ab ipſa experientia commendata taceamus, in uſum etiam Medicum, eumque iteratum venire utiliter

poſſunt ſuccus abſinth. ejuſve ſyrup. ſuccus fumar. naſturt. cerefol. ſatureiæ, menth. parietar. &c. ſed in primis ſuccus rad. ireos noſtratis recentis ad ℥ ij. cum pauco vino alb. extractus, & cum ſaccar. mann. melle aut ſyrup. conveniente ad ſaporis gratiam mixtus ſyrupus Magiſtralis hydragogus & aperiens ex ſupradictis vegetantibus eorumve ſuccis depuratis atque etiam purgantibus conflatus, pulvis cachecticus ex rubig. ferr. caſſia & ſacchar. compoſitus; mercur. dulc. antimon. diaphoret. pulvis bufonis uſti, cancrorum, eorumque oculi & ſal. corall. margarit. pulvis viperarum & aſellorum ſive millepedium, ſyrupus de eupatorio, zingiber conditum, conſerv. rad. enul. theriac. conſerv. fol. abſint. min. ol. tartar. per deliquium, ſpirit. ſal. & nitr. dulcificat. rheum decoctum, maſticatum, & infuſum, & ut verbo dicam, omnia illa quæ in cap. præcedenti obſtructionibus imi ventris mederi dictum eſt, ne quidem aquis mineralibus ferratis nitroſis, & thermalibus exceptis, cum cautione tamen exhibitis, hoc eſt modò uſurpentur initio morbi, non valde exundantibus aquis, & non valde obſtructis viſceribus, atque etiam poſt univerſalium remediorum, præparantium & aperientium adminiſtrationem; ſecus enim nocere magis quàm levare conſueverunt.

In primis verò celebrantur hodie in curando hydrope, aut ab eodem præcavendo, certa juſcula ad plures dies uſurpanda, quæ parantur ſine ulla aqua ex carnis vitulinæ, ſed melius adhuc vervecinæ, gallinaceæ, perdiceæ, in talleolas ſectæ ℔ ij. aut tribus ex pulvere rhei ℥ j. & tol. cichor. ſylveſt. atque cerefol. conciſorum manipulo uno aut altero, cum ſal. abſint. aut tart. ſolub. ℥ j. quæ omnia in olla fictili vitreata à medio ad ſummum, ut fundus vacuus ſit, ſuper baccillos fraxineos, aut ſambucinos ad hoc opus adaptatos in formam craticulæ ita diſponuntur, ut ſtratum ſuper ſtratum efficiant dicto pulvere & ſale conſpergendum; tùm operta linteo madido, & deinde obturata, quam optimè fieri poteſt olla in balneum mariæ immittitur igne luculento & continuo calefaciendum, per 3. aut 4. horas circiter, ad prædictorum omnium decoctionem, juriſque quod continent extractionem, aquam balnei quæ continuò conſumitur, nova aqua calida reſarciendo; quod jus in ollæ fundo invenitur & ſingulo mane jejuno ſtomacho ſumendum eſt, exprimendo etiam fortiter carnem & herbas, ut juſculum augeatur & quoad quantitatem & quoad qualitatem.

Quoad potum, notandum eſt eumdem potius ægris modicè concedendum eſſe, quàm ſi ſiti, undè humores adhuc magis funduntur, crudeliter divexentur; quanquam enim liquidi abſtinentia plures hydropicos ſanaverit, ut ex pleriſque Medicorum obſervationibus conſtat; ſi tamen ſitis ita intenſa ſit, ut eam ferre ægri vix poſſint, corpuſque inde excalefactum videatur, potus poteſt exhiberi non merè aqueus, crudus, aut acidus, item, neque copioſus; ſed ex decoct. aperiente, chalybeato, hydragogo, diuretico, cum pauco vino tenui, rubello, aut albo, eoque modico & iteratis vicibus, ſi opus eſt, ſumpto, adhibitis ſimul gargariſmatis acidiuſculis, quæ faucium ardorem temperare, ſitimque ad tempus compeſcere apta nata ſunt.

Veſicatoria atque cauteria, quæ à nonnullis in hoc affectu commendantur, ſuſpecta ſemper eſſe debent, præſertim inveterato hydrope; metus namque eſt ne excitata ulcuſcula ob ſeri in partibus redundantiam, calorem nativum obruentem, gangrænam accerſant.

Victus euchymus ſit oportet, tenuium & volatilium partium, vitando craſſa, cruda, acida, flatuoſa, humida, atque dyſpepta alimenta; remediorum autem uſui ſicut & eduliorum roborantia ſemper debent intermiſceri; fruſtrà enim aquarum & flatuum promoveretur excluſio, niſi eorumdem nova generatio per cardiaca, ſtomachica, ſpirituoſa, inhiberetur; inter quæ recenſentur aq. cinnam. aq. theriacalis, extra-

tractum juniper. cum rhab. iale abſint. & cinnam. conſer. fol. abſint. min. cum confect. alkerm. coralliis croco &c. electuar. ex paſſul. Corinthiacis in vin. generoſo ad putrilaginem coctis & cribratis cum nuc. jugland. condit. cort. citr. & arantior. condit. pulver. aromat. roſat. diarrhod. Abbatis. aniſo &c.

Tympaniti carminantia magis debentur; anaſarcæ verò laconica tùm naturalia, tùm artificialia, atque etiam ſudorifica remedia, inter quæ laudatur milii excorticati decoctum in aq. ad mediæ partis conſumptionem & cum æqua vini generoſi portione mixtum; item & decoct. ordinar. ex antimon. erud. ligno ſancto, china, ſaſſafras, & ſalſa parill. putaminibus nucum jugland. & avellanar. Omni autem hydropis univerſalis ſpeciei conveniunt ſuffumig. pedum & tibiarum aqueis humoribus tumantium, ex vino aromatico fervente & lateribus candentibus immerſis magis ac magis excalefacto.

Quòd ſi hydrops à calculo renum & veſicæ aliiſve cauſis urinæ ſecretionem & fluxum inhibentibus, ab apepſia ſtomachi, à diarrhœa, dyſenteria, febre chronica, hæmorrhagia, aliiſque affectibus pendeat, præter ea quæ dicta ſunt, adhibenda etiam ſunt ſi affectus curationem admittere poſſit, quæ talibus morbis in ſpecie occurrere ſolent; ſi item calida viſcerum totiuſque corporis intemperies, eaque intenſa, hydropi conjuncta ſit; ut non rarò accidit, & præſertim ubi febris longa, & contumax morbi hujus parens eſt, vitanda tunc ſunt magis quæ corpus exſiccant atque calefaciunt, adhibitis eorum loco aperientibus, diureticis, atque cathartici magis temperatis.

Una ſupereſt Paracenteſis, ſeu abdominis pertuſio de qua jam dicendum eſt; ea verò aſciti ſeu aqueæ ventris repletioni tantùm competit, non quidem omni, ſi enim inveteratus ſit hydrops, ſanguis effœtus & viſcera labem contraxerint, omninò inutilis eſt; quia eductis aquis novæ ſubindè accreſcunt, & plerumque ab operatione & eductis ſæpius aquis ægrotantes citius intereunt ob ſpirituum diſſipationem aut aeris frigidioris ingreſſum in partes interiores. Si ergo ea tentanda videatur, fiat in hydrope ſubitò exorto, aut non valde provecto; in corpore non macilento, non ſenili, non cacochymo, neque febre aut tabe conſumpto; ſed ſana viſcera, ſatiſque ſi non penitus vegetum ſanguinem habente; fiat (inquam) inſtrumento commodiſſimo à neotericis nuper invento, ſeu tubulo exili tribus circiter tranſverſis digitis longo, aheneo, aut argenteo, & mucronato, ut facilius perforet, ſuo embolo munito, & pluribus foraminulis in ſuis lateribus pertuſo, qui in umbilicum, ſi admodum protuberet, pollice comprimente protrudatur; ſecùs verò tribus digitis tranſverſis interpoſitis infra umbilicum, & ad latus lineæ albæ; tuncque perforatis integumentis muſculis, & peritonæo, atque extracto embolo tubuli ductum occupante, aquæ in abdominis cavo collectæ, & fluctuantes ad duas ad ſummum libras, aut tres per dictum tubulum educantur, quo facto extrahatur inſtrumentum perforans, & foraminulo in ventre relicto, qui ex ſe facilè coaleſcit plumaceolum ſiccum applicetur, ſuperpoſito emplaſtro glutinante, ſic namque ulterior aquæ fluxus prohibebitur, & puncta pars conſolidabitur.

Sed quia non una vice tota redundantis aquæ copia elici debet, ut jam dictum eſt, iteranda venit operatio, & abdomen denuò perforandum eſt una, aut duabus diebus interpoſitis pro ægri viribus recreandis; punctio autem aut in eodem loco fit, vel in alio adjacente, nuncque in lævo, nunc in dextro umbilici latere, è quo pariter ſimilis humoris aquei quantitas extrahitur, adhibitis iiſdem præcautionibus, eademque toties ſervato debito temporis intervallo repetitur, donec venter detumuerit, & pauca admodum aqua ſuperſit aliis ſupra dictis remediis, aut per reſolutionem exhaurienda.

Inter has moras æger eduliis boni ſuc-

ci alendus eſt, atque cardiacis reficiendus, ad reparandam virium jacturam, ipſumque ad varias punctiones ſuſtinendas diſponendum.

NOTA.

HYdrops morbus ut ita dicam ſecundarius eſt, aut poſterior à priori dependens, quo corrupta ſunt viſcera; hinc fit ut cùm primum apparet aut cognoſcitur, ſit ferè incurabilis. Inter ejus cauſas procatharticas mirum à Clariſſ. Auctore non recenſeri vini miracioris, ſpiritus vini, & aliorum liquorum ſpirituoſorum potum, qui hydropem ſæpius accerſit quàm aquæ potus; ſive liquores iſtiuſmodi vaſa lymphatica aut alia minora diſtendere, aut in ea craſſiores ſanguinis partes aut pituitam inteſtinalem, ſeu tartari copiam invehere, & ſic obſtructiones facere apta nata ſint; ſive acido volatile ventriculi fermentum fixiori acido advecto extinguere valeant, Quicquid ſit ad experientiam provocandum, qua conſtat longè plures vini potores quàm abſtemios hydrope perire.

Curationem quod attinet venæ ſectio & hìc omnino exulare non debet, non ſolùm habita ratione ſymptomatum ingruentium; difficultate, nimirum, reſpirandi ſuffocativa, & inflammatione eryſipelas referente quæ ſæpius hydropem conſequuntur, & quibus amovendis aut ſaltem temperandis ſecta vena unicum fere præſidium eſto, ſed & inſignis ille inter Practicos Botallus hydropicorum v. ſ. curatorum multa refert exempla. Venam etiam in hoc morbo ſecabat Hippocrates, nec ejuſdem morbi idea, in obſtructione vaſorum poſita, contra indicat. Medicamenta pro variis hydropis ſpeciebus imò pro variis cauſis variare debent. Quidam Practici, non infimæ notæ, ad ſeri ſalſuginem fixiorem, per vaſorum apertionem & hæmorragias funeſtas, in hydrope non infrequentes, ſatis indicatam, potius quàm ad ſuppoſitam ſanguinis aqueam & vappidam diatheſim, reſpicientes, refrigerantibus, humectantibus, ſeu ſerum ſalſum diluentibus liquoribus alcalicis uſi, proſperum viderunt ſucceſſum. Hinc ſucci beccabungæ, plantaginis, hepaticæ, ab Empirico Anglo, referente Clariſſ. Vvilliſio, exhibiti, optimè in hoc caſu ceſſerunt. Sic *ſerum lactis* in hydrope, qui contra alia omnino obdurauerat præſidia, mira præſtitit.

Alia medicamenta præſertim ſpecifica percurrere volentem dies deficiat. Præter ſimplicia à Clariſſ. Auctore indigitata laudantur chelidonium majus, & marrubium, præſertim ubi icterus junctus, bryonia, hedera terreſtris, filix mas, vincetoxicum, ex quibus omnibus parantur *vina medicata*, de quibus notandum quòd purgantia reddita additione ſennæ, rhei, &c. feliciùs operantur, contrà ſi vina hæc merorum aperientium nomine, urinæ v. g. ciendæ animo dentur, ea potius ſufflaminabitur, delatis nimirum ad urinæ vias craſſioribus humorum partibus quæ obſtructionem augebunt, quod non ita facilè accidet ſi eorundem humorum portionem per inteſtinorum viam patentiorem deturbare una eademque opera tentemus. Addi poſſunt vinis medicatis *lixivia* è cineribus ſarmentorum; geniſtæ, juniperi &c.

Purgantia hydragoga generoſiora ſunt, pulv. jalap. turpethum, gummi guttæ, elaterium, euphorbium, ricinus Americanus; His ſi cauſa hydropis non tollatur, aliquid levaminis pro tempore vacuata ſaburræ aqueæ parte, adfertur. Recentiores Chymici mercurium dulcem cum mercurio vitæ tritum laudant. Laudat & Nob. Boyle cryſtallos Lunæ ad gr. duo vel tria exhibitas, ſed in his magna cautio adhibenda, omnibus enim non conveniunt, & pluribus mortem accelerant, dum ſcilicet acrimonia ſua corroſiva œſophagum, ventriculum & inteſtina, non minus quàm ipſæ aquæ ſtygiæ lacerant, ut aliquando vidimus; forſan ubi magna ſeri hebetioris colluvies occurrit, non ita malignæ ſunt.

Paracenteſim thoracis mors brevi ſequitur, Paracenteſis abdominis paucos juvat, forſan quod tradius nimis celebretur.

Cru-

Crurum apertio aut ſpontanea, aut arte procurata quandoque ſanat, ſaltem temporarium levamen affert. Novimus & quibus umbilicus ſponte apertus ſalubriter fuit.

CAPUT XXVI.

De Lienis inflammatione, dolore, obſtructione, ſkirrho &c.

ACtum agere videremur atque crambem, ut aiunt, repetere, ſi de lienis phlogoſi, dolore, ſkirrho, obſtructione, &c. eorumdemque affectuum cauſis & curatione ex profeſſo atque fusè tractare animus eſſet; cùm enim hujuſce partis morbi pari prorſus modo, imò & à paribus tùm internis, tùm externis cauſis excitentur, ac ſimilis hepatis affectus; de quibus in præcedentibus actum eſt, neque diverſam ab iſtis requirant remediorum adminiſtrationem, tota eorumdem hiſtoria, æthiologia, atque therapeia ex antè dictis colligi facile poterit.

Notandum tamen, quod ad diagnoſim ſpectat, ſigna pleraque etiamſi non diverſa, ut ſunt dolor, tenſio, gravitas, renitentia, pulſatio, &c. in ſiniſtro latere, ubi ſplen ſitus eſt, quærenda eſſe, dictoſque hujus viſceris morbos utpote jecore ignobilioris, quod ad prognoſticum pertinet, non tantùm in ſua ſpecie periculum portendere, & minus difficulter plerumque, niſi vicinas partes in conſenſum traxerint (ut ſæpè accidit) ob minus compactum partis affectæ ſubſtantiam curari, aut ſaltem levari, quamquam ob dictam laxitatem, quæ à cellulosa ejus ſtructura pendet, humoribus congerendis atque retinendis magis ſit idonea ejuſque vitia chronica ut plurimum ſint.

CAPUT XXVII.

De Hypochondriaca affectione.

AFfectus hic non tam morbus eſt quàm morborum ilias; tam multiplici enim ſpecie in ægrotantibus variis ſeſe prodit, totque variis ſymptomatis nulli ferè corporis parti parcentibus ſtipatus eſt, ut pleraſque quarum larvam induit, ægritudines non rarò mentiatur, & vix una definitione circumſcribi poſſit.

Talia ſymptomata ſunt ructus acidi, nauſea quandoque & vomitus quo acida, auſtera, aut acerba rejiciuntur, cruditates ſtomachi, borborygmi & murmura ex una parte abdominis in aliam excurrentia, tormina ventris, ejuſdemque adſtrictio, febres velut intermittentes, pulſus inæqualis, horrores, tenſio in hypochondriis & toto ventre, cordis palpitatio, capitis dolor aut gravitatis ſenſus in ipſo, vertigo, aurium tinnitus, æſtus in viſceribus quaſi flammeus ſine ſiti & cum rubore faciei quandoque conjunctus, pectoris anguſtia, animi deliquium, laſſitudines, dolores vagi, vigiliæ, ſomnus interturbatus, ſalivatio copioſa, urina nunc aquea, nunc intensè rubra, nunc clara, nunc craſſior, metus & triſtitia, imaginatio perturbata qua ægri ſe variè & periculosè affectos perpetuò profitentur, delirium quandoque & convulſiones internarum aut externarum partium, reſpiratio demùm difficilis cum ſuffocationis aut ſtrangulationis ſenſu, & cum oſcitationibus, non ſecus ac in hyſterica paſſione.

Obſervandum tamen eſt non omnia in omnibus hoc affectu laborantibus excitari ſupra dicta ſymptomata, cùm morbus varios habeat gradus, ſed modò pauciora, modò plura, modò magis, modò minus intenſa, pro natura & conſtitutione ipſius plus minus depravati ſanguinis, pravorum humorum, & potiſſimum acidorum variè mixtorum in primis viis redundantia, viſcerum obſtructione & infarctu, morbi majori aut minori

pro-

progressu, præsertim verò spirituum animalium ventri medio atque infimo prospicientium magis aut minus vitiata crasi, quorum labes suum in hoc morbo symbolum confert.

Huic obnoxii sunt melancholico temperamento donati, cogitabundi, studiosi, litterati, & animi contentionibus dediti, lienosi, solitariam vitam agentes, & quicunque ex ciborum crudorum, acidorum, flatulentorum, terrestrium usu continuato, ingluvie continua, aut ex nimia & frequenti, præsertim à pastu mentis applicatione apepsiam gravem contraxerunt? atque hinc est quod melancholia hypochondriaca quibusdam dicitur, eò quòd ab humore acido & crasso melancholico Medicis dicto tanquam à causa continente dependeat, & à vitio hypochondriorum, partiumque vicinarum officiali suo munere minimè fungentium, sanguinemque minimè depurantium, sæpiùs, ne dicam semper, fovetur; aliis autem morbus flatulentus a flatibus ἄνω καὶ κάτω excretis murmuribusque & borborygmis totum abdomen infestantibus; à melancholia tamen simpliciter dicta, quæ affectus est cerebri ex eo discrepat, quòd iste statim rationem atque imaginationem depravet cum mœrore & tristitia sine ulla febre, tantoque symptomatum satellitio; illa verò in primis viis & toto ventre primariò & potissimum suam agat tragœdiam magna dictorum symptomatum comitante caterva; non tamen negandum est utramque melancholiæ speciem inter se plerumque complicari, tuncque cum recensitis abdomen & præcordia divexantibus symptomati delirum melancholicum, mœror & metus atque tristitia semper vigent de quibus suo loco agetur.

De hujusce morbi sede controvertitur apud plerosque Auctores, quorum alii eumdem in liene reponunt, utpotè humoris melancholici receptaculo, ubi si dictus humor aut solus aut aliis mixtus exuratur, torrefiat, & in atram bilem degeneret, variis supra dictis symptomatis inducendis aptus effici creditur. Alii ipsum in ventriculo statuunt, ut inter veteres Galenus post Dioclem cum eorumdem variis sequacibus inter neotericos verò Franciscus Deleboe Sylvius, qui focum hypochondriaci affectus asserit esse stomachum, aut saltem partes ipsi vicinas, pancreas putà hepar, & potissimum duodenum intestinum, ubi celebris illa ipsi tam decantata humorum trias, hoc est saliva ex ore atque ventriculo decidua, bilis ex poro biliario & cholidoco stillans, & succus pancreaticus ex pancreate per vas Virsungianum fluens reperitur, ex quorum variè alteratorum atque degenerantium, & sibi valde contrariorum occursu, lucta & effervescentia præternaturali hunc morbum cum ejus accidentibus, ut & plerosque alios affectus deducere conatur.

In stomachum verò parteve ipsi adjacentes ideo hunc affectum referendum putant Auctores dicti, quia in eo semper ventriculi laborantes indicia sese produnt, cruditates nempè ructus, vomitus, cradialgiæ &c. tum quia dyspeptis, acidis, flatulentis, & crassis eduliis excitatur ipse, fovetur atque intenditur, tum demùm quia idem post alimentorum, etiamsi euchymorum assumptionem, hoc est per digestionis tempus ut plurimum recrudescit aut exacerbatur.

Quidam non ineptè hypochondriacam affectionem ad morbos convulsivos referunt, putantque morbum hunc non secus ac hystericam passionem de genere epilepticorum esse, eumdem idcirco suffocationem hypochondriacam, ad hystericæ differentiam, cui valde affinis est, nominantes, in qua hypothesi sedem habet dictus morbus primò in nervis octavi paris, seu vago qui præcordiis & abdomini, ubi omnia ferè symptomata apparent, prospiciunt; atque etiam in ipsis spiritibus animalibus vitiatis tales nervos implentibus. Secundo in ipsis musculis aut muscularibus fibris contractiones dictarum partium spasmodicas efficientibus, in quibus spiritus animales rapidiore motu acti particulisque heterogeneis ipsos inficientibus admixti explosiones insolitas huc, & illuc

luc excurrentes moliuntur.

Nos verò prædictas hypotheſes conjungendo, ſedem hypochondriacæ paſſionis in primis viis, hoc eſt ſtomacho, liene, hepate, meſenterio, pancreate, primariò ſtatuimus; Secundariò tamen in ipſo ſanguine, lympha & ſpiritibus animalibus dictis partibus miniſtrantibus; neque enim talis morbus, ſaltem dum perfectus eſt, niſi omnia ſimul concurrant, tantam ſymptomatum copiam & diverſitatem, quanta ſuprà enumerata eſt, inferre valet.

Peccant autem ſtomachus & ipſi vicinæ partes, quatenus atonia ſua pravos & potiſſimum crudos, acidos, craſſos, atque auſteros & flatulentos humores congerunt atque retinent; unde chyloſis plurimum infringitur, ac proinde hæmatoſis, ex qua crudior & acerbior ſanguis exoritur, flatus copioſi generantur, viſcerum parenchymata inferciuntur cruoris multiplex recrementum minus ſeparantia, ſanguis denique & lympha aciditatem intenſam aut auſteritatem induunt & ſpiritus animales ex eo prodeuntes eandem labem ſibi valde adverſam contrahunt; concurrente ad hoc opus temperamento melancholico aut nativo aut aſcititio, aliiſve cauſis infra afferendis ventriculo cruditatem & ſanguini acorem conciliantibus, ex quibus fermentum minus ſalſum ſtomacho, & ſuccus pancreaticus acidioi duodeno ſuggeritur; undè primæ & ſecundæ coctionis negotium perturbatur & ſanguinis atque ſpirituum animalium diatheſis pervertitur.

Ex his ergo primarum viarum, ſanguinis, lymphæ, & ſpirituum vitiis tanquam ex vera & integra cauſa dependet tota hypochondriacæ paſſionis cataſtrophe, cujus rei validum argumentum petitur ex melancholicis, lienoſis, ſtudioſis, &c. gulæ & ingluviei deditis hominibus, & (ut verbo dicam) acido humore turgentibus huic affectui (ut ſuprà notatum eſt) maximè proclivibus; atque etiam ex ſuprà recenſitis ſymptomatis, quæ non niſi ex dicta cauſa facilè deduci poſſunt; quid enim aliud arguunt ructus acidi, cruditates, horrores totius corporis, ſalivatio copioſa, quàm acidum humorem, ſeu fluorem ſalis intenſum in maſſa ſanguinea & toto corpore præpollentem, qui ſalivam & ſtomachi fermentum vitiat, ac proindè chyloſim, cruorem incraſſat, aut ad coagulationem diſponit, ex quo proindè ſerum ejuſdem aciditatis particeps facilius elabitur, & in habitu corporis ſeu panniculo carnoſo aut membrana communi muſculorum per extrema vaſorum expanſum irritationes facit horrorum omnium aut rigorum parentes; in maxillaribus verò parotidibus, aliiſve totam buccam irrigantibus glandulis magnam humoris ſalivalis à ſalſedine ſua nimium deflectentis copiam præbet. Quid præter eà inculcant borborygmi & murmura huc & illuc excurrentia, tenſio totius abdominis, acidorum & auſterorum vomitus, hypochondriorum renitentia, quàm eumdem humorem in primis viis exſuperantem, flatuſque copioſos ſeu ob chyloſeos defectum, ſeu ob ejuſdem cum bile aliiſque humoribus aut alimentis ingeſtis efferveſcentiam, generantem, ſtomachum fatigantem, viſceribuſque infarctum, ob ſanguinis craſſitiem conciliantem. Quid febres illæ velut intermittentes, æſtus viſcerum quaſi flammeus, quàm chyli crudioris & minus analogi in ſanguinem adventum? ubi ratione ſuæ improportionis motus fermentativos ſolito majores & interpolatos excitat, aut acidiorum pancreatici ſucci, ſalivæ atque fermenti ſtomachici cum bile bilioſis humoribus aut alimentis aſſumptis magnam in primis viis efferveſcentiam ardore ſemper ſtipatam, qui eò major eſt, quò humor fermenteſcens, utpotè craſſior, particulis conſtat rigidioribus & majoris molis, majoris proindè impreſſionis capacibus, ut patet ex olei flamma comparativè ad flammam aquæ vitæ accenſæ. Quid tormina alvi ejuſdemque adſtrictio, quàm inteſtinorum ab humoribus acidioribus aut plus æquo auſteris eroſionem, eorumdemve à nimia flatuum copia diſtenſionem, aut bilis minus ab hepate ſecretæ, ejuſdemque ab humore acido infractæ minorem vim atque actionem?

Quid

Quid denique pectoris anguſtia, animi deliquium palpitatio cordis, ſuffocationis ſenſus, vigiliæ, convulſiones, laſſitudines, dolores, ſomnus interturbatus, delirium, vertigo, capitis dolor & gravitas &c. quàm ſanguinis ab acido ipſum condenſante & acuente ſegnioris in ſuo motu & corroſivi facti majorem in pulmonibus, corde, cerebro, muſculis aliiſque partibus moram atque irritationem, aut ſpirituum animalium in ſua craſi vitiatorum & copulæ ſanguinis explosivæ acidiori in variis partibus occurrentium varium motum atque inordinationem, quæ in partibus infimo ventre contentis primariò, & magis ſe manifeſtat, quia abdomen eſt veluti ſentina totius corporis impuris magis humoribus ſcatens & primò ſemper affecta, ſpiritus proindè animales à nerveis paris vagi & intercoſtalis canalibus delatos primò inficientibus & præternaturaliter explodentibus, undè deinceps ad partes vitales atque ipſum cerebrum, ſeu per nervorum & membranarum communionem, ſeu per cauſæ morbificæ extenſionem & augmentum, propagatur.

Cauſæ hujus affectus externæ, mediatæ, aut procatarticæ ſunt ea omnia quæ chyloſim vitiare, viſcera infercire, ſanguinis ſulphureas, & ſpirituoſas particulas deprimere, atque acidum exaltare quoquo modo poſſunt; ut ſunt cibi craſſi, crudi, acidi, frequens ingluvies, mœror, triſtitia, otium, vita ſedentaria, & ſolitaria, animi contentio, præſertim à paſtu, curæ, ſollicitudines, ſtudium immodicum, ſuppreſſio menſtruorum aut hæmorrhoidum, &c. quorum acidam ſanguini diatheſim, & ſtomacho cruditatem ſeu apepſiam inducendi virtus, ſi ſatis ex ſe non patet, ex ſæpius repetitis in hoc Tractatu variorum phænomenon explicationibus erui facilè poteſt.

Diagnoſis hypochondriaci affectus ex ſuprà recenſitis ſymptomatis habetur; prognoſis verò ita inſtitui debet, ut quanquam morbus ex ſe vitæ periculum non inferat, chronicus tamen præ aliis omnibus ſit contumax, & plerumque per totam vitam duret; aceſcenti enim præter modum ſanguini idem quod vino contingit, quòd ſcilicet nulla ſit reparabilis arte, & remediorum etiam convenientium varium & repetitum uſum ut plurimùm eludat, acidum namque, dum notabile eſt, ut in hoc affectu, humores craſſos, rebelles, & tenaces efficit, viſcera & colatoria omnia obſtruit & infercit, totamque chyloſeos & hæmatoſeos œconomiam perturbat, ac proindè purgantibus atque alterantibus ſpecificis non facilè cedit; atque hæc eſt ratio cur *flagellum & opprobrium Medicorum* hypochondriaca paſſio dicatur, eaque laborantes, propter imaginationem læſam, quà graviter affectos ſe credunt, metumque mortis & urgens remediorum deſiderium quod tanta ſymptomatum cohors invehit, aſſiduis querimoniis Medicos fatigent, quos etiam iterum atque iterum mutare ſolent, levamen integrum apud unum atque alterum non invenientes.

Quanquam autem dicta hypochondriorum affectio ex ſe ſtatim lethalis non ſit, ut jam jam dictum eſt, imò nec etiam ſucceſſu temporis ſatis longo talis plerumque evadat, poteſt tamen in hydropem, epilepſiam, cachexiam, maraſmum alioſque graves morbos degenerans hominem de medio tollere, atque etiam diuturnitate ſua functiones omnes corporis, & præſertim vitales atque animales labefactans; quò plura ergo pauciorave, graviora aut remiſſiora infert ſymptomata, pejoris aut melioris ominis atque levaminis, ſi non curationis dicendus eſt hic affectus, & ſi melancholia ad cerebrum pertinens, hoc eſt delirium, vertigo, convulſiones, difficilis & anheloſa reſpiratio huic acceſſerint, metus eſt impendentis epilepſiæ, & ſolamen multò minus admittit.

Curatio hujus affectus verſatur magis circa alterantia quàm purgantia, magis circa particularia quàm univerſalia dicta remedia; venæ ſectio enim ſaltem ratione ipſius morbi aut cauſæ morbificæ minus competere videtur; & ſi quando celebranda veniat, hoc fieri debet ratione

ple-

plethoræ, quæ ſemper cum obſtructionibus & lento ſanguinis motu conjuncta eſt; aut ratione febris, æſtus, convulſionum, vigiliarum, aliorumque urgentium & phlebotomiam plerumque, ex malleolo præſertim, requirentium ſymptomatum. Purgatio verò quanquam non omittenda eſt, minus frequenter tamen quàm in aliis pleriſque affectibus, & non niſi poſt alterantium, emollientium, & humectantium uſum, aut per epicraſim inſtitui debet; acidum ſiquidem (ut experientia practicorum docet) catharticis parùm obtemperat, minùs quoque ut plurimum emeticis, niſi ipſo morbi initio adhibeantur & ad vomitum pronis imperentur, non ſolùm propterea quod eò turgentes difficile vomunt; veràm etiam quia tartarei, craſſi, & impacti humores per feceſſum melius, quia lentius quàm per vomitum educuntur; hinc Hippoc. *Aphor. 9. Sect. 4. Melancholicos per inferiora purgabis*.

Soli ſunt clyſteres inter univerſalia quorum uſus frequens in hoc affectu eſſe poteſt illi vero ſint emollientes & refrigerantes in æſtu viſcerum & totius corporis; ſecus verò & in flatuum abundantia carminantes & diſcutientes, addendo ſennam & polypod. in decoct. cum ſuis correct. & in diſſolutione caſſiam, catholic. utrumque, diaprun. utrumque, mel. mercurial. violac. anthoſat. &c. imò etiam & hier. picr bened. laxat. diaphænic. & ipſum vin. emetic. turbid. ſal gemm. armon. & pulp. colocynth. &c. Si humorum tenacitas alvique pigrities magna, validiora (ut plerumque accidit) purgantia requirunt; non negligendo caſtoreum, mel nenupharinum, & ipſum opium, ſi motus convulſivi partes abdomine contentas infeſtent, utpotè quæ diſſoluta ad juſtam doſim in clyſtere carminante, aut emolliente atque anodyno, dictos motus compeſcere apta nata ſunt.

Inchoabitur ergo remediorum adminiſtratio à fotibus abdominis totius emollientibus, balneis, ſemicupiis, apozematis, julepis, aut juſculis aperientibus, incidentibus, amaris, & aromaticis ad plures dies uſurpatis, & cùm opus videbitur, iteratis, & rad. quinque aperientibus paratis, aut ex rad. helenii, eryng. ononyd. bugloſſ. cichor. gram. tarax. polypod. & ipſius hellebor. nig. qui in modica doſi plurimùm juvat &c. Ex cortic. median. ſambuc. fraxin. tamariſc. rad. cap. par. cinnamomo, &c. Ex foliis fumar. cerefol. naſturt. utriuſque, ſcolopend. chamædr. agrim. centaur. min. abſint. pont. menth. borrag. bugloſ. lupulor. anagallid. utriuſque, pimpinell. meliſſ. capillarium omnium, hyper. dent. leon. &c. Ex floribus tribus cordialibus, ſeu bugloſſ. borragin. & violar. geniſt. tamariſc. calendul. ſambuc. epithym. & cuſcutæ &c. croco. Ex ſeminibus calid. majoribus atque minoribus, aliiſque pluribus in obſtructionum & hydropis curatione fusè propoſitis; quibus addi debent ferri rubiginoſi, limatura nodulo incluſa, ſalis fixi atque volatiles, ſpiritus fuligin. urinæ, ſalis armoniac. cornu cervi, ſuccini ad juſtam & cuique ætati congruam doſim, ſicut & ſpiritus tartari & ſpiritus vini tartariſatus.

Decoctum galli veteris cum vegetantibus ſuprà dictis, decoctum ſudorificum ordinarium cum antimon. crudo nodulo incluſo vinum aromatic. antè deſcriptum, crocatum, helleboratum. Quercetani, abſinthites, hìc etiam locum habere poſſunt, atque etiam juſcula ex carne viperin. parata, additis aperientibus atque ſtomachicis: ſed præprimis variæ ferri præparationes & opiatæ chalibeatæ, ſeu potius ferratæ uſus diuturnus. Denique mercur. dulcis, camphora, caſtoreum, antimon. diaphoret. viperinus pulvis, cornu cervi uſtum, Cortex Peruvianus, corallia, margaritæ, lapis lazuli præparatus, oculi cancrorum eorumque ſal & pulvis, aliaque abſorbentia & alchalia, flores ſalis armoniaci, ſucci pomor. redolentium, borraginis, bugloſſi, taraxaci cichor. fumar. aliarumque ſuprà dictarum herbarum, aut ex iis ſecundum artem parati ſyrupi magiſtrales, ſeu ſimplices & merè alterantes, ſeu compoſiti & ſimul purgantes; aquæ omnes ſpirituoſæ, aromaticæ

&

& cordiales; oleum aniſi caryophyllorum, eſſentia croci, theriaca, extractum rhei & juniperi, atque etiam hellebori nigri, confect. alcherm. hyacinth. tartarum vitriolatum, ſal vegetale, ſeu ex æquis partibus cryſtalli & ſalis fix. tartari compoſitum, aut ex eo in aqua aut juſculo ſpecifico fuſo & decocto parata ptiſana vegetalis, eaque ferrata, cryſtallus mineralis, ſal nitri, aliaque ſalſa & diuretica, crocus martis aperiens, &c. & (ut verbo dicam) omnia quæ ventriculi coctioni læſæ, colicæ flatulentæ, obſtructionibus imi ventris & hydropi convenire ſupra diximus, affectui hypochondriaco debellando primarumquè viarum atoniæ & acidæ ſanguinis diatheſi corrigendæ plurimum ſunt accommodata.

His tamen omnibus purgantia quædam ſunt intermiſcenda in formam boli, potionis, opiatæ, aut, pilularum, qualia ferè dictis affectibus competere ſupra notavimus; imò & quandoque narcotica, quæ in hoc morbo, urgente ſcil. ſuffocatione, vigiliis, delirio, motibus partium internarum convulſivis, miros poſt elutriatam pravorum humorum ſaburram præſtant effectus, cardiacis præſertim & ſpecificis mixta. Cavendum interim ne continuato & præpoſtero remediorum calefacientium & ſpirituoſorum uſu, quæ directè opponi videntur cauſæ morbum facienti, æſtus viſcerum, qui ægros crudeliter plerumque divexat, magis intendatur; in quo caſu ad mitiora recurrendum eſt, quæque magis temperata humorem melancholicum ſive acidum vel auſterum non minus alterant; tunc etiam iterari debent balnea, fotus, & clyſterum refrigerantium uſus, imò & ſeri lactis per plures dies in quo fumar. epithym. centaur. min. aſplenium ſive ceterach. polypod. chamœdr. aut alia antimelancholica macerata ſint; aut ipſe pomorum redolentium ſuccus depuratus, ipſumve pomaceum in julepis aperientibus & ſtomachicis temperatis cum ſale prunellæ, tartaro vitriolato &c. imperandus eſt.

Apertio hæmorrohoidalium venarum per hyrudines, præprimis dum eædem tumere incipiunt, aut iis proclives ſunt ægri, aut ex ipſarum ſuppreſſione affectus quoquo modo dependet, utiles multum eſt hypochondriacis utilis quoque menſtruorum in hoc morbo, ſi eadem ſuppreſſa fuerint, per propria & ſpecifica remedia provocatio, quæ in ſequentibus afferentur; utilis demum aquarum thermalium ferratarum nitroſarum, imò & acidularum dictarum uſus, quæ ultimæ non tam acidæ ſunt quàm acido-ſalſæ, ac proindè digeſtivæ.

Verùm quod curam hypocondriacæ paſſionis minus laborioſam facit, ipſumque morbo mitigat, eſt potiſſimum hilaritas mentis aeris purioris reſpiratio, jocoſa ſocietas, jucunda & læta exercitia, victus euchymus & ſpirituoſus, vitatis omnibus quæ ſtomacho cruditatem, ſanguini acorem, & menti contentionem atque triſtitiam conciliare poſſunt.

NOTA.

IN affectione Hypocondriaca bene ut plurimùm à venæ ſectione incipitur; & poſt preparantia ab Auctore indigitata, & purgans lenius, quale eſt infuſum ſennæ cum caſſia, & ſyrupo roſato, venis hæmorrhoidalibus hirudines utiliter admoventur. Quanquam enim hoc remedii genus ex liene aut porta immediatè non trahat per vaſa meſenterica, ut putabant antiqui, ſanguinis circulationem ignorantes, conſtat experientia in talibus caſibus utile eſſe ſanguinem mittere per venas hæmorrhoidales ad naturæ imitationem quæ hac via ſpontaneas hemorrhagias cum levamine ægrorum molitur.

Quidam in vomitu totius curæ cardinem verti exiſtimant, & ab eo incipiunt. Hac ſane ratione humores acido viſcidi ventriculi tunicis inhærentes excutiuntur, in quibus primus morbi fomes nidulari creditur; verùm aliquando per ægros, nunquam non in hoc affectu moroſos & meticuloſos, hoc remedio uti non licet.

Ad uſum chalybis aut ferri quod ſpectat, quidam purgantia admiſcent aut intercalant, quidam, inter quos Clariſſ.

Sy-

Sydenham, à purgantibus efficaciam chalybis deſtrui putant. Licet à chalybeatis purgantibus incipere, & per mera aut ſola chalybeata finire. Inter quorum præparationes ſimpliciores pluris faciendæ. Imò limatura chalybis rubiginoſa ſubtiliſſ. pulveriſata cæteris laborioſis Chymicorum præparationibus præferri quandoque debet.

Ea ſiquidem acidi ſucci facilius ſaturantur, & edulcorantur. Utiles ſunt & pilulæ è limatura ferri, cum cortice Peruviano, & ſyrup. pomorum. Aromata à Clariſſ. Auctore commendata parca manu & rarò exhibenda, his enim pro tempore tantùm levantur ægri; nec tantum profectus ab eorum uſu expectari debet quantum ſequitur damni ab eorundem abuſu. Vinum parùm tutò etiam exhibetur, etiam aqua temperatum, niſi in parva admodum menſura. Novimus & qui mera aqua fluviatili aut fontana pro potu ordinario ſumpta, optimè habuerunt. Lactis uſus & potiſſimum aſinini, rejici non debet, corpore ut par eſt præparato. Curam mercurialem indeque promotam ſalivationem aliqui commendant; verùm nullatenus tutum eſt tali remedio uti, cujus funeſtos affectus aliquando vidimus; imò de quo hiſtoriam truculentiſſimam afferunt Ephemerides Curioſ. German.

CAPUT XXVIII.

De Scorbuto.

SAles, quibus maſſa ſanguinea conſtat multipliciter, & quidem præternaturaliter poſſe combinari cum aliis principiis ſeu activis, ſeu paſſivis atque cum iiſdem exaltari innumeri probant affectus corpus humanum affligere ſoliti diverſas tamen illas ſalium combinationes atque exaltationes unus præ omnibus aliis Scorbutus demonſtrat, qui morbus eſt paludoſis, maritimis, & præſertim Septentrionalibus regionibus endemius, aliis verò, & præſertim meridionalibus in quibus hactenus ferè incognitus fuit, non ita familiaris. Quanquam autem affectus iſte oras noſtras minùs infeſtare ſoleat, uſus tamen practicus docuit nos ab eo penitus immunes non eſſe, & ſi omnibus ſymptomatis ſtipatus non ſit quæ vernaculum & endemium comitantur, quædam tamen magis propria & veluti pathognomonica accidentia infert ad illius naturam ſtabiliendam ſufficientia: imo & mihi de eo nunc ſcribenti Scorbutici noſtratis, nec aliundè morbum etſi perfectum in ſua ſpecie & exquiſitum afferentis, ſed ab immodico & continuato ſalis ſalſorumve eduliorum uſu contractum, cura committitur, in quo omnia ferè Scorbuti legitimi borealium maritimarumque plagarum proprii ſigna deprehenduntur.

De Scorbuto itaque propriè dicto nunc acturi, non eſt ut variis ejuſdem appellationibus immoremur, quas apud varios Auctores, & præſertim apud *Gualterum Charleton* Anglum videre eſt, qui de hoc morbo librum ſingularem ſcripſit; nec inanes quorumdam quæſtiones agitabimus, an ſcilicet Hippocrati, Galeno, & aliis antiquis Medicis cognitus fuerit, quæ ſimiliter in dicto libro ſolutæ inveniuntur, & præterea ad Scorbuti æthiologiam atque therapejam minimè facere videntur. Eſt ergo Scorbutus, ut ad rem ſtatim accedamus, ſicut de morbo præcedente dictum eſt, morborum potius congeries quàm unicus & ſimplex morbus, atque is ſi unica definitione dicam an deſcriptione, circumſcribi poſſit, eſt prava contagioſaque maſſæ ſanguineæ diatheſis & veluti totius corporis ichoroſa & falſa cachexia à varia ſalium minùs volatilium cum aliis minùs activis principiis mixtione atque exaltatione ortum ducens, crurum debilitatem, Græcis *Scelotyrben*, oris fœtorem, iiſdem *Stomacacem*, undè dictus affectus denominationem plerumque accipit; & præterea maculas in cute nunc majores, nunc minores, purpureas, violaceas, rubraſque & lividas, præſertim in tibiis & cruribus, dentium vacillationem, gingivarum eroſionem & putredinem, fluxum ſanguinis ex iiſdem, tanquam propria & pathognomonica ſi-

gna

gna inferens aliisque symptomatis nullam corporis partem, ne articulis exceptis, non affligentibus & affectui hypochondriaco communibus stipata.

Dividitur primò in austerum seu acerbum, in quo quia sal cum terrestribus multis particulis copulatum spiritibus & sulphure depressis exhaustisque dominium obtinet, dispositio sanguini inducitur fructuum immaturorum temperiei non absimilis, huncque Scorbutum à sale fixo, hoc est in statu fixitatis, minimè verò fusionis, volatilisationis, aut fluoris existente appellare quibusdam placet.

Secundò in rancidum sive sulphureo-salinum, qui scilicet à sulphuris particulis, post tenuium unà cum spiritibus exhalationem salem sibi ascisscentibus omninò dependet, atque in hoc casu sanguis fervidior paulò quàm in aliis Scorbuti speciebus existit.

Tertiò in Scorbutum acidum; in quo sales à sulphureis spirituosis & terrenis partibus magis liberi in statum fluoris, ut in vino acescente contingit, deducuntur; hæc autem Scorbuti species magis aliis frequens affectioni hypochondriacæ maximè affinis est, & veluti gradus eidem perfectæ completæ superadditus.

His omnibus Scorbuti speciebus & differentiis quidam addunt lixivum, à sale reverbetato, acri, bilioſis tenuioribus admixto particulis, ac proindè lixivo prosapiam suam ducentem, ratione cujus sanguinem attenuare ac penitus dissolvere potis est. Verùm ex symptomatis in hoc morbo apparentibus, atque ex causis mediatis & remotis eumdem inducere solitis facilè colligitur. Scorbutum lixivioſum propriè dictum nullum esse, eumdemque morbum cum sanguineæ massæ dissolutione vera stare minimè posse; aer enim crassus, humidus, salsus, qualis in locis septentrionalibus & maritimis inspiratur, alimenta crassa, cruda, acida, & præsertim salsa & muriatica, piscium aut carnium sale conditorum usus continuatus, acetaria, otium, tristitia, studium, curæ, solicitudines, temperamentum melancholicum, & alia hujusmodi morbum hunc inferre solita tantùm abest ut salis lixivioſi in sanguine copiam facere possint, ut potiùs eumdem spiritibus & sulphure tenuiori, ut cuivis patens est, spoliantia, saliumque proventum sanguini affundentia non nisi austerum, acidum, aut saltem rancidum, pro varia ejusdem diathesi, eo quo supra dictum est modo, efficiant. Præterea symptomata quamplurima Scorbuto, passioni hypochondriacæ, imò & lui venereæ, qui affectus sunt ab acido prodeuntes, maximè communia minus sanguinis dissolutionem arguunt, nisi per dissolutionem, serosarum partium à crassis separatio intelligatur; quod absurdum est, quàm aliam quamcumque pravam & crassam præsertim atque salinam ejusdem diathesim; ne quid dicam de Scorbuto meridionales etsi maritimas, calidasque & torridas regiones, ubi sanguis ad dissolutionem proclivior est, minus infestare solito, dictique morbi optima testantibus practicis per salia volatilia plantasque sale volatili abundantes, à quibus sanguis magis dissolvitur, curatione. Quòd si ille remediis quandoque temperatis, refrigerantibus, imò & acidiusculis, ut de affectione hypochondriaca dictum est, mitigari postulet, hoc sulphuri crassiori unà cum sale exsuperanti tribuendum est, æstibusque ac fervori tùm sanguinis, tùm viscerum indè prodeuntibus, quàm sanguinis quæ nulla est, dissolutione; imò & jam dictis remediis, notante dicto *Gualtero Charleton* intermisceri semper debent digestivorum, roborantium, atque etiam antiscorbuticorum vegetantium usus, quæ cùm tenuium sint partium, massæ sanguineæ, si dissoluta foret, non parvum afferrent damnum.

Cùm ergo in omni Scorbuto salsior sit atque crassior simul & fœculentior universus cruoris latex, utpotè qui principiis suis nobilioribus & magis activis, spiritibus nempè & sulphure tenuiori, ob varias supra dictas causas, & præcipuè ex chyloseo defectu, aut commissis in diæta erroribus, aliisve non naturalibus malè usurpatis, defraudatur; cùm insuper

visce-

viſcera atque colatoria potiſſimùm abdomine contenta, ſtomachus ſcilicet, pancreas utrumque, hepar, lien, meſenterium, ipſiſque appenſa vaſa quibus plerumque morbus imputari ſolet, in vitio ſint, nec ſanguinem (quod eorum munus eſt) à ſuis recrementis atque impuritatibus liberent; non mirum ſi propter emanantem indè acidam, muriaticam, acerbam, rancidam, lymphæ, ſucci nutritii, ſpirituum animalium, liquoris nervoſi, & omnium corporis humorum diſcraſiam magnus ſymptomatum exſurgat numerus, quæ diagnoſim morbi conſtituunt.

Atque ut ab iis jam ordine diſponendis fiat initium quæ incipientem Scorbutum comitantur; adſunt primò laſſitudo ſpontanea, gravitatis ſenſus inferioribus partibus, crurum debilitas, anguſtia pectoris, & reſpiratio difficilis, quæ omnia craſſioris vappidique ſanguinis partes corporis nimium gravantis, leniuſque circulum ſuum peragentis effecta ſunt, aut deficientium in copia, motu, influxu, aut puritate ſpirituum animalium; eadem de cauſa ſuperveniunt deindè pulſus debilis aut intermittens, facies pallida, lipothymiæ, ſopor, languor, & totius corporis enervatio, ob fatiſcentes ſcilicet, aut non debitè fluentes ſpiritus animales, atque ſanguinem minus purum, vegetum, & quaſi deliquium patientem.

Dum verò morbus ingraveſcit, graviora quoque ſymptomata ſeſe produnt, ut ſunt dolores modò vagi, modò ſtabiles varias corporis partes cruciantes, atque nunc cephalalgiam, nunc arthitidem, quæ vaga eſt, nunc odontalgiam, rheumatiſmum, pleuritidem, colicam &c. mentientes; oris affectiones ulceroſæ, pruritus & rubedo ſeu inflammatio gingivarum, ſanguinis ex iiſdem effluxus, qui earum ſubſtantiam ſenſim exulcerat & corrumpit; undè oris graveolentia, alvi fluxus modò ſimplex, modò dyſentericus, hæmorrhagiæ variæ, dentium vacillatio, eroſio, & nigredo quæ omnia accidentia ſalibus nimis onuſto ſanguini non immeritò tribuuntur, ſic nempè & partes corporis quas perluit membranoſas, nerveas, tendinoſaſque, ubi magis retinetur, corrodere, mollemque gingivarum carnem exedere, aptus efficitur, undè exeſis etiam aut laxatis dentium alveolis, eaſdem vaſcillare & cadere neceſſum eſt, apertiſque per diabroſim aut rixim tum hìc, tum alibi, vaſorum, ſanguiferorum extremis capillaribus, ſanguinem continuo, licèt lento gradu circulantem qua data porta ruere, diverſaſque indè prodire hæmorrhagias. His omnibus adjici debent ſputatio copioſa & frequens, quæ à ſaliva multa per parotides glandulas, maxillares, palatinas, & quæ totam buccam occupant apertas uberius à ſanguine fero redundante ſecreta deducenda eſt. Urinæ rubicundæ, ob maximam ſalium admixtam quantitatem, partes ſulphureas diſſolutas ſecum vehentium. Febres velut intermittentes & inordinatæ, propter initam identidem ſalini acidi & degeneris ſanguinis cum chylo crudiore & lympha in ejus alveum advenientibus, minuſque miſcibilibus effervescentiam. Maculæ rubræ, violaceæ, lividæ, in cruribus, tibiis, aliiſque partibus apparentes, quarum cauſa in ſolo ſanguine quærenda eſt, qui craſſus & effętus in cute, & præſertim partibus inferioribus reſtagnat, & tùm ob partium ipſius ſpirituoſarum defectum, tùm ob minus validam cordis ſyſtolem, tùm demùm propter frigiditatem ambientis aeris ibidem moram trahit, variumque pro varia ſanguinis dyſcraſia & depravatione colorem præ ſe fert. Maculæ autem illæ in ulcuſcula aut gangræna degenerant, prout ſanguis vel acrior eſt & cutem exedens, vel magis corruptus, motuque omni tùm fermentativo, tum progreſſivo ſeu circulari deſtitutus, undè ſuffocato & extincto partis calore ſyderatio ſubſequitur.

Convulſiones quoque, vertigo, vigiliç, horrores, vomitus, &c. Scorbutum comitari ſolent, ob impuros ſpiritus animales, eoſque particulis heterogeneis immixtos, quæ eoſdem in varios motus inordinatos & præternaturales, modò in cerebro, modò in artubus, modò in partibus internis ciere aptæ natæ ſunt; vel

etiam ob ſanguinem vitioſum copulam dictis ſpiritibus multò magis elaſticam & exploſivam præbentem, cujus ratione eoſdem ipſos ſimiliter in ἀπαξίας & orgaſmos adigere potis eſt ; tandem prout idem ſanguis per pulmones trajectus veſiculas eorumdem ſua acrimonia erodere, aut mora & cunctatione & copia diſtendendo rumpere idoneus eſt ; phtiſis pulmonaris excitatur, aut hydrops, ſi ipſe nimis craſſus & grumoſus obſtructiones pariendo ſeroſarum ſanguinis partium tranſudationem & elapſum in thorace, abdomine, aut toto corporis habitu promoveat, quin etiam & paralyſis, ſi particulæ ejus craſſiuſculæ aut lympha paulò viſcidior per laxiores cerebri corticales glandulas una cum ſpirituoſo liquore tranſcolentur, & in canales nerveos deductæ & congeſtæ ſpirituum in partes muſculoſas diſtributioni officiant.

Quibus plurimis Scorbuti conſectariis ſymptomatis (ut multa alia taceam) affectui hypochondriaco communia & in præcedenti capite explanata, ſupervenit ultimò atrophia & maraſmus, ſanguinis & lymphæ corruptorum & ad deperditam partium nutriendarum ſubſtantiam reſarciendam minus idoneorum ordinarius effectus, atque etiam ſpirituum animalium ob labem ipſis a ſanguine communicatam nutritionem non ampliùs actuantium.

Quanquam verò omnia jam recenſita ſymptomata omni Scorbuto plerumque conveniant, quædam tamen ſunt cuique ejuſdem ſpeciei multò magis familiaria & quæ cauſæ à qua producitur varietatem donotant, ſic *acerbus* dictus *Scorbutus* dyſpnœam, præcordiorum anguſtiam, lipothymias, torpores, laſſitudines, ſopores, &c. magis infert. *Rancidus* exanthemata, tubercula, ulcera, vomitus. diarrhœas, ventris tormina, febres, æſtus, vigilias, vertigines, &c. *Acidus* horrores, rigores, frigoris ſenſum, convulſiones, alvi adſtrictiones, metum, triſtitiam, dolores, & cordis palpitationes, ructus acidos, &c. Verùm ille Scorbuti ejuſque cauſarum differentiæ temperamento bilioſo, melancholico, &c. ex victu præcedente atque ex ſex rerum non naturalium dictarum abuſu non minus plerumque manifeſtantur.

Quod ad contagium ſpectat hujus affectus proprium, illud non ſecùs ac in luce Venerea quam plerumque, dum inveteratus eſt, æmulatur, petendum ex ſaliva, aut ſudore atque madore ſummè acribus & erodentibus, ex corpore affecto in ſanum transfuſis, ſive ex baſiorum, poculorum, atque eſculentorum communione : ſive ex linteorum, mantilium, atque induſiorum aut (quod conjugatis Venereumque actum exercentibus peculiare eſt, item nutricibus atque lactentibus) ex mutua partium genitalium totiuſque corporis uberumque & labiorum applicatione, & lactis atque ſeminis infectorum infuſione, ſi mas & nutrix Scorbuto prius laboraverint ; aut pudendi maſculini atquæ papillarum nutricis, ſi ſecus, à labiis vulvæ, necnon infantis in coitu aut ſuctu humectatione ; immiſſa namque quoquo modo Scorbuti præſertim confirmati ſeminia, & per poros cutis, os, mammas, partes genitales, imò & per reſpirationem aere mediante, ſanguinem ſubeuntia, viperæ aut rabioſæ ſolivæ ad inſtar, ſumma qua pollent vi fermentativa ad totam ipſius maſſam ſenſim ſenſimque extenduntur, ſaleſque in eo contentos ſucceſſu temporis exaltantia, ſpirituſque ac ſulphureas tenuiores partes deprimentia aut fugantia, ſimilem ſibi diatheſim eidem conciliant.

In Scorbuto præ cæteris omnibus morbis prognoſis ſemper incerta fuit ; quidam enim paralyſi ab hoc affectu, hydrope, aſthmate veluti ſuffocante, convulſionibus imò atrophia laborantes præter omnem Medicorum ſpem adhibitis convenientibus remediis convaleſcere, & in priſtinam ſanitatem reſtitui viſi ſunt (quod tamen rarum ſemper fuit.) Quidam verò non ita gravibus affecti ſymptomatis mortem vitare non potuerunt. Dicere tamen certò poſſumus morbum hunc chronicum ſemper eſſe, contumacem, & difficilis admodùm curationis, præſertim ſi hæreditarius ſit aut inveterа-

teratus, ita ut non unius, ſed plurium Medicorum oleum & operam magno eorumdem opprobrio eludat. *Auſterus rancido* dicto *acidoque* minus portendit periculum, & incipiens in quaque ſpecie confirmato; in illis ſiquidem maſſa ſanguinea à ſtatu naturali paulò minus recedens facilius corrigi atque immutari poteſt. Quibus labes à ſanguine & lympha in ſpiritus animales & nervoſum genus jam tranſiit, difficilius multò curantur; item & quibus viſcera ſunt admodum labefactata, & hypochondria dura, renitentia, & skirroſa. Scorbutus denique eò periculoſior dicendus, quò plura & graviora infert ſymptomata quò minus vegetæ ſunt & robuſtæ ægrotantis vires magiſque habitualis factus eſt morbus: quòd ſi eidem graviſſimi morbi ſupervenerint, hydrops ſcilicet, phutiſis, maraſmus, febris lenta, paralyſis, de ægri ſalute ferè ſemper conclamatum eſt.

Quandoquidem in hoc affectu depauperata eſt admodum maſſa ſanguinis, & per ſalium minus volatilium aut alchalinorum exaltationem & abundantiam principiis ſuis tenuioribus & magis activis (ut ſupra innuimus) ſpoliata; quia inſuper ſtomachus & viſcera (utpotè infarcta & tenſa) munio ſuo non rectè defunguntur, totus curationis cardo verſari debet circa reſtituendam dicti ſanguinis deficientem πνευμάτωσιν, ſtomachique & viſcerum omnium idioſyncraſiam; hoc autem optimè fiet in genere per attenuantia, diaphoretica, volatila, ſpirituoſa, alchalia, aperientia, chalybeata, martialia, mercurialia, cardiaca, ſtomachica, amara, & digeſtiva, quorum mentio capite de hydrope, obſtructionibus, & affectione hypochondriaca jam ſatis facta eſt, adhibitis prius atque interjectis fotibus, balneis, & potiſſimum clyſteribus atque potionibus purgantibus mitioribus (validiores enim morbum exaſperant) quæ primas vias eluendo aliis medicamentis viam ſternunt, eorumque effectum accelerant.

Quoad venæ ſectionem, ea nonniſi in Scorbuto *rancido* & *ſulphureo-ſalino* locum habere videtur, in quo ſanguis magis æſtuat, tùm etiam ubi ſymptomatis quibuſdam urgentibus hæmorrhagiis putà, vigiliis, febribus inordinatis, viſcerum fervori, &c. quæ aperta vena miteſcere ſolent, aut ipſi plethoræ occurrendum eſt; ea verò ſemper parca manu inſtituenda, ne exhauſtis adhuc magis ſpiritibus, ſanguis magis effœtus evadat, vireſque jam debiles ulterius atterantur.

Adminiſtratis ergo remediis univerſalibus & iis pro neceſſitate & Medici judicio repetitis, præmiſſis etiam initio vomitoriis, ſi ſtomachi repletio, nauſea, ægrique temperamentum & vires aut vomendi facultas ea indicare aut permittere videantur, ad alterantia deveniendum eſt, quæ ſenſim ſine ſenſu maſſam ſanguineam jam corruptam & depravatam reparent, aquoſam, craſſam & fœculentam attenuent, vivificent vigorent, & ſalſam leniant atque temperent, ut dictum eſt in præcedenti affectu, à quo Scorbutus non valde diſcrepat; cum ea tamen cautione ut, ſi morbus à ſalibus ſulphuri craſſo aſſociatis excitetur, lenioribus magiſque temperatis utendum ſit ad ſulphuris efferati reprimendam exſuperantiam. Si à terreſtribus & tartareis particulis cum ſale combinatis, calidioribus, ſulphureis, atque ſpirituoſis, a terreis & abſorbentibus dictis prorsùs abſtinendo. Si à ſale fluorem paſſo acidum ſimpliciter ſanguini diatheſim conciliante, amaris, acrioribus, & ſale alchalino volatili, aut fixo, aut ſulphure tenui abundantibus. His tamen omnibus adjungi ſemper debent quæ huic morbo ſpecificè medentur, quæque ideò *antiſcorbutica* dicuntur, qualia ſunt inter vegetantia naſturtium tum hortenſe, tum aquaticum majus & minus, becabunga ſive anagallis aquatica folio rotundo & longo, cereſolium, fumaria, cardamine, eruca, ſynapi, raphanus ruſticanus, ſalvia, betula, fragaria, chelidonium minus, oxylapatum, halenium, taraxacum, ruta muraria, numularia, angelica, zedoaria, polypodium, hellebori nigri ramenta, abſintium, centaureum minus, chamædrys, ſummitates tamariſci, lupulorum, pini & abietis, &c. qualia etiam ſunt

ex iis expreſſi ſucci & per reſidentiam aut alio quovis modo depurati, aut eorum aquæ ſtillatitiæ, aut ex iiſdem extractum, ſallixivioſum; qualia ſunt inter compoſitiones pharmaceuticas theriaca, diaſcordium, confect. alcherm. & hyacintorum, aquæ antiſcorbuticæ Sennerti, Quercetani, Mynſichti, Vvilliſii, & aliorum, electuarium antiſcorbuticum Scroder. ſyrupus Scelotyrbicus Foreſti; qualia denique ſunt ex Chymicis ſpiritus omnes & ſales volatiles atque fixi & lixivioſi, tincturæ martis & antimon. mercurii variæ præparationes & (ut verbo dicam) omnia remedia quæ in præcedentium affectuum curatione propoſita ſunt, ne quidem exceptis aquis mineralibus frigidis & thermalibus, ipſiſque narcoticis &c. ſi urgentium variorum ſymptomatum mitigationi incumbendum ſit. Quibus omnibus ſi victus euchymus, & aeris ſeptentrionalis, humidi & craſſi in meridionalem ſiccum & purum ventiſque ſalubribus perflatum mutatio acceſſerit, nil aliud ad Scorbuti therapeiam integram deſiderari videbitur.

NOTA.

SCorbutus per eadem illa curari debet quæ in *Affectione Hypochondriaca fuere* relata, ut bene advertit Clariſſ. Auctor: imò medicamenta omnia anti-hypochondriaca dicta, antiſcorbuticorum nomen non minus merentur. Fatemur interim, quòd quandoquidem in Scorbuto confirmato omnia intenſiora ſunt, illi, expugnando, & validiora & copioſiora remedia exquiruntur, quæ inter ea quæ hactenus adducta fuere non difficile fuerit ſeligere, adjectis ſubinde ſpecificis apud Practicos reſperſis, & præcipuè Thoma Vvilliſio, Gualtero Charleton, Theodoro de Maverne, Martino Liſter, Nicolao Pecklino &c. ſatis abundè adductis.

CAPUT XXIX.

De affectibus Meſenterii, & Pancreatis.

MEſenterium, quod eſt pars membranoſa in medio ventris inferioris ſita, & non ſolùm vaſis ſanguiferis, lymphaticis, atque lacteis plurimis commercium à corde ad inteſtina, & ab his ad hepar, aut ad Pecqueti receptaculum, pro corporis œconomia & circulari humorum motu facientibus fulciendis dicata; ſed etiam glandulis multis, quæ lympham fermentativam ſecernunt chylo tranſeunti permiſcendam, atque ipſis etiam inteſtinis colligandis deſtinta, ſuos ut aliæ partes morbos patitur, potiſſimum verò obſtructiones, inflammationem, abſceſſum, ulcus, & ſkirrhum.

Obſtructio meſenterii, quæ rarò ſola eſt, atque etiam skirrhus non aliam requirunt æthiologiam, quàm quæ ſuprà hepatis atque lienis obſtructorum aut induratorum allata eſt; Si namque ſeu craſſior & fœculentior ſanguis, ſeu lympha viſcidior & glutinoſior, ſeu chylus crudior & minus defœcatus aut à lymphæ ipſi occurrentis acidioris mixtione grumeſcens & caſeoſus in vaſis ſuis, quæ hìc minutiſſima ſunt & anguſtiſſima, hæreant & commorentur, vel (quod non ita rarum eſt) turgidæ, induratæ & grandiores factæ ab humoribus craſſis in ſuo ſinu retentis per totam meſenterii ſubſtantiam diſperſæ glandulæ dictorum liquorum motum progreſſivum impediant, oppilationem in hac parte, infarctum & skirrhum excitari neceſſe eſt, quorum cauſæ non admodum diverſæ ſunt ab iis quæ ſplen, jecur, & alia viſcera obſtruere aut indurare ſolent, ac proindè hìc minimè repetendæ.

Inflammatio pariter dictæ partis, ejuſque ulcus & abſceſſus cùm non diſpari ratione, nec à diſparibus cauſis tùm externis, tùm internis, tùm remotis, tùm proximis generentur atque phlogoſes, ulcera, & abſceſſus ſtomachi, hepatis, de quibus antè dictum eſt; in eorumdem æthiologia afferenda non magis immorandum

dum videtur, imò nec in therapeja quæ facilè ex præcedentibus colligi atque erui poſſunt.

Reſtat dictorum morborum diagnoſis, quæ hìc prætermitti non poteſt, per illam enim iidem ab aliis abdomine contentas partes infeſtantibus affectibus (quod Medico neceſſarium videtur) optimè diſtinguuntur. Obſtructio ergo meſenterii ejuſdemque skirrhus, præter ſigna quæ habent cum hypochondriorum obſtructionibus communia, in ſpecie deſignantur; Primò per tenſionem, renitentiam, & duritiem in medio ventre infra ſtomachum & in regione umbilicali manui paulò fortiùs comprimenti atque altius immiſſæ conſpicuam. Secundò per gravitatis ſenſum, dolorem obtuſum in eadem regione, atque etiam quandoque acutum, cùm ſcilicet meſenterii membranæ ob inſignes nervorum plexus valde ſenſibiles ab humorum retentorum copia, aut acrimonia nimium diſtenduntur aut irritantur, qui dolor ad dorſum & lumbeos plerumque extenditur, quia meſenterium iis partibus nexu admodum firmo cohæret. Tertiò per alvi fluxum chylaceum, & fœcum griſeo colore perfuſarum excluſionem, quia infarctum menſenterium chyli diſtributionem impedit, qui proindè unà cum fœcibus excernitur. Quartò per totius corporis emaciationem ſenſim ſenſimque increſcentem, eamque promptiorem aut tardiorem, prout obturatæ magis aut minus chyli viæ eidem ad ſanguinem commeatum denegant. *Denique* per murmura ventris, rugitus, ructus, aliaque ſymptomata hypochondriaco affectui familiaria, utpotè qui ab hujuſmodi obſtructionibus ex parte excitatur atque fovetur.

Inflammatio meſenterii dignoſcitur per febrem, quæ ſtatim non admodum valida eſt, per ſitim non admodum intenſam, quia exilia hujus partis vaſa ſanguifera partis inflammatæ ardorem ſanguineæ maſſæ non niſi lentè & minus copiosè conciliant: hinc quoque & alia accidentia phlogoſes aliarum partium conſequi ſolita in hoc affectu remiſſiora, & minus gravia ſunt, niſi forſan huic vicinarum partium, hepatis puta, lienis, inteſtinorum, ſtomachi, &c. inflammatio (quod plerumque accidit) adjungatur; in quo caſu ſymptomata omnia multò magis ſæviunt, & vehementiora ſunt. Prætereà adeſt doloris & caloris ſenſus in medio ventre, qui tactu profundo manifeſtatur, & à ſanguine inter membranas meſenterii quas divellit, atque diſtendit expanſo & extravaſato, atque fervorem præternaturalem ſubeunte pendet; adeſt etiam idcircò tenſionis & gravitatis ſenſus infra ſtomachum, & propter iſtius viciniam cum parte affecta, anorexia, atque tandem chyloſæ dejectiones, ob intercluſos lactearum venarum canales.

Abſceſſus & ulcus meſenterii difficilis admodum ſunt diagnoſeos, niſi illa dictæ partis inflammatio præceſſerit, quæ ultra tempus ſine ægrotantis morte perſeveret, quod tamen non valde ordinarium eſt, tunc enim indicium eſt tumorem inflammatorium diſcuti & reſolvi non potuiſſe; ſed fuiſſe ſuppuratum atque in pus converſum. Si quæ tamen tam reconditorum affectuum, & qui non niſi per diſſectionem cadaverum pleriſque innotuerunt Medicis, ſigna ſeu potius conjecturæ afferri poſſint; illæ ex dolore, tenſione, gravitate affectæ partis, cibi faſtidio ſine ullo calore & febre præcedentibus, ex magna ſatietate poſt paucum aſſumptum cibum ob ſtomachi pondus meſenterio incumbens, ex febre lenta, & languida ſubſequente, ex vomitu, atrophia corporis, dejectionibus fœtidis, chyloſis, ſanguineis, & rupto in inteſtina abſceſſu purulentis, petendæ ſunt, atque etiam ex abſentia ſignorum alias vicinas partes affectas in ſpecie deſignantium.

Prognoſis horum omnium meſenterii morborum, ut paucis inſtituatur, dicendum eſt eoſdem incipientes necdum confirmatos, aut in totam partis ſubſtantiam extenſos non malè ſemper ominari, & curationem admittere poſſe; periculoſos tamen eſſe, & difficilis curationis, dum præſertim habituales facti ſunt, totumque meſenterium occupant; quan-

quam enim hæc pars ignobilis ratione ſui videatur, quia tamen officiali præ aliis multis munere fungitur, non ſolùm portæ ramos quamplurimos fulciendo ad circularem ſanguinis motum omninò neceſſarios, ſed etiam glanduloſas pleraſque, lymphatica multa vaſa, & omnia chylifera, quorum infarctus, compreſſio, & occluſio ſuccum nutritium toti corpori & ſanguini fermentativum ſubtrahunt, à quibus vita radicaliter dependet, non niſi malis humani corporis rebus, ſi non ſubitò, ſaltem ſucceſſu temporis, affici notabiliter poteſt.

Pancreas meſenterio magis exſangue, vaſiſque ſanguiferis minus perfuſum non ita proclive eſt ad inflammationem, niſi forſan per viciniam, & commercium aliarum partium phlogoſi laborantium; quia tamen corpus eſt glanduloſum conglomeratum ac proindè colatorium, humorem ſeu ſuccum fermentativum acido-ſalſum à ſanguine ſecernens, eumdemque per ductum ipſi proprium in duodenum inteſtinum ad ulteriorem chymi è ſtomacho deſcendentis elaborationem atque fuſionem inſtillans, obſtructionibus atque skirrhis, ut alia corporis colatoria, eſt obnoxium.

Horum cauſas internas & immediatas pete ex craſſitie ipſius ſanguinis, aut lymphæ in eo contentæ viſciditate, atque etiam pancreatici ſucci nimia aciditate, qua affluens in pancreaticis ſubſtantiam humores figere & coagulare aptus efficitur; mediatas verò externas atque procatharticas ex ſex rerum nonnaturalium dictarum abuſu humores dictos ad concretionem in primis viis diſponente.

Dignoſcuntur pancreatis obſtructiones atque ejuſdem skirrhi, ſi ſaltem ſimilibus vicinarum partium affectibus (quod rarum eſt) non adjungantur, ex duritie, tenſione, renitentia ſub ventriculo & circa ejuſdem fundum, ubi pancreas ſitum eſt, manu ſatis fortiter comprimente perceptis, præſertim jejuno ægrotante. Secundò ex ſenſu ponderis in regione inferiore ſtomachi etiam vacui, ſtante præſertim ambulante ægro. Tertiò ex ſatietate poſt levem paſtum. Quartò per cruditates, borborygmos, & ructus, ex defectu aut vitio ſucci pancreatici chylum non amplius elaborantis, eumdemque proindè crudiorem & flatulentum relinquentis petendos. Quintò per reſpirationis difficultatem præſertim ab aſſumpto cibo, propter impeditum diaphragmatis in ſyſtole ſua, ſeu contractione deſcenſum. Sextò per vomitum ſæpius recurrentem ob pylori & fundi ſtomachi à pancreate indurato & tumido compreſſionem. Septimò per totius corporis cachexiam ſuccedentem, ob chyloſeos ac proindè hæmatoſeos defectum. Ultimò per abſentiam aliorum ſignorum quæ partes ipſi finitimas obſtructas, aut skirrhoſas denotant; horum autem pancreatis morborum curationem deprome pariter ex præcedentibus capitibus ubi de obſtructione, & skirrho hepatis, lienis &c. actum eſt.

CAPUT XXX.

De affectibus renum & veſicæ, ac primò de calculo renes, & veſicam occupante, & de dolore nephritico.

LApides in omnibus fere corporis humani partibus generari poſſe teſtantur innumeræ eorumdem in cerebro, lingua, ventriculo, hepate, liene, pancreate, corde, inteſtinis, utero, &c. & potiſſimum in veſicula biliaria repertorum obſervationes: teſtatur quoque quotidiana arthriticorum experientia humores viſcidos, craſſos, tartareos & potiſſimùm ſalinos in ipſis articulis plerumque lapideſcere, & in tophos indurari; ſed quia frequentior dictorum lapidum geneſis eſt in renibus atque in veſica urinaria, ubi calculorum nomine per antonomaſiam inſigniuntur, de his hoc loco, ubi de affectibus renum, & veſicæ agitur, jam nobis tractandum incumbit.

Eſt ergo calculus (ut ab ipſa rei definitione ordiamur) ponderoſum, durum, terreſtre, atque lapideum corpus

ex

ex humore limoſo, fœculento, terreſtri, necnon lymphatico ſeu glutinoſo, ſalium multorum ope concretum, & in renum ſubſtantia, aut in veſicæ cavo genitum, obſtructionem, diſtenſionem, atque lacerationem pariens, undè varia eaque ſæviſſima ſubſequi ſolent ſympto mata quæ ſuo loco recenſebuntur. Dixi in renum ſubſtantia, aut veſicæ cavo generari calculum, neque enim cum quibuſdam opinor ejuſdem rudimentum atque principium ſeu arenam quandam majorem minoremve, vel multiplicem in unum coeuntem in renum pelvi aut ſubſtantia ſemper primò produci & concreſcere, quæ deindè per ureterem in veſicæ capacitatem delapſa corticem accipiat ſucceſſu temporis creſcentem, & ab humoris limoſi ac lymphatici novo affluxu nuclei ad inſtar craſſeſcentem, undè lapillus quotidie augeatur, & in calculum majorem excreſcat; quanquam enim hoc ita continere colligant certi Auctores, ex eo quod in veſicæ calculis, quos viderunt, contritis & fractis nucleos fuſcos & minores cortice majori ſpiſſiori magiſque candido obductos invenerint; vel ex eo quod nullus ipſis veſicæ calculo laborans occurrerit, in quo colica nephritica arenæ ex renibus deſcenſum arguens non præceſſerit; quia tamen à pleriſque aliis practicis contra obſervatum eſt calculos plures fuiſſe è veſica extractos ſine tali nucleo, & in tota ſua mole ſubſtantia uniformes, eoſdemque veſicam jam dudum occupantes nullum renum dolorem ſeu nephriticum præceſſiſſe; quia inſuper nulla eſt vel parum probabilis ratio quæ lapidis in veſicula fellea, ventriculo inteſtinis, pancreate, articulis &c. potius quàm veſica urinaria generationem ſtatuat; quia denique videmus quotidie urinam ipſam in matula plerumque per moram lapideſcere, & in cruſtam gypſeam & argilaceam ipſius parietibus & fundo adhærentem degenerare, calculum in veſica non minus quàm renibus aliiſque partibus prima etiam concretionis ſuæ rudimenta quandoque capere poſſe non immeritò cenſemus. Fatendum tamen eſt in gratiam dictorum Auctorum, utplurimùm, ſi non ſemper & abſolutè, dictum veſicæ calculum, in ſenibus præſertim adultiſque, generationis ſuæ primordia renibus accepta referre, hoc eſt arenas & lapillos minores, & jam induratos ex eorumdem pelvi in veſicam unà cum urina deſcendere, ubi ab humore craſſo, & terreſtri renes ſimul præterlabente, atque etiam viſcido ſalis urinoſi ope concreto incrementum & unionem accipiunt.

Si veſicam calculus occupet affectus dicitur, λιθίασις, ſi renes, νεφριτις, undè & dolor nephriticus ſeu colica nephritica deducitur, quandò ſcilicet deſcendens, & divulſus è carnea renum ſubſtantia obtuſiori ſenſu donata dictus calculus in caput ureteris anguſtioris, & ſenſibilioris, utpotè membranoſi, demittitur, aut ejus canalem ſubit, quem aut mole ſua admodum diſtendit, aut aſperitate ſua dilacerat, ſicque dolores atroces movet colicæ inteſtinali undè nomen accepit, perſimiles, imò plerumque majores.

Huic morbo obnoxii ſunt omnis ætatis homines & omnis ſexus; mares tamen magis quàm fœminæ, non ſolùm ob multiplices in victu commiſſos errores, & vini uſum tartaro abundantis, ſed etiam ob majorem urinarum ſalſedinem, lotii diuturnam retentionem, urinæ viam minus laxam, magiſque compactam, ac proindè limoſos humores magis retinentem renum ſubſtantiam. Inter mares calculoſi magis fiunt tùm in renibus, tùm in veſica, ſenes, & qui hæreditariam ad hunc affectum contraxerunt diſpoſitionem, ob humores quibus turgent viſcidos, tartareos, & lentos, magnamque ſalium à principiorum magis activorum defectu abundantiam, atque inſuper minorem renum & veſicæ ſyſtalticum ſeu expulſivum motum: pueri verò magis calculo veſicæ, quàm renum ſolent laborare, quanquam non valdè frequenter, & in iis plurimum dictus Calculus non in renibus, ſed in veſica accipit concretionis ſuæ principium non minus quàm augmentum; cujus ratio eſſe videtur, quod laxi

puerorum renes limum omnem, & fœcem ſanguinis atque etiam lympham, qua magis abundant, per ſubſtantiam ſuam ductuſque papillares & urinoſos unà cum lotio tranſire facilè permittunt, & ad veſicam mandari, ubi concurrentibus longioribus, quæ ſemper faciunt ob diuturnos ſomnos, minorem veſicæ ſenſum, atque nimiam ad varios jocos attentionem, mejendi intervallis ſubſident tandem ad collum dictæ veſicæ ſeu potiùs fundum, & ad ſe mutuò accedunt limoſæ ſanguinis, & fœculentæ particulæ, eæque glutinoſi humoris ſeu lymphæ portionis cum urinis ſemper deſcendentis, & ſimul etiam ſubſidentis miniſterio conjunctæ, & ligatæ, atque etiam urinoſis ſalibus veluti totidem exiguis palis magis compactæ ſenſim ſenſimque coagmentantur, & lapidis formam induunt.

Calculorum plures dantur ſpecies atque differentiæ, non ſolùm ratione partis quam occupant, ex qua alius dicitur renum calculus, alius veſicæ; ſed etiam ratione numeri, figuræ, ſitus, coloris, molis, & conſiſtentiæ atque compoſitionis; per quæ alius parvus dicitur, alius magnus & craſſus, alius planus, alius rotundus, ovalis, oblongus, quadratus, anguloſus, &c. Alius lævis in ſua ſuperficie, alius aſper, alius ſolidus & durus, alius mollior atque friabilis, alius unicus & ſimplex, alius multiplex, alius cum, alius ſine nucleo; alius demum albeſcens & candidus, alius griſeus, rufus, & fuſcus, alius fluctuans in veſica, & mobilis, alius ſubſtantiæ renum & veſicæ firmiter adhærens; quæ omnes differentiæ parum notabiles, ſaltem quoad ipſam calculi naturam, non aliunde peti debent, quàm ex materiæ calculum componentis varia diſpoſitione, & cum fœculenta bile, lympha, &c. mixtione, ipſiuſque majori, aut minori in hanc, aut illam partem affluxu, congeſtione, atque retentione, vel recenti, aut jamdiu facta partium ſuarum colligatione &c.

Præterea diſtingui etiam debet calculus ab ipſo ſabulo ſeu arena tenuiore, quibus etiam plerique homines obnoxii ſunt, ut totum à ſuis partibus integrantibus: neque enim dictum ſabulum in calculum, qui paulò grandior ſupponitur, ſemper coaleſcit; occurrunt quippè Medicis ſabuloſi ægrotante, qui, etſi materiam calculi copioſam, imò & arenas craſſiuſculas cum urinis profundant, plerumque tamen verè calculoſi non evadunt, quod vel viarum urinæ ſecretioni & excretioni dicatarum amplitudini tribuendum eſt, vel humoris lymphatici ſeu glutinis terrenas partes colligantis defectui, vel minori urinæ tùm in renibus, tùm in veſica moræ, quæ ad lapidis productionem plurimum confert, ut infrà videbimus.

Cauſam calculi tùm materialem, tùm efficientem, diverſam ſtatuunt diverſi Auctores; quidam enim pituitam craſſam & lentam calore renum & veſicæ in gypſeam, atque lapideam commutatam & excoctam afferunt; nonnulli ſuccum lapideſcentem in renibus congeſtum, aut cum urinis in veſicam amandatum, ibique à ſpiritu quodam lapidifico vel calculoſa diſpoſitione inſtar lapidis induratum; alii verò inania calculoſæ diſpoſitionis, ſucci lapideſcentis, ſpirituſve lapidifici in dictis partibus reſidentium figmenta reſpuentes, utpotè quæ rem alioqui ſatis obſcuram breviùs atque minùs explicant, pituitamque & calorem impares generando calculo cauſas reputantes, ob rationes admodum probabiles à Riverio fuſius allatas, ac proinde hìc loci reticendas, aliam calculi materiam aliudve principium efficiens rationi magis congrua ſtabiliunt. Petita ergo ex Chymicis experientia qua vini ſpiritum ſalem acidum involventem, aut ſpiritum nitri acidiorem cum ſpiritu urinæ alchalinum, & volatilem ſalem continente intenſius efferveſcere, & in craſſum ſubindè, coagulum præcipitari conſtat, ſimiles analogoſque in maſſa ſanguinis liquores, ſeu potius ſales ſimul dominantes, aut potius in ipſis urinis imaginati ſunt, qui in ductibus renum, aut eorumdem pelvi, vel etiam in ipſa veſica ſibi mutuò occurrentes lapidem, ſive

cal-

calculum per præcipitationem pariter efficerent.

Verùm etſi modus hic calculi productionem explicandi magis Medicum ſimul, & Phyſicum redoleat, non tamen minus à ſcopo aberrat; quanquam enim humores ſpiritibus vini, aut nitri & urinæ congeneres in maſſa ſanguinea, aut urinis admitteremus, quod merè hypotheticum eſt, ſaltem quoad nitri & vini ſpiritum; ii ſatis ſinceri non eſſent, nec à phlegmate ſuo ſatis liberi & defœcati, ut ſimilem in renibus, & veſica effervescentiam, cujus aliundè nullum apparet indicium, conciperent, ſimileque per præcipitationem coagulum efficerent. Adde quod productus indè calculus ſaliſum potius quàm terreſtre, & lapideum eſſet compoſitum, certamque ſemper magnitudinem haberet, nec ponderoſus eſſet, utpotè particulis ſubtilibus, & ſpirituoſis conflatus, atque multiplex inſuper potius per novum materiæ adventum generaretur, quàm unus, & ſimplex in molem majorem excreſceret, quod experientiæ penitus repugnat; ne quid dicam de lapidum in aliis corporis partibus (ut initio hujus capitis dictum eſt) generatione, ubi ſpiritus urinoſus, aut ut quibuſdam placet, nitroſus & coagulans, atque etiam vinoſus multò minus quàm in urinis vigent.

Rem acu retigiſſe mihi videntur qui pro generando in renibus, aut veſica calculo, ſive pro materia ipſius productionem inchoante particulas afferunt terreſtres & tartareas, quibus non minus, quàm vinum maſſa ſanguinis plerumque abundat, quaſque ex uſu terreſtrium eduliorum, aquæ turbidæ, & ipſius vini craſſioris aliorumve infrà recenſendorum, vel ab ipſo ortu per hæreditariam diſpoſitionem homo contraxit, illæ enim quanquam dum ſanguini confunduntur minus inter ſe uniantur, tùm defectu vinculi, tùm propter motum ejuſdem circularem, & fermentativum à quo agitantur ſimul, & huc atque illuc validè rapiuntur, quando tamen ab ejuſdem alveo ſemel abſceſſerunt, & in canales renum urinoſos, & ſtrictiores urina vehiculum præbente penetraverunt, aut in ipſam pelvim, & veſicæ cavitatem, ubi ſales magis exſuperant, amandatæ ſunt, ad ſe ſe mutuò magis magiſque ſubſidendo accedunt, tuncque viſcidioris lymphæ, quæ etiam continuò quanquam in parva copia cum urina præterlabitur, & hypoſtaſis, ſive ſubſidentia urinarum practicis dicitur; quæque etiam per ſe, & caloris, & frigoris ope concreſcit, glutine conjunctæ & ſalibus quibus ſemper lotium onuſtum eſt veluti totidem implantatis aciculis ulterius compactæ ſenſim ſenſimque ſolideſcunt, & indurantur, concurrente ad hoc opus urinæ paulò diutius retentæ deliquio, ſeu refrigeratione quadam & veluti corruptela, per quod principia ejuſdem conſtitutiva à ſe invicem ſecedunt, ſaliaque fluorem indè paſſa, & terrenis particulis atque lymphaticis juncta minus ſoluta detinentur; atque hinc eſſe exiſtimo, quod calculoſorum urinæ tetram ſemper mephitim exhalent; item & quod plerumque hominum, ne dicam omnium, lotium dum frigeſcit & corrumpitur magis in matula præſertim non lota aut exterſa, lapideam cruſtam faciat, fundo aut parietibus matulæ adhærentem.

Sic ergo concreſcentes ſanguinis tartareæ particulæ, atque ſalium ſpiculis lymphæque filamentis glutinoſis coagmentatæ, prout variis renum aut veſicæ partibus affiguntur, aut fluctuant in iis, & in unam aut plures vices affluxerunt, prout etiam magis aut minus copioſæ ſunt, atque variis aliis humoribus mixtæ, arenas multiformes, & calculum majorem minoremve, eumque unicum aut multiplicem, variè figuratum atque coloratum, mobilem aut adhærentem faciunt. Notandum tamen arenas dictas minoreſve calculos in renum ſubſtantia, atque pelvi potiſſimum & ſæpius generari, undè plerumque, non tamen ſemper (ut ſupra innuimus) per motum & exercitium corporis, equitationem, curru vectionem, aut diureticorum, & emollientium uſum, vel etiam ſpontè, dilatatis nempè ductibus, divelluntur, & cum uri-

urinæ torrente per ureterem, & veſicam rejiciuntur bonis ægri rebus; grandiores verò in veſica urinaria ob majorem capacitatem, ſive hoc fiat per plures arenas & lapillos è renibus deſcendentes, & inter ſe coeuntes, qui deindè à nova affluentes cauſa materiali & in ejuſdem cavitate ſubſidente atque inchoato lapidi inhærente corticem accipiunt, & ob urinæ retentionem magis, ac magis creſcunt, ſive per limum & fœcem ſanguinis vias renum & ureterum facilè permeantes, & in ipſa veſica, juvantibus aliis concauſis, prima concretionis ſuæ principia ſubeuntes, & incrementum deindè per continuum dictarum cauſarum affluxum acquirentes.

Cauſæ calculi antecedentes, occaſionales, & procatharticæ vel materiam calculi reſpiciunt, vel ipſam renum & veſicæ conſtitutionem; propter quam dicta materia facilius congeritur, coagulatur, & lapideſcit. In prima claſſe ponuntur alimenta craſſa, terreſtria, glutinoſa, & ſalſa, ut ſunt carnes bubulæ, vitulinæ, porcinæ, leporinæ, anſerinæ, &c. ut quæ fumo aut ſale conditæ ſunt, piſces ſaliti & oſtrearii, legumina, caſeus, caſtaneæ, pyra, cydonia, meſpilla, panis azymus & ſecalinus, vinum craſſum, auſterum, acidum, & tartareum, vel novum & minus defœcatum, aquæ paluſtres, aut fluviatiles, puteales & fontanæ turbidæ, aquæ petroſæ, & lapideſcentes, tenuioribuſque ſaxorum, undè fluunt, particulis, iiſque in ſuo alveo diſſolutis refertæ, quales pleriſque in locis reperiuntur; cereviſia fœculenta & craſſa, aer pulverulentus inſpiratus, & (ut verbo dicam) ea omnia quæ ſanguinem fœculentum & tartareum ſimul & ſalſum facere apta nata ſunt.

In ſecunda claſſe collocantur infarctus renum quilibet, aut eorumdem infirmatus tonus, laxa & minus ſentiens veſicæ compages, arteriarum emulgentium laxitas & dilatatio, canalium verò urinæ ſecretioni aut excretioni dicatorum anguſtia, & à qualibet alia cauſa facta obſtructio, ſed præ primis inhærens renibus atque veſicæ ex urina paulò diutiùs retenta & per moram putrefacta fermentum quoddam, ſive craſſamentum, quod lotium de novo, & continuò adveniens ſenſim inficit, & ad promptiorem putrefactionem diſponit; undè calculoſam dictarum partium diſpoſitionem ſive innatam, ſive acquiſitam, maxima ex parte pendere arbitror. Ex quibus omnibus ſequitur particularum terreſtrium & limoſarum in dictis partibus retentio, congeſtio, & propter urinæ moram atque corruptelam concretio. Huc etiam pertinent plures aliæ cauſæ maſſam ſanguineam incraſſantes, & ſalinam atque viſcoſam efficientes; crapula ſcilicet frequens, ventriculi cruditates, acidorum uſus, animi contentio & varia pathemata, aliave quam plurima in præcedentibus capitibus enarrata; & ex ſex rerum non naturalium abuſu deprompta, vel renes atque veſicam relaxantes & labefactantes, ut equitatio, ſaltus, balneum, Venus immodica, aquarum mineralium uſus nimius, caſus, ictus, &c. Vel materiam morbificam ad dictas partes fortius, & copioſius propellentes, ut diureticorum præſertim vehementiorum uſus continuatus, vel demùm urinam ipſam corrumpentes, ut aquarum putrium vini cereviſiæ corruptorum potus, aſparagorum eſus urinæ fœtorem, ac proindè putredinem conciliantium, ex qua ultima cauſa contractam à Juris perito quodam lithiaſim notat Helmontius. Quod autem lapidoſa coagmentatio aliis potius fiat in renibus, aliis in veſica, cauſa eſt præcipuè ductuum renalium & urinoſorum, pelvis, atque etiam ureterum anguſtia, aut amplitudo & dilatatio, quibus fit ut arenæ & lapilli, aut ſaltem materia ex qua conflantur in urinæ coletorio retineantur, aut ad veſicæ cavitatem ferantur, item & urinæ in renibus in veſica nimia commoratio, exaltatumque & congeſtum plus minus in alterutra parte ſupra dictum fermentum.

Verum quandoquidem in hoc capite de calculo non ſolùm agitur, ſed etiam de dolore nephritico, qui non ſemper, etſi frequentius, à lapillis, calculis, aut arenis, majoribus & aſperis ureteres &

pel-

pelvim diſtendentibus aut lacerantibus, eo quo ſupra dictum eſt modo excitatur. Aliæ ejuſdem doloris cauſæ hìc etiam afferendæ ſunt; tales habentur grumus ſanguinis craſſior ureteribus impactus, lymphaticus, gultinoſus, aut compactus humor, iſque acrior, pus craſſius & erodens è renibus ulceroſis deſcendens, &c. imò & urina ipſa in veſicam propter obſtructionem ſuorum ductuum aut ejuſdem plenitudinem penetrare non valens, & copia ſua canales membranoſos & ſenſibiles diſtendens, aut acredine atque ſalſedine intenſa erodens.

Calculi renalis ſigna ſunt, primò dolor fixus & ſtabilis in regiones lumborum ubi renes ſiti ſunt, qui remiſſior eſt & gravativus, cùm calculus ſubſtantiam renum carneam occupat, utpotè minus ſentientem, nec ad ipſa divellitur violenter aut dimovetur; intenſior verò, acutus, lancinans, & è renum ſede in pubem ſecundum ureterum longitudinem & proceſſum exporrectus, cùm idem ex renum parenchymate divulſus atque deſcendens in ureteris caput canalemve membranoſum impingit, quem mole ſua diſtendit aut aſperitate dilacerat, ut alibi dictum eſt. Talis dolor etiam in intentione ſuam habet latitudinem atque differentiam & durationem; ſi namque calculus craſſior ſit, anguloſus, & minus lævis, dirè atque immaniter ægros divexat, nec finem tormento imponit, donec in veſicæ cavum protruſus ſit, aut in renis pelvim remeaverit; ſi minor & minus aſper non tam crudeliter torquet; minimè verò omnium, cum ita exilis eſt aut lævis, vel cùm viæ ita latæ ſunt ut diſtentionem in uretere aut irritationem non faciat, in quo caſu innoxiè plerumque citra dolorem notabilem, imò & inſenſibiliter ejicitur.

Alterum calculis renes occupantis ſignum atque ab iiſdem divulſi aut dimoti eſt urina cruenta, quæ talis fit ex ruptis à lapidis incremento, motu, colliſione, atque aſperitate vaſis ſanguineis per ipſorum ſubſtantiam diſperſis, & cruorem proindè effundentibus, qui ſeri continuò præterlabentis copia diluitur, & lotio ruborem plus minus intenſum pro copia ſanguinis effuſi vaſiſque rixim patientis amplitudine conciliat: quanquam verò tale ſignum perpetuum non eſt, & ab aliis cauſis excitari poteſt, aliis tamen adjunctum diagnoſim nephritidis magis certam efficit, & dolorem nephriticum à colica, quocum frequenter confunditur, optimè diſtinguit. Advenit potiſſimùm poſt equitationem, ſaltationem, deambulationem, curru vectionem, per loca præſertim ſaxoſa, & ſalebroſa, aut aliam quamvis vehementem corporis exercitationem calculum è ſede ſua dimoventem, undè carneum renum parenchyma proſcinditur atque laceratur.

Tertium calculi renalis ſignum eſt urina tenuis, limpida, & pauca, ineunte præſertim aut imminente, atque etiam preſeverante paroxyſmone pritico, petenda ex anguſtia papillarium renum proceſſuum, earumdemque à craſſis, limoſis, atque fœculentis ſanguinis & urinæ particulis, quæ unà cum copioſo ſero efluxerunt, obſtructione; qua fit ut quod ſeroſum & tenue in urina eſt & paucum percoletur; imò & urinæ per dictas partes ſecretio interdum ſufflaminatur, cùm ſcilicet ambo renes calculis aut arenis majoribus pluribuſve ſcatent, aut ureteres ambo ab iiſdem divulſis obſtruuntur. Antequam verò paroxyſmus nephriticus adveniat, aut ipſo per calculi arenarumve in veſicam deſcenſum & ejectionem ſoluto, urinæ craſſæ, turbidæ, & limoſum ſedimentum habentes excernuntur plerumque, quia tunc temporis patent magis hiantque renum papillares ductus, ſeu propter relaxationem partium, ſeu propter viarum à lapillis ejectis auctam capacitatem, quos proindè urina cum ſuis fęcibus facilius poteſt permeare.

Quartum ſignum eſt torpor cruris reni affecto reſpondentis, qui quamvis à pleriſque, compreſſo à rene calculoſo, ac proindè magis tumido & ponderoſo pſoæ, cui adjacet, atque incumbit, muſculo femur flectenti & inſigni nervo donato imputetur; meliùs tamen in preſſos ab eadem parte nervos ex interſtitiis verte-

bra-

brarum lumbrarium prodeuntes, & in crus atque tibiam diſperſos refunditur, aut in humores ad renum regionem parteſque vicinas præſertim crurales nervos per dolorem copioſius advocatos, ipſorumque ductum comprimentes, aut etiam fortè in eoſdem nervos renali nerveo plexui in hoc caſu patienti ob viciniam aut commercium quoddam conſentientes, ex quo fit ut fluxus ſpirituum animalium interrumpatur, aut non liberè peragatur, ſicque ſtuporis & formicationis ſenſus in crure excitetur.

Quintum ſignum (quod marium proprium eſt) retractio teſtis ad inguen ejuſdem lateris in quo dolor viget, quæ deſumenda eſt non ſolùm ex irritatione renis, ureteris membranarumque peritonæi inter quas ſiti ſunt, vaſa ſpermatica præparantia dicta, utpotè vicina, teſtibuſque annexa, potiſſimum peritonæi ejuſdem proceſſum ipſique incumbentem cremaſterem muſculum extra abdomen dicta vaſa, & ipſum teſtem inveſtientem in conſenſum & contractionem trahentium; ſed etiam, ſi calculus grandior canalem ureteris occupaverit, ut plerumque accidit, ex ejuſdem per dilatationem inducta brevitate, ſive imminuta longitudine, quo neceſſariò vas ſeminiferum, ſeu deferens & pejaculatorium dictum ſimulque eidem alligatus, ſeu potius continuatus teſticulus ad renem immobilem ejuſdem lateris attrahitur; cùm enim vas ſemen deferens à teſticulo in partem colli veſicæ poſticam, ubi inſeritur, aſcendens ureterem in ejuſdem veſicæ latus implantatum ſuperſcandat, non poteſt ureter retrahi atque decurtari, quin ſimul dictum vas anſæ inſtar ſurſum attrahat, & conſequenter teſticulum. Adde etiam quod interruptus, aut impeditus quoquo modo in cruris muſculos ſpirituum animalium fluxus, ut ex ſtupore colligitur, majorem eorumdem fluxum in nervos, & muſculos vicinos promovere poteſt, ac proindè in cremaſterem muſculum ſua contractione retrahere ſolitum.

Sextum ſignum renum calculi eſt nauſea atque vomitus, quo humores varii, & ingeſta iterùm atque iterùm eructantur, præſertim urgente dolore nephritico. Cujus ſymptomatis ratio non aliundè depromitur, quàm ex conſenſu, & connexione per plures eoſque inſignes ramos pleris nervei renalis cum lienari ſeu ſtomachico, quibus fit, ut ſpiritus animales, qui renibus atque ureteribus impenduntur, inordinationem ſuam atque tumultum, quem à calculo fibras dictarum partium nerveas pungente, lacerante, aut diſtendente accipiunt, (ut in omni dolore accidit) ſpiritus ſtomacho miniſtrantibus concilient, undè ventriculum convelli, & in motum conſtrictivum atque ſubitum, in quo vomitus conſiſtit, adigi neceſſe eſt.

Septimum indicium, quodque diagnoſim morbi certiorem facit, aliis præſertim ſupra dictis adjunctum, eſt arenarum, lapillorum aut ipſius calculi excretio, atque etiam hæreditaria aſcititiave ad hunc affectum proclivitas, quibus innuitur latere in corpore fodinam undè dicta concreta extracta ſunt, aut humores ipſos atque renes ad ea conflanda, nec non componenda maximè aptos eſſe: quare ſi calculus aliàs ab ægro fuerit excretus, aut cum ſupradictorum accidentium ſyndrome arenæ atque lapilli cum urinis exierint in iiſdem ſubſidentes, de calculoſo renum affectu non lævis conjectura inducitur.

His demùm omnibus ſignis adjungenda ſunt alia, etiamſi ex ſe magis æquivocua & minus certa, bullæ ſcilicet in urina natantes, ex Hip. *Aphor.* 24. *Sect.* 7. aut veluti carunculæ parvæ atque capilli ſive filamenta, ex eodem Hipocr. *Aphor.* 76. *Sect.* 4. quæ urinam denotant humore lymphatico & viſcido calculis generandis idoneo onuſtam; item & inflatio totius corporis cachectica, aut partium inferiorum ab humoribus ſeroſis in maſſa ſanguinea reſtagnantibus, nec ſufficienter percolatis, & excretis oriunda; urinæ in veſica atque excrementorum in inteſtinis diuturna retentio ob contractiones ſphincterum veſicæ, & ipſius recti inteſtini, retractionem teſticuli nervorumque meſentericorum irritatio-

tionem consequentes, dysuria demum ob urinæ salsedinem intensam, aut eandem arenis aut sabulo asperiori confusam, undè urethra plurimum in ejusdem transitu irritatur.

Dolor nephriticus à grumo sanguinis excitatus dignoscitur ex urina cruenta, aliis calculum indicantibus signis minimè præsentibus, ex minori doloris intensione atque duratione, aut etiam ex ictu, casu, contusione circa renum regionem. Ab ulcere renum dependens innotescit per purulentas & fœtidas urinas, easque minus mucosas & tartareas, per dolorem fixum, gravativum, & continuum in ipsis renibus, cumque febricula ulcerum internorum comite, atque etiam corporis marcore & siccitate stipatum, aliis quoque calculi signis absentibus. Ab urina demùm diutius retenta & ureteres atque ipsos renes distendente ortum ducens, aut etiam ab humore lymphatico incrassato, &c. ex urinis copioso sedimento eoque viscidio abundantibus, ex temperamento pituitoso dicto, ætate senili aut juvenili, &c. & simul ex absentia supradictorum omnium signorum; aut ex iis quæ præcesserunt, ipsius ægri adstantiumve relatu manifestatur.

Diagnosis verò vesicæ calculi, quæ valde difficilis est ipso exiguo existente, crescente autem & grandiore facilior, petitur primò ex urinæ incontinentia & micturitione perpetua, quæ urinæ admodùm salsæ, aut calculi asperitati vesicæ membranas irritantibus, & ad continuam excretionem incitantibus tribuenda est.

Secundò ex sensu doloris acuti & quasi flammei inter mejendum, ejusdemque adhuc acutioris in fine mictionis, & in glande utpotè sensibiliori magis conspicui, ob dictam lotii intensam salsedinem in extrema urina magis vigentem, & collum vesicæ atque urethram in transitu præter modum stimulantem; sed adhuc magis finiente mictu, quia urinæ fœx limosa quæ acrior est & ipsum involvens calculum, tunc exit, impingentibus deinceps in calculi scabram plerumque & non amplius involutam superficiem contrahentis se fortiter vesicæ membranis.

Tertiò ex summa mejendi difficultate, urinæ stillicidio, aut ejusdem suppressione etiam inter mejendum subitò adveniente, stante potissimùm ægro, quæ calculo plus minus grandi obviam impulso, aut pondere suo vesicæ orificio incumbenti imputari debent.

Quartò ex tenesmo seu frequenti atque inani plerumque alvum deponendi desiderio à consensu recti intestini cum vesicæ corpore & collo valdè irritati per nervorum communionem dependente.

Quintò ex penis pruritu & erectione frequenti, quæ calculi asperioris collum vesicæ & sphincterem ejus titillantis, atque etiam urinæ acrioris diutius retentæ vesicæ sensilis membranas pungentis effecta sunt; indè enim totus urethræ ductus vesicæ continuus in consensum irritationis trahitur & admodum prurit, totumque penis corpus ab advocatis per continuam titillationem atque pruriginem partiumque ipsi continuarum irritationem humoribus atque spiritibus ipsius cavernosa seu nervosa corpora implentibus tenditur, inflammatur, & rigidum fit.

Sextò ex sensu ponderis in perinæo percepto, atque etiam dolore intenso in eadem parte ad minimam titubationem, saltationem, pedumve collisionem, cujus rei ratio ex jam dictis facilè colligitur.

Septimò ex faciliori mictione dùm corpus resupinatum est, quia calculus, si præsertim mobilis sit à vesicæ collo tunc temporis dimovetur, & urinæ exitum permittit.

Octavò ex doloribus nephriticis præcedentibus, atque aliis accidentibus calculum renum designantibus, iisque citra calculi aut arenarum cum urina exclusionem solutis; inde namque conjicitur, aliis potissimùm concurrentibus signi, renum vitium ad vesicam transiisse.

Nonò ex ægrorum anxietate, qua locum atque situm continuò mutare coguntur, & tibias atque crura variè jactare ob

con-

continuam calculi & urinæ veſicam irritantium præſentiam, continuumque, ac proindè moleſtum mejendi atque deſidendi ſtimulum.

Decimò ex parvo aut nullo à remediis adhibitis levamine, ob cauſæ morbum facientis contumaciam, & calculi craſſitiem atque ſoliditatem, qui per urethræ ductum elici non poteſt, nec ullo medicamine diſſolvi.

Undecimò ex humore mucoſo, craſſo, & lento cum urina copioſius excreto; atque ea frigefacta matulæ tenaciter adhærente, ovique albumen referente, qui eſt ipſa calculi materia, ſaltem partialis, ſeu lympha è ſanguine eadem turgente decidua, & continuò cum lotio, in quo diluitur, calido, per vias renum ampliores aut relaxatas tranſcolata, atque deinceps inſpiſſata.

Ultimò & certius dignoſcitur veſicæ calculus exploratione quæ fit per catherterem in urethram & veſicam ſecundum artem immiſſum erecto ægrotante, aut altius ſedente, qui lapidi ad veſicæ orificium lapſo incurrens ultra pelli nequit, duritiemque offert manui catherterem pellenti ſenſibilem: Quia tamen exploratio illa quandoque fallax eſt, cùm ſcilicet calculus veſicæ membranis lateralibus affixus eſt, aut cyſtide atque etiam materia mucoſa & limoſa copioſa involutus, in quo caſu Lithotomi vel maximè periti decipiuntur, ad aliam longè certiorem explorationem confugiendum eſt, quæ fit per digiti longioris in anum immiſſionem, ſic enim non ſolùm calculi præſentia confirmatur, ſed etiam magnitudo, figura aliæve ejuſdem differentiæ plerumque innoteſcunt.

Nephritis, ſi à calculo uno aut pluribus iiſque grandioribus & valdè induratis pendeat, periculi plena eſt, utpotè quæ phlogoſes, ulcera, dolores atroces, vigilias, virium defectionem, aliaque pernicioſa, & ob cauſæ contumaciam immedicabilia ſymptomata infert, præ primis verò urinæ integram aut notabilem ſuppreſſionem, qua cum tres, aut quatuor, aut quinque dies vivere homo non poteſt; & periculoſior adhuc (ut ex ſe patet) cùm calculus multiplex & compactus utrumque renem occupat, aut idem è renum ſubſtantia divulſus & ureterum canali impactus ultra deſcendere non poteſt. Periculoſiſſima demum cum ad plures dies perſeverans nullis remediis levari potuit, & partium refrigeratione, pulſu debili & languido, ſudoreve frigido ſtipata eſt; ex his enim mortis vicinia certò arguitur. Mali inſuper ominis dicenda eſt nephritis calculoſa, ſi non proximè, ſaltem remotè, quoties hæreditaria eſt à parentibus calculoſis contracta, aut in ætate ſenili adveniens, in qua ex Hippoc. *Aphor. 6. ſect. 6. Vitia renum & veſicæ difficulter curantur*. Quæ autem à lapillis minoribus, arenulis friabilibus necdum concretis, aut materia ſabuloſa ortum accipit, nec integræ aut notabili urinæ ſuppreſſioni conjungitur, vel etiam à grumo ſanguinis, mucoſo humore, aliiſque minus gravibus cauſis minuſque contumacibus, quanquam ſuſpecta, non tantùm portendit periculum, nec ita facilè remedia eludit, imò plerumque per craſſarum & ſabuloſarum urinarum vel mucoſarum ejectionem ſolvitur. Quòd ſi ulcus renum notabile aut calculo conjunctum dolorem nephriticum induxerit, de ægri curatione deſperandum eſt, inde namque & febris lenta neceſſariò ſequitur, & inutiliter lithontriptica (utpotè ulcus exaſperantia) adhibetur.

Eadem ferè de calculo veſicæ prognoſis ſtatuenda eſt; nam ſi calculus unicus, admodum exiguus, mobilis atque levis ſit, aut multiplex arena nondum compacta atque conjuncta; ſi materia mucoſa aut ſabuloſa non omninò concreverit; ſi concreta ſoliditatem atque duritiem nacta non ſit; ſi ad hunc affectum proclivis æger non ſit, nec apparatum morboſum in ſe contineat, aut ætatem ſenilem agat, ſtante ſemper plùs minùs mejendi facultate morbus incurabilis non eſt, & per lithontripticorum, diureticorum, ac emollientium atque evacuantium, arenarum, lapillorum aut materiæ tartareæ excluſionem promoventium uſum continuatum curationem atque levamen recipere poteſt; quanquam non ſemper fata votis atque prognoſtico reſpondeant; ſecùs verò de ægri ſalute proximè aut re-

mo-

motè actum eſt: neque enim grandior, affixus, aſper, anguloſus, induratus, in veſica lapis dimoveri, conteri, diſſolvi, aut per anguſtum urethræ canalem eliminari poteſt, in ætate ſenili calculoſave acquiſita aut innata diſpoſitione averti atque præcaveri; undè urgentibus continuo aut renovatis ſymptomatis admodum gravibus, imò per materiæ ſeu cauſæ morbificæ incrementum intenſioribus factis ſuccumbat tandem morbo ægrotans oportet, niſi per operationem Chirurgicam calculo exitum præbentem à perito Lithotomo factam illi promptè ſuccurrantur, quæ quàm ſit non ſolùm dubii, ſed etiam funeſti eventus, præcipuè in maribus, in quibus colli veſicæ ſeu porinæi ſectione peragitur; quàm plena doloris & terroris, frequens probavit experientia; quanquam minimè negandum eſt eamdem plures in extremo verſantes vitæ diſcrimine integræ ſanitati reſtituiſſe; in fœminis verò facilior eſt dicta operatio minuſque periculoſa, quia latiorem habent meatum urinarium, & nulla ſectione, ſed ſola urethræ dilatatione inſtrumento ad id comparato perficitur.

Ad curationem calculi renum methodicè ſimul & rationaliter inſtituendam variis ſatisfaciendum eſt indicationibus, variique tum morbi, tum ægri ſtatus eſt habenda ratio; nam *Primò* viæ dilatari atque relaxari debent, ut cauſa morbum faciens & conjuncta ad exitum faciliorem diſponatur. *Secundò* lapilli, arenulæ, calculi, aut materia ſabuloſa atteri, diſſolvi, atque evacuari debent. *Tertiò* cauſa antecedens revellenda eſt, ſubtrahenda, atque corrigenda. *Quartò* imminentibus aut urgentibus phlogoſi, doloribus, vigiliis, aliiſque ſymptomatis occurrendum aut ſuccurrendum eſt. Ex alia verò parte attendendum etiam, nùm morbus incipiens ſit aut confirmatus; nùm materia ſabuloſa mollis adhuc aut ſolida ſit; nùm æger ſit aut non ſit in ipſo paroxyſmo nephritico; nùm ætatem ſenilem aut juvenilem agat; nùm alios paroxyſmos paſſus ſit annon, perpenſis etiam ſimul aliis genericis, ſpecificis, atque individualibus, quæ in omni morbo ſe offerunt, indicantibus, temperamentum, vires, ſexum, plethoram, &c. reſpicientibus.

Primo ſcopo ſatisfiet, urgente præſertim calculi renalis præſentia, per uſum frequentem clyſterum emollientium, ex decoct. rad. alth. malv. lilior. &c. Folior. malv. biſmalv. parietar. branc. urſin. violar. bet. mercurial. atriplicis, ſenecion. &c. Semin. lini, fœnug. pſyll. malv. alth. Flor. cham. melilot. malvar. ficuum ping. prunor. aliorumque ſimplicium in præcedentibus ſæpius enarratorum, aut ex decoct. capitis & inteſtinorum vervecis, aut ex urina pueri, addita caſſ. pulpa, diaprunо ſimplici & compoſito, diaphœnico, ſale commun. gemm. armoniac. aut ſale prunell. lenitivo, aliiſque fœces alvinas, quæ arenarum, calculorum, aut materiæ calculoſæ deſcenſui ſemper obſtant, pro neceſſitate evacuantibus, reneſque & ureteres in conſenſum irritationis atque excretionis trahentibus, atque etiam mellis variis ſpeciebus; quibus deinceps olea varia ſubſtitui aut miſceri debent; necnon terebinthina Veneta vitello ovi diſſoluta, quæ plurimùm nephritica eſt; imò & ex ipſis oleis puris ſuprà dictis clyſteres calculo renum laborantibus mirè opitulantes quandoque parantur; in doloris verò intenſione injiciendi ſunt qui ſupra capite de colico dolore in pari caſu expoſiti ſunt.

Vias pariter relaxabunt ad faciliorem atque promptiorem cauſæ morbificæ excluſionem fomenta ex ſuprà dictarum herbarum decocto toti ventri atque lumbis ſeu renum regioni calidè applicata, aut ex hydræleo; item & linimenta ex axungiis variis, medullis oſſium; œſipo, unguento de althæa, aliiſve ſuprà dictis; cataplaſmata & veluti placentæ ex herbis emollientibus, præſertim malv. parietar. raphan. cepis & rad. lilior. ad putrilaginem coctis aut in ſartagine frixis &c. atque oleis amygdalar. & ſcorpion. Matthioli irrorata; præ primis verò inceſſus, ſemicupia, atque balnea integra ex aq. ſimplici tepida, hydræleo, decocto emolliente, aut (ſi fieri poſſit) ex lacte, aut oleo, quæ quale quantumve juvamen calculoſis afferant, quotidiana demonſtrat experientia.

Eum-

Eumdem effectum ſortientur, ſi præſertim ea retinere poſſit ſtomachus, juſcula, potiones, ptiſanæ quæ lubricandi atque laxandi facultate donata ſunt, & ex vegetantibus ſupra dictis liquir. præſertim alth. malv. &c. compoſita; aut ex caſſ. & prunor. pulpa in decoct. herbar. emollientium infuſa in quo etiam cenſu reponuntur oleum ſcorpionum, amygdalinum, aliave ſuprà dicta; ſyrupus de althea Fernelii, & ipſa terebinth. Veneta, quæ etiam per os uſurpari utiliter poſſunt.

Quia verò venæ ſectio non ſolùm hanc implet paginam, ob vaſorum quem facit concidentiam; ſed etiam phlogoſim in doloribus nephriticis nunquam non impendentem arcet, aut factam imminuit, aliiſque pluribus occurrit ſymptomatis, ea, modò ætas & vires ferant, minimè omittenda eſt, imò bis, ter, & amplius, ſi plethora adſit & febris, repetenda ex brachio primò & pede reni affecto reſpondentibus, ex aliis verò artubus deinceps.

Materiam morbificam ad renes abundè fluentem potenter retrahent initio præſertim adhibita vomitoria, utpotè quæ glutinoſos viſcidoſque humores in ſtomacho viciniſque partibus ſtabulantes chyloque miſceri ſolitos educunt, ſicque vomitum ipſum nephritidi ſemper conjunctum ſedant, & muſculorum abdominis quam excitant contractione renes, & ureteres ad excluſionem materiæ ſabuloſæ, lapillorum aut arenarum cient; horum materiam ſeu mitius, ſeu vehementius operantem pro neceſſitate ægrotantis, pete ex præcedentium plurium affectuum therapeja, ubi eadem non ſemel ſunt propoſita.

Revellunt quoque cauſam hujus morbi antecedentem, utpotè quæ eamdem ad alvum deducunt, purgantia debito tempore & loco uſurpata, atque identidem repetita; imò & cauſam conjunctam plerumque excutient, ob irritationis ſenſum ab inteſtinis, & potiſſimum à colo reni utrique adjacente ad partem affectam propagatum; illa autem non niſi remiſſione doloris & aliorum urgentium ſymptomatum, & poſt uſum laxantium atque emollientium ægro erunt exhibenda, ne affectum exaſperent, minuſque in partium omnium conſtrictione aut infarctu operentur. Convenient in hoc caſu præ primis ob continuam ægrorum nauſeam purgatio in formam boli, ex caſſiæ pulpa, terebinth. Veneta, diaphœnic. aut diaprun. ſolut. Electuar. diacartham de citro, diagrid. turbith. pulver. jalap. rhab. cum ſale prunel. ſale & cremor. tartar. mercur. dulc. aliiſque ſpecificis infrà recenſendis, aut in formam pulveris pilularum cum gumm. ammon. aloe &c.

Sed quandoquidem neglectis & ipſo morbo & ejuſdem cauſa, dolori intenſo, vigiliis, & vomitui immani ægrum non ſolum remediis, ſed etiam alimento defraudanti plerumque occurrendum eſt, ad narcotica pluries etiam in hoc tractatu antè expoſita confugere debet Medicus præſertim poſt venæ ſectiones, fomenta, clyſteres, balnea, aliave ſuprà dicta medicamenta, niſi ſatius eſſe duxerit eadem (ut dictum eſt ubi de colico dolore) potionibus, juſculis, ptiſanis, aut bolo, pulveri piluliſve purgantibus admiſcere.

Dictis autem omnibus remediis, quæ non niſi ſcenam aperiunt, ſuccedant oportet aut intermiſceantur quæ vias renum reſerant, humorem glutinoſum fundunt, urinas pellunt, ſales abſorbent acidos, & tartarearum partium concretionem impediunt; qualia ſunt diuretica, aperientia, & lythontriptica dicta, atque etiam alchalia, ſpirituoſa, & volatilia, in quorum tamen, præſertim diureticorum, uſu ea eſt ſemper adhibenda cautio, ut gradatim & lentè à mitioribus incipiendo uſurpentur, ne ſcilicet ad partem affectam advocando morbi cauſam & ipſum morbum adaugeant, aut eadem laxantibus & diluentibus miſcenda ſunt, atque etiam demulcentibus, refrigerantibus, ſi adſit humorum acrimonia & ardor urinæ vel febris; horum tùm ſimplicium, tùm compoſitorum non copiam, ſed ſylvam afferunt practici varii tùm veteres, tùm neoterici è ſcriptis eorundem, ſi lubet, evolvendam,

dam, inter quæ ſelectiona ſunt, rad. petroſel. apii, bruſc. gram. aſparag. lapp. major. fragar. ſaxifrag. virg. aureæ, ononidis, bryoniæ, raphan. calcitrap. eryng. rubiæ, tarax. oxylapat. cepæ, allia, lignum nephriticum: Cortices median. fraxin. tamariſc. lauri, geniſt. ſambuc. ſiliquæ fabarum, Cortex Peruvianus. Folia ſaxifrag. pimpin. agrimon. veron. hæder. terreſtr. aq. fænicul. chamœd. leviſtici, centaur. myn. ſiſymbr. equiſet. ſabin. herniariæ, naſturtii utriuſq. cerefol. parietar. cichor. dent. leon. abſint. utric. capill. vener. fragar. ſalviæ. Semina ſeſel. petroſelin. utriuſque, apii, raphani, dauci, violar. urticæ, milii ſolis, cicer. rubr. baccæ alchechengi, nuclei ceraſorum, perſicorum, avellanarum; baccæ juniper. Flores geniſtæ, virgæ aureæ, fabar. lavendul. ſambuc. roriſmarin. cichor. chamomil. hyper. &c. Sanguis hirci præparatus, ejuſve urina calidè hauſta, ſtercus columbinum, ejuſque ſal, pulvis cantharidum cum cautione, quia cauſticus eſt; pulvis millepedum præpar. ſcorpionum bufonum, calcinatorum, eorumque ſal. terebinthina Veneta ejuſque ſpiritus oculi, pulvis, atque ſal cancrorum fluviatilium, eorumque decoct. in juſcul. Spiritus & ſal tartari, ſal armoniac. ejuſque flores & ſpiritus, pulvis & ſal viperin. ſal tamariſc. fraxin. ſiliquar. fabar. ſabinæ abſint. aliarumque ſupra dictarum plantarum ſal volatile urinæ, ſuccini, cornu cervi, aquila alba, martis variæ præparationes, ſpiritus ſalis, & nitri tùm ſimplex, tùm dulcis, cryſtallus mineral. tart. vitriolat. aquæ omnes ſpirituoſæ, atque ſpiritus volatiles, ſucci ſupra dictorum omnium vegetantium, aut aquæ ex iiſdem deſtillatæ, vinum album & defœcatum, aquæ minerales nitroſæ, ferratæ, aut acidulæ, imò etiam & thermales; lixivia ex geniſt. lign. juniper. ſtipitibus fabar. aliiſque ſupra dictis combuſtis parata; aqua calcis limpida, aqua ex nicotian. aut ex ſabina viridibus deſtillata; tartar. nitrat. Mynſicht. tinctura nephritica ſpiritus ſal. coagulat. aliave ejuſdem plurima compoſita nephritica, ſpiritus nephriticus Schroderi, ejuſve aqua & elixir. nephritic. *River. Riform.* Syrupus de raphan. Fernelii, ſyrupus nephrocatarticus Jouberti, electuarium lithontripticum variorum, oxymel diureticum Quercetan. ejuſque antidota nephritica, aqua nephritica Hartmann. pulvis lithontripticus Rolfincii, atque Plateri, ſal lithontripticum Polemanni, conchæ oſtrearum & teſtæ ovorum calcinatæ, lapis nephriticus, lapis ſpongiæ, lapis Judaicus, lyncis, aliaque acidum humorem materiæ calculoſæ coagulatorem abſorbentia. Balſamus ſulphuris terebinthinatus, cochenilia tinctorum, crocus, &c. Ex quibus omnibus tincturæ, juſcula, potiones, ptiſanæ, apozemata, julepi, vina medicata, conſervæ, pulveres, opiatæ, aliaque remedia componi poſſunt: quibus etiam adjungi debent exercitium & motus corporis, equitatio, curru vectio, &c. ad promovendum, ſi neceſſe videatur, calculi renibus, pelvi, aut ureteribus impacti in veſicam delapſum.

Quidam ad hunc affectum tùm ſanandum, tùm præcavendum commendant aquæ tepidæ uſum ad plures dies continuatum; alii decoctum folior. Theæ, ſeu plantæ Japonenſis; alii rhabarbarum & omnia amara, utpotè quæ humores viſcidos, lentos, atque lymphaticos incidere, diſſolvere, acidoſque ſales deſtruere apta nata ſunt; aliis guttas aliquot balſami Orientalis, Peruviani cum oleo amygdalino; alii ſacchari roſati ℥. j. ſingulo mane jejuno ſtomacho ſumendam: aliqui vinum alchecheng. album, ſive ex ejuſdem baccis quamplurimis cum muſto fermentatis conflatum, nonnulli pilulas uſuales ex terebinthina pulvere liquir. & ſacchar. cand. aloe atque rheo paratas: alii hederam terreſtrem in aqua vitæ infuſam; rad. eryng. aut lignum nephriticum in vino decoct. cereviſiam cum ſemine dauci fermentatam; ſem. hyperici pulveratum & cum ſacchar. roſat. duplo aut triplo mane per plures dies devoratum: alli hyrudines vaſis hæmorrhoidalibus admota; juxta Aphor. Hippocratis 11. *Sect.* 6. & alia plura quæ hìc brevitatis cauſa omittimus. Alii ſpongiar. bedegar. ſive cynosbati in ſpiritu vini extractum.

Quod ad curationem prophylacticam ſpectat, quæ non minùs ob frequentem ægrorum ad hunc affectum pronorum recidivum neceſſaria eſt ; ea potiſſimum conſiſtit in phlebotomiis quibuſdam vere & autumno, ſi vires ferant celebrandis, vomitoriis, purgationibus ſuprà expoſitis, ſingulis aut alternis menſibus inſtitutis ; in uſu ptiſanæ aut vini diuretici, terebinthinæ, balneorum, aquarum mineralium atque thermalium, pulverum lithontripticorum, aliorumque jam memoratorum remediorum, quæ etiam extra paroxyſmum nephriticum & quidem tutius uſurpari poſſunt, præ primis verò diæta in hoc morbo religiosè ſervanda eſt, quæ non niſi cibos euchymos & quidem tenuis ſucci admittat, vitando cane pejus & angue glutinoſa omnia, terreſtria, cruda, & falſa, atque (ut paucis multa complectar) ea omnia quæ ſuprà inter cauſas calculi externas aut procatarticas retulimus.

Aliæ doloris nephritici cauſæ aut non tantam requirunt remediorum adminiſtrationem, aut iis quæ ſuprà relata ſunt expurgari poſſunt grumus namque ſanguinis diureticis & aperientibus poſt uſum laxantium atque emollientium excutitur aut diſſolvitur, potiſſimum verò oxycrati uſu, aquarum aut ptiſanarum acidularum, mumiæ, oxymelitis, ſpermatis ceti, trochiſcorum de karabe. Lympha concreta ſpirituoſis, volatilibus, ſalibus lixivioſis, &c. Erodens aut purulentus humor demulcentibus, lacteis, oleoſis, abſorbentibus, hydromelite, & analepticis ; quibus etiam omnibus univerſalia dicta remedia ſemper adjungenda ſunt, non minus quàm balneorum atque narcoticorum uſus, ſi res eadem poſtulare videatur. Urinæ verò in veſica retentio & ab eadem facta ureterum diſtenſio, ſi balneis, fotibus, enematibus, vel phlebotomiis non cedat (neque enim urinas moventia ſeu diuretica hìc locum habere videntur, quia cauſam morbi intendunt) ad immiſſionem catheteris in veſicam, ut urina extrahatur, deveniendum eſt.

Curatio calculi veſicæ, ſi quæ inſtitui poteſt, ea cùm iiſdem intentionibus atque indicationibus nitatur, quæ in calculi renalis therapeia ſunt propoſitæ, non valde diſſimilem poſcit remediorum adminiſtrandorum apparatum ; quædam tamen ſunt quæ ab Auctoribus variis peculiariter in hoc affectu poſt præparantium & univerſalium ſuprà dictorum uſum commendantur, & quorum ſalutiferos affectus experientia non ſemel probavit, in calculo puta nondum concreto & indurato, aut in materię fabuloſæ arenarumve cum urinis congeſtione ; vix enim (ut ſuprà innuimus) credi poteſt ſemel compactum lapidem in veſicæ cavo diſſolvi atque fundi poſſe medicamentis ore ſumptis minus adhuc topicis & externis, ipſiſque injectionibus, tùm ob ſuam ſoliditatem, tùm ob effœtam remediorum vim quæ tantam in primis viis & ſecundis alterationem ſubeunt, ut debilia admodum, & (ut ita dicam) inermia atque inertia ad veſicam & urinas pertingant.

Talia habentur aqua è cepis crudis, aut ex perſicaria & rad. raphan. cum vino albo per deſtillationem elicita & ſingulo mane pota per plures dies continuos ; pulvis millepedum præparat. cum aqua vitæ & jure cicerum rubr. ſal. tartar. in aqua petroſelin. ſolutum, ſpiritus juniper. ſpiritus urinæ, decoctum veronicæ, herniar. betonic. agrimon. ſilicum candentium, aut flor. virg. aureæ ; pulvis eorumdem florum ſiccatorum, ſal ſtipitum fabarum & lixivium ex eorumdem cineribus paratum, ſal vitri ſeu ex quo vitrum conficitur, liquor ex trunco aut ramis craſſioribus betulæ arboris menſe Martio aut Aprili inciſis & vulneratis ſtillans ; &c. Cavendum tamen ne in magno urinæ ardore, qualis calculum veſicæ & renum conſequi ſolet, calidiora & acria uſurpentur, in quo caſu ad emulſionem dilutiorum cum violarum ſemine urinæ ſuppreſſionis ſpecifico remedio, & ipſis lactis aſinini, aut ſeri lactis uſum aquarumve lactuc. portulac. fragorum atque decoctorum refrigerantium & lenientium cum ſyrupo de althæa, violac. nenupharino, papav. alb. &c. poſthabita morbi

bi cauſa ſæpè recurrendum eſt, & ad plures phlebotomias, clyſteres, & fotus refrigerantes, ſi veſica inflammari quoquo modo videatur.

His quoque omnibus remediis urgente potiſſimum aut diu perſeverante urinæ ſuppreſſione, adjungi debet immiſſio catheteris oleo amygdalar. aut butyro inſulſo illiti in veſicam, tùm ut urina redundans evacuetur, tùm ut lapis veſicæ orificio impactus amoveatur, in quo etiam caſu reſupinato ægro ejuſque cruribus elevatis & agitato corpore è ſua ſede dictus lapis, ſi fieri poteſt, decutiendus eſt.

Quòd ſi calculus jam grandior ſit, induratus, & vim omnium medicamentorum eludens, ſi urinæ tantam inferat, aut tam diuturnam ſuppreſſionem, aut tam ſævos dolores, ut ægrum in certum vitæ diſcrimen deducat; ad operationem chirurgicam ſive ſectionem colli veſicæ in maribus & in perinæo factum, ut lapis per vulnus exeat aut extrahatur, confugiendum; modò eamdem ferre ægrotans poſſit, hoc eſt modò corpore gaudeat non valdè cacochymo, non ſenio & morbo confecto, non virium experte &c. quanquam enim hanc clariſſimi Viri ſuſpectam & periculi plenam habeant, gravium tamen & fide dignorum Auctorum decreto atque conſilio ſancitur, & potiſſimùm celebri illa Celſi ſententia; *In præcipiti caſu quandoque fiunt quæ alias eſſent omittenda, & ſatius eſt anceps remedium experiri quàm ægrum morti demittere*. Adde quod experientia plerorumque illam ipſam multis abhinc annis ita commendavit à perito in primis & exercitato Lithotomo inſtitutam, ut funeſtus atque exitialis ejus eventus in corporis ſecandi, veſicæ, humorum, aut ipſius calculi grandioris, aut nimium adhærentis vitium magis, quàm in artem refundi ut plurimum debeat. In fœminis tamen, quia cæteris paribus, facilius ſuccedit dicta operatio, quippè quæ citra ſectionem & ſola meatus urinarii, qui breviſſimus eſt, dilatione perficitur, facilius quoque & ſine tanta cautione atque circumſpectione tantove periculo inſtituitur. Eamdem tùm parvo, tùm magno (ut ajunt) apparatu, celebrandi methodum vide apud Chirurgos qui hoc ſæculo ſcripſerunt quamplurimos, in quibus nihil ad hoc opus debitè exequendum deſiderari videtur.

Medicorum autem hac in parte, eſt ante operationem corpus ægri præparare balneis, fotibus, clyſteribus fœces eluentibus, venæ ſectionibus phlogoſim præcaventibus, purgationibus cauſam antecedentem removentibus atque revellentibus, & in primis diæta conveniente, prout rei ſtatus & ægrotantis requirere videbitur.

NOTA.

PRæter ſimplicia ſpecifica in calculo renum, ab Auctore laudata, probantur, perſicaria, ſemen dauci, radices bardanæ, hedera terreſtris, & præter raphanos vulgares, raphanus ruſticanus, ſeu armoracia, pimpinella ſaxifraga hircina, flores virgæ aureæ pulveriſati, & ad integram drachmam è vino vel juſculo dati, experimento elegantis Barclaii; item flores cyani, & calcitrapæ, ſemen urticæ, bardanæ, hyperici gummi ceraſorum in vino ſolutum; cineres ſcorpionum, & cantharidum ad grana aliquot. Pellicula interna ventriculi pullinacei exſiccata, & pulveriſata, drachmæ pondere ex vino aut juſculo mirè etiam prodeſt. Commendantur & aqua nucum viridium & julorum, ter aut quater exhibita; lapis Judaicus ad drachmam ex ſucco citri, lapis lyncis, calces variæ & alia ſexcenta. Bella ſunt hæc omnia, ſed ne tyroni fucus fiat, obſervandum à lenientibus & vacuantibus ſemper incipiendum, imo ab his nunquam abſtinendum, vino parcendum, venam ſæpius aperiendam tum in brachiis tum in malleolis; balneis & aquis medicatis nitroſis inſiſtendum. Purgantia modò validiora ſint, ut ſpecies benedictæ ad drachmam è juſculo; modò lenientia tantum, ex caſſia, ſero & aliis id genus. Vide Capita de Iſchuria. De calculi autem veſicę curatio-

ne ſine ſectione inſtituenda, vide Sennertum.

CAPUT XXXI.

De Inflammatione & ulcere Renum atque Veſicæ.

INflammatio renum & veſicæ atque earumdem partium ulcus cùm non alio modo excitentur, nec aliam plerumque cauſam continentem agnoſcant, quàm phlogoſis & ulcus ſtomachi, hepatis, &c. de quibus antè dictum eſt, in eorum æthiologia afferenda non eſt, ut diutius immoremur, quippe quæ ex prædictis tota repeti & erui poteſt. Innuere nobis ſufficiet talem phlogoſim exulcerationemve non admodùm frequentes eſſe, niſi forſan in renum & veſicæ calculoſa diſpoſitione & lotii ſuppreſſione; & renes, quia magis carnoſi ſunt, & ſanguine irrigui, quia inſuper arenis atque calculis magis impactis ſcatent, è quorum divulſione vulnus & ulcus plerumque relinquuntur, his affectibus magis quàm veſicam, quæ magis exſanguis eſt, obnoxios eſſe, eademque de cauſa veſicam eoſdem morbos magis in muſculoſa ſua cervice quàm membranaceo ſuo corpore pati ſolere.

Cauſæ utrumque affectum parientes, vel aliis aliarum partium inflammationibus & ulceribus communes ſunt, vel ipſi peculiares: communes petuntur ex infirmitate atque laxitate partis afflictæ, ejuſdem calida intemperie, infarctu, obſtructione, vulnere, ictu, caſu, fervore, copia, & tenuitate ſanguinis, excercitiis immodicis, corporis niſu, equitatione, &c. humorum acrimonia, cibi & potus acriorum atque calidiorum uſu, menſtruorum aut hæmorrhoidum ſuppreſſione, & aliis quæ in capitibus præcedentibus fusè recenſita & explanata ſunt. Peculiares verò ex ſupino decubitu in lecto molliori atque calidiori, ex effrænata Venere, ex calculis aſperis per corporis agitationem commotis atque divulſis, ex urinæ ardore intenſo, ejuſve in dictis partibus diuturna retentione & excaleſactione, ex uſu diureticorum calefacientium, liquorum urinas accendentium aut ſpirituoſorum immodico, ex cantharidum urinis & veſicæ ſpecialiter infenſarum (ut alibi demonſtratum eſt) aut intus ſuſceptione, aut externa eaque iterata potiſſimum juxta veſicæ & renum regionem applicatione; quorum omnium dictas partes inflammandi atque exulcerandi virtus ex ſe nimis patet, quàm ut diffuſa explicatione indigeat.

Deſignatur renum phlogoſis per dolorem in regione lumbari plus minus acutum, ut de hepatitide dictum eſt, prout affectus ſubſtantiam eorum internam ſeu glanduloſam papillaremque, vel externam ſive membranoſam magis occupat, eumque manu laterales ventris partes premente exaſperatum, atque etiam per calorem intenſum ibidem perſentitum, quæ ſymptomata ex diſtenſis multum atque divulſis, à cruore extravaſato, aut etiam excalefactis ab eodem fervorem præternaturalem ſubeunte renum variis partibus deducenda ſunt; quia verò non in ſola renum ſubſtantia coercetur ferè ſemper dicta inflammatio, ſed ad vicinas tùm muſculoſas lumborum, tùm membranoſas abdominis partes propagatur, hinc eſt quod ægri neque ſe erigere, nec in alterutrum latus ſe convertere, nec ob divulſionem partis inflammatæ dorſo affixæ in ventrem decumbere poſſint, ſed ſupini ſemper jacere, & ſi ſternutatio, vomitus, tuſſis, aut alia quævis corporis commotio accidat, dolor in dicto loco ob partis laborantis compreſſionem multum augeatur. Hinc pariter eſt quod excalefactis inteſtinis & viſceribus atque urina renum ſubſtantiam præterlabente, ſpirituumque animalium à dolore & calore exagitatorum inordinatione à renibus ad ſtomachum per communionem nervorum tranſmiſſa, ſitis, urinæ ardor, necnon vomitus huic affectui ſuperveniant.

Præterea adeſt plerumque ſtupor in crure reni inflammato reſpondente, non diſpari ratione qua idem in calculo renum ſuboriri ſolet; urina tenuis eſt & pauca in principio, ob infarctum ac proinde

indè obſtructum aut compreſſum ejuſdem colatorium; quæ deindè & ſucceſſu temporis craſſior atque rubicundior aut ſanguinolenta evadit, propterea quòd tumor magis ſubſidet, & viæ magis liberæ fiunt, & per quas lotium ichoribus ſalſis bilioſis aliiſque à parte inflammata exſudantibus ſanguinis recrementis onuſtum, aut (quod non ita rarum eſt) portione quadam ſanguinis ex ruptis vaſis exeunte tinctum facilius tranſit.

Febris demum aſſidua & acuta eaque ſymptomatica aut eſſentialis hunc affectum, ut & inflammationes alias comitatur, atque etiam vigiliæ, deliria, aliave gravia febrium acutarum conſectaria ſymptomata, propter rationes capite de ſtomachi atque hepatis inflammatione allatas, atque indè repetendas.

Diſtinguitur verò renum phlogoſis ab inteſtini coli, quod ipſis vicinum & contiguum eſt, inflammatione, ex eo quòd illa ad dorſum magis & veſicam extendatur, & in urinis magis ſit conſpicua; hæc autem ad alia inteſtina & ipſum ſtomachum vergat, majoremque afferat dejiciendi difficultatem & in excrementis mutationem.

Quod ad veſicæ inflammationem ſpectat, ea præter febrem, vigilias, delirium, ſitim aliaque renum phlogoſi communia, ex dolore manu premente exacerbato, & calore atque tumore circa pubis regionem percepto dignoſcitur, urinæ ardore & rubore perpetuo, ejuſdem ab occluſo ob tumorem partis lotii oſtio, aut ab infirmato fibrarum muſcularium veſicam conſtringentium tono, inducta ſuppreſſione, & congeſtione totam veſicam inflante; teneſmo ſeu deſidendi cupiditate frequenti à vicinia partis affectæ cùm recto inteſtino dependente, quandoquè etiam alvi adſtrictione, cùm ſcilicet compreſſum aut inflammatum à veſica phlogoſi laborante rectum inteſtinum excrementis exitum denegat.

Ulceris renum atque veſicæ diagnoſis petitur potiſſimum ex puris cum urinis continua & perſeverante excretione, quod eaſdem turbidas & quaſi lacteas atque etiam erodentes, necnon fœtidas efficit, longaque poſt mictionem mora in iiſdem ſubſidet: petitur quoque ex præcedente dictarum partium phlogoſi, quæ minimè diſcuſſa aut reſoluta eſt; ſed poſt ſymptomatum & febris imminutionem (ut aliis inflammationibus accidit) in abſceſſum & ulcus converſa; ex calculis aſperis poſt dolores nephriticos rejectis, ex mictu ſanguineo præcedente, aut eodem ob vaſis ſanguinei novam ruptionem aut eroſionem identidem renovato, ex dolore in pubis aut lumborum regione, mictione frequenti & dolorifica, aliiſque ſolutionem continui hìc aut illic indicantibus; quibus omnibus ſignis accedunt etiam ſucceſſu temporis, præſertim ulcere notabili exiſtente, ob ſanguinis & ſucci nutritii notabilem depravationem, febris lenta & corporis conſumptio.

Diſtinguuntur tamen dicta renum & veſicæ ulcera à ſe invicem, non ſolùm per ſitum doloris atque per ea quæ præceſſerunt hanc aut illam partem affectam deſignantia; verùm etiam ex eo quòd ulcus renum utpote carnoſorum pus copioſius, magis coctum, & urinæ magis mixtum profundat, dilucidaque afferat tùm dyſuriæ, tùm micturitionis, tùm doloris, qui ob minorem partis affectæ ſenſum minus acutus eſt, intervalla; ulcus autem viſicæ, utpotè membranoſæ, exſanguis, & exquiſitiori ſenſu donatæ minorem puris, & defectu moræ crudioris, minuſque cocti copiam ſuppeditet, crebrioremque micturitionem & majorem doloris ſenſum afferat.

Inflammationis renum & veſicæ, quæ notabilis eſt, prognoſis non niſi mala & plerumque funeſta inſtitui poteſt, propter officialem & ad vitam neceſſariam dictarum partium, quæ diù ferias agere ſalvis ægri rebus nequeunt, functionem; hujus confirmationem afferent delirium, convulſiones, urinæ diuturna ſuppreſſio, ſudores frigidi, & extremorum refrigeratio &c. At ſi inflammatio valdè levis ſit, nec valdè gravibus ſtipata ſymptomatis; ſi alterutrum renem tantùm occupet, ſi membranoſam veſicæ partem, minus verò carneam, quæ urinæ

exitum præbet, cervicem, non ita mali ominis cenſenda eſt, ſicut nec cùm eadem in abſceſſum & ulcus minus notabilia degenerans purulentas facit mictiones.

Earumdem verò partium ulcera, ſi extrinſecus excitentur, hoc eſt in externa ipſarum ſuperficie, ſi in corpore ſenili & cacochymo, ſi extenſa ſint & profunda, ſi habitum contrahentia febrem lentam & mataſmum induxerint, ſi calculos plures renibus impactos aut veſicæ affixos eoſque grandiores conſequantur, periculi plena ſunt, neque curationem recipiunt; quòd ſi recentia, interna, nec valdè ampla, in corpore juvenili & minus calculoſo ſuboriantur, minus multo periculoſa ſunt, & curatu minus difficilia.

In tradenda iſtorum omnium affectuum cura non eſt ut multi ſimus, ea quippe non ſolum ex tractatis ante aliis aliarum partium inflammationibus atque ulceribus ferè tota erui poteſt; ſed etiam ex capitibus ſequentibus, ubi de mictu ſanguineo, dyſuria, urinæ ſuppreſſione &c. agetur; neque enim hìc minor locus eſt phlebotomiis pro morbi magnitudine, ægri ætate, temperamento, & viribus celebrandis atque repretendis, emulſionibus, julepis, ptiſanis, atque juſculis acidiuſculis & refrigerantibus, remediis item demulcentibus, detergentibus, narcoticis, fotibus, cataplaſmatis initio refrigerantibus atque repellentibus deindè anodynis & paulò reſolventibus, necnon clyſteribus frequentibus minus acribus minuſque calefacientibus, imò etiam & purgantibus benignioribus, potiſſimum tamarindis, manna, & caſſia, ſale polycreſto, infuſ. roſar. pallidarum & flor. perſicor. eorumdemque ſyrup. &c. ſuo tempore, hoc eſt in morbi remiſſione uſurpatis; non minor quoque locus ulcere renes aut veſicam occupante, poſt univerſalem remediorum adminiſtrationem, diureticis temperatis detergentibus, vulnerariis, quæ antè recenſita ſunt; quibus & calculoſis renibus atque veſicæ ſuccurrentia miſceri debent, ſi indè morbus oriri videatur. Verùm ne remedia, quæ iis affectibus in ſpecie conveniunt, reticeamus, ſicut nec cautiones pro re nata adhibendas, in uſum medicum etiam venire fructuosè poterunt venarum inferiorum, hoc eſt in utroque malleolo ſectio, atque etiam hæmorrhoidalium per hyrudines apertio, cucurbitularum ſcarificatarum in regione lumbari applicatio, clyſterum refrigerantium & anodynorum frequens injectio, aut detergentium & cum ipſa terebinthina vitello ovi diſſoluta; balnea, ſemicupia atque inſeſſus in aqua tepida, ſeri lactis & aquarum mineralium acidularum, necnon thermalium uſus; aut ipſius lactis caprilli aut aſinini, modò tamen eadem remedia aliundè contraindicari Medico non videantur, & ipſa adhibere per febrem liceat; quibus omnibus urinas refrigerantia atque demulcentia, diuretica minus calida ſeu temperata, & in doloris atque vigiliarum pertinacia narcotica ſemper adjungenda veniunt, & dieta reſtaurans.

Notandum tamen eſt in remediorum externorum & potiſſimum cataplaſmatum admotione, non eſſe diu refrigerantibus atque adſtringentibus immorandum, ne cauſæ quæ conjuncta eſt, ſive humorum dictis partibus impactorum diſcuſſio impediatur; ſed promptius ad mollientia, leniter reſolventia, chalaſtica, atque anodyna alibi propoſita deveniendum eſſe, potiſſimum verò cùm partium affectarum tumor foras ſe prodit, in quo caſu præparato ad ſuppurationem humore morbifico cauterio potentiali vel ſcalpello aperiendus eſt dictus tumor, & ulcerum externorum more, habito ſemper ad cauſam antecedentem reſpectu, curandus eſt.

Notandum quoque in renum & veſicæ phlogoſi commendari præ aliis refrigerantibus rad. flor. & ſyrup. nymphææ, ſalem prunell. tertarum vitriolatum ſuccos & ſpiritus acidos, item & ſuccos lactucæ, portulc. endiv. acetoſ. &c. In ulcere verò earumdem partium rad. alth. liquir. ſymphyt. &c. mucilagines varias terebinthinæ & hydromelitis aut hydroſacchari uſum, balſam. Peruvian. aut

ſul-

ſulphur. terebinthinati, necnon decocti herbarum detergentium & vulnerariarum, aut earumdem expreſſorum ſuccorum &c.

Notandum tandem in ulcere veſicæ convenire peculiariter injectiones, primò quidem detergentes ſimpliciter, ex decoct. hord. roſar. flor. hyperici in aqua commun. aut ſero lactis cum pauco melle roſaceo aut ſaccharo; deindè verò conſolidantes ex rad. ſymphyt. ex myrrha, alumine, ſarcocolla in conveniente vehicomuoctis aut diſſolutis; aut ex decocto fol. agrimon. veronicæ, ſcordii, ſaniculæ, bugulæ, pilolel. vinc. pervinc. abſint. &c. cum mell. & ſacchar. aut (quod maximè juvare ſolet) ex dictis Gordonii trochiſcis in lacte diſſolutis; quæ tamen injectiones, ut in cavitatem veſicæ à muſculo ejuſdem ſphinctere exquiſitè occluſam penetrent, immiſſo prius ſecundum artem in urethram cathetere eique ad dictam uſque cavitatem propulſo parva ſyringa aptanda eſt, ſicque injectio ad locum affectum facilè pertingit.

NOTA.

IN ulcere renum & veſicæ, poſt præmiſſa univerſalia, lac aſininum primas tenet, aut ejus defectu lac bubulum, aqua hordei aut decocto ligni nephritici, chinæ, ſaliſæparillæ, lentiſci, dilutum. Præter herbas vulnerarias ab Auctore deſignatas, abſinthium, putà, gentianam, ariſtolochiam, hypericum, centaurium, laudantur herbæ vulnerariæ agri Genevenſis aut montium adjacentium, quales ſunt veronica montana repens, alchimilla, ſanicula, pyrola utraque, angelica montana, hepatica ſtellata, vinca pervinca; quibus additur, ſi ab aperientibus non metuitur, virga aurea. Hæc ſimplicia ſive ex vino, ſive ex aqua aut juſculo propinata, in abſceſſibus aut ulceribus internis aut externis, ut & omnibus vulneribus, & caſu ab alto, magno ſunt in uſu. Poteſt & exhiberi pulvis ex mumia, myrrha, gummi arabico, ſuccino, terra cathechu, corallo rubro, glycyrrhyza, diaphoretico martiali, adita per vices opii portiuncula, grano puta dimidio, aut quarta grani parte pro doſi. Proſunt & juſcula aut decoctum ſeu gelatina viperarum; ut & ſyrupus balſami Tolutani aut Balſami veri.

CAPUT XXXII.

De Mictu ſanguineo.

SAnguis cum urinis effluens eaſque rubro colore plus minus pro ſui copia intenſo inficiens à renum, ureterum, veſicæ, urethræ aut etiam vaginæ & uteri in fœminis, vaſis ſanguineis per anaſtomoſim, rixim, aut diabroſim apertis petendus eſt: atque ideò hujus affectus ſeu mictionis cruentæ æthiologia ex capitibus de vomitu ſanguinis, hæmorrhoidum fluxu, qui morbi ſunt non diſpari ratione excitati, tota depromenda eſt. Quia tamen præter varias, quas iſta cum aliis ſanguinolentis excretionibus communes habet, cauſas, ſanguinis nempe copiam in ſuis vaſis, turgeſcentiam diſſolutionem, acrimoniam, caſum, ictum, inflictum vulnus, ponderis gravioris geſtationem, aut niſum & motum corporis vehementem, aut alia fluxum muliebrem promoventia; &c. quædam ſunt ipſi magis peculiares & ex peculiari vitio dictarum partium dependentes: eas hìc ſilentio prætermittere non poſſumus.

Tales ſunt. *Primò* inflammatio & ulcus, ex quibus vaſorum ſanguineorum ruptio aut eroſio facilè ſequitur. *Secundò* obſtructio & infarctus circulari ſanguinis motui obſtans & officiens, undè etiam vaſorum eorumdem, ruptio aut apertio quandoque ſuccedit. *Tertiò* calculus aſper unus aut multiplex ſive à ſede ſua ubi impactus eſt, divulſus, ſive per motum & corporis exercitium vehemens, renes, ureteres, aut veſicam dilacerans. *Quartò* urinæ copia dictas partes nimium diſtendens, aut ejuſdem intenſa acrimonia illas ipſas erodens. *Quintò* virus venereum per obſcænum concubitum in urethræ tubum immiſſum, proſtata-

rumque & ipſius ductus membranas in maribus ſenſim exedens, & in fœminis uteri collum ſeu vaginam. *Sextò* injectiones nimium detergentes acrioreſve ex vitriolo, collyrio Lanfranci paratæ, & in veſicæ aut uteri canalem aut cavitatem, ad ulceris (ſi quod ſit) deterſionem propulſæ. *Septimò* coitus effrœnatus & immodicus; catheter denique rudiori manu ad calculi explorationem, aut urinæ extractionem introductus.

Diagnoſi mictionis cruentæ nulla opus eſt, utpotè quæ ipſis habetur oculis; cave tamen ne urinam bile atque ſale copioſis ſaturatam & ab iiſdem rubefactam pro cruenta accipias, quod ex madefacto urina linteo, & indè croceum colorem induente tibi planè conſtabit, aut etiam ex rubore ſplendente & perſpicuo, quem tamen ſanguis urinæ mixtus opacum magis aut turbidum facit.

Ejus verò cauſæ ita poſſunt inter ſe dignoſci, ſicut & pars affecta undè manat ſanguis, ſi namque ictus, caſus, vulnus inflictum, ponderis geſtatio, corporis & lumborum niſus, aut ſanguinis copia turgeſcentia, diſſolutio, acrimonia affectum induxerint, ex ægrorum relatu, vel ex habitu plethorico, venarum inflatione, temperamento ſanguineo, ſuppreſſis ſolitis ſanguinis evacuationibus, urgente febre, aut præcedente, aliiſque humorum acrimoniam deſignantibus perſpicuum fiet. Si verò ex ulcere, inflammatione, infarctu, dictarum partium, ex calculo, urinæ copia aut acrimonia; ex Venereo & ſordido concubitu, ex coitu immoderato, ex injectionibus; aut catheteris immiſſione mictus ſanguineus dependeat, per ante propoſita aut alibi proponenda dictorum morborum ſigna, vel ex urinæ ſuppreſſione atque ardore præcedentibus, vel denique ex ægrorum adſtantiumve relatione manifeſtabitur.

Quod ad partem affectam pertinet, ea non ſolùm ex propriis cuique dictarum partium vitio ſymptomatis dignoſcetur, aut ex iis quæ præceſſerunt: verùm etiam ex ſitu doloris regionem renum, uteri, veſicæ, perinæi &c. infeſtantis; atque etiam ex ſanguinis copia plus minus lotio permixta; qui namque è renibus exit copioſior eſt & urina magis dilutus quàm qui à veſica, & iſte quàm qui à meatu urinario; qui autem ex utero & vagina, copioſus quidem eſſe poteſt, ſed non tàm urinæ permixtus & confuſus, imò plerumque grumeſcit, & ante & poſt mictionem fluere non deſinit.

Prognoſim hujus affectus pro copia ſanguinis excreti, morbi diuturnitate, variaque ipſum parientium cauſarum indole, gravitate, atque contumacia variam inſtituere debet Medicus; idcircò copioſus cum urinis excretus ſanguis & mictio cruenta frequens ac perſeverans, niſi illa à fluxu menſtruorum aut lochiorum dependeat, periculum ſemper ſecum adjunctum habent; minus verò cùm ab exigui aut capillaris vaſis ruptione procedunt, modò aliundè gravem cauſam non agnoſcant: Quod ſi ab inflicto vulnere à calculo, ulcere, inflammatione, urinæ ardore, gonorrhœa &c. mictus ſanguinus excitetur, exitum ſuis cauſis alibi jam tractatis aut tractandis proportionatum, hoc eſt plus minus moleſtum habeat neceſſe eſt aut periculoſum.

Curatione mictionis ſanguineæ pro cauſarum ſuarum varietate variandam, & non niſi affectu notabili exiſtente, ſaltem ratione ipſius hæmorrhagiæ in uſum adhibendam hìc auſpicato ſilentio prætermittimus, quippe quæ non tantùm ex therapeia vomitus ſanguinis & hæmorrhoidum fluxus antè tradita repeti poteſt; ſed etiam ex curatione ulceris atque inflammationis veſicæ, renum, uteri fluxus menſtruorum immodici, dyſuriæ, gonorrhœę, calculi &c. quorum plerumque ſymptoma eſt. Innuendum tamen eſt phlebotomiam hìc ſicut & in omni ſanguineo fluxu, modò vires & ætas non repugnent, locum potiſſimum habere, atque etiam refrigerantia acida, & incraſſantia in humorum fervore & tenuitate; demulcentia verò lactea atque narcotica in humorum acrimonia; quibus omnibus adſtringentia conſolidantia alibi deſcripta tum trochiſc. Gordon. & de karabe, de bolo, & alchachengi &c. ſuccedere de-

debent, modò eadem cauſa morbum faciens permittere quoque modo videatur; quæ adſtringentia potiorem adhuc locum habebunt, dum affectus à ruptione ſimpliciter vaſorum ſeu per ictum, caſum, plethoram, aut alia quavis de cauſa, citra calculum aut partium infarctum, ortum ſuum ducet, & imprimis miſtura Sylvii in quacunque hœmorrhagia probatiſſima.

Interim abſtinendum erit à potentioribus diureticis, necnon clyſteribus & purgationibus acrioribus, atque etiam vomitoriis quibuslibet, utpotè quæ ſanguinis fluxum augere atque promovere valent; & ſi evacuandi humores ſuperflui aut noxii Medico videantur, caſſia, rhabarbaro, myrobolanis, tamarindis, manna, Syrup. de flor. perſicor. aut de cichor. cum rheo in decocto ſpecifico utendum; enematiſque anodynis & blandè purgantibus, quibus, deinceps refrigerantia atque adſtringentia, modo alvus pigra non ſit, ad ſanguinis fluxum cohibendum, ob viciniam inteſtinorum cum parte affecta ſuccedere poſſunt.

Aquæ demùm minerales acidulæ, & vitriolatæ, atque etiam thermales, cohibendo ſanguini, renibus atque viis urinariis abſtergendis efficaciſſimæ curam hujus affectus abſolvent; necnon balnea aut ſemicupia, lactis uſus per plures dies, aut etiam oxycrati valde aquei & diluti, ſi ſcilicet ſanguis in partibus retentus grumeſcere quoque modò videatur, adhibendo ſimul extrinſecus fotus & cataplaſmata adſtringentia regioni lumbari & hypogaſtricæ applicanda, & injectiones ipſas conſolidantes & paululum adſtringentes in veſicam aut uterum, ſi ex his ſanguis manaverit, qui aliis remediis non ſiſtatur.

NOTA,

IN urina cruenta valent quæ in aliis hæmorrhagiis. Si à veſica oriatur fiat injectio cum ſucco plantaginis & lapide hæmatite. Exhibetur & idem pulvis per os cum emulſione ſemin. papaver. bombacis, melon, &c. Poteſt & adhiberi radicis hypecacuanæ pulvis balſamo Copayvæ exceptus, qui ſcilicet præter dyſenteriam alias quoque hæmorrhagias ſanare experientia comprobatus eſt.

CAPUT XXXIII.

De Dyſuria, ſeu urinæ ardore.

DYſuriæ nomine dolorificam mictionem, hoc eſt urinæ cum exquiſito doloris ſenſu excretionem hìc intelligimus, ſive illa guttatim & continuato fluxu exeat, ſive copioſius & iteratis vicibus excernatur, ſive voluntariè, ſive involuntariè, quibuſdam urinæ ardor dicitur, ex eo quod lotium à veſica deſcendens & urethram permeans quaſi igneum ſentiatur, ob ſummam ejuſdem membranæ, quæ multò ſenſibilior eſt quàm ipſa veſica irritationem.

Ex his colligitur ſtranguriam ſeu urinæ ſtillicidium, ejuſdemque incontinentiam ſeu fluxum involuntarium (ut pleroſque alios morbos quorum dyſuria ſymptoma eſt taceamus) iſti affectui facilè conbinari, cùm ſcilicet urina ſeu ſtillatim & voluntariè fluens, ſeu paulò copioſius & citra nutum animæ, acris admodum, acida, vel ſalſa eſt, aut arenulis aſperis canalem in tranſitu lacerantibus referta; vel (quod etiam pariter contingere poteſt) cùm eroſus quoquo modo urinæ ductus excretorius lotium, quod ſemper ſalſum eſt & irritans, in tranſitu ſuo vividius ſentit; quia tamen dicti morbi citra urinæ ardorem ſaltem notabilem abſolutè ſtare poſſunt, & ab aliis cauſis exorti alteram curationis rationem ſæpius expoſcunt, hinc eſt quòd eoſdem ad alia capita referamus, ſoli dolorificæ mictioni ſub dyſuriæ nomine incumbentes.

Cauſæ hunc affectum inducentes proximæ ſunt. *Primò* urina ipſa ſalibus nimium imprægnata qui ſpiculis ſuis penis canalem in tranſitu ſuo præter modum ſtimulantes ſolutionem continui doloris parentem inducunt, eamque magis aut minus notabilem pro majori aut mi-

minori urinæ ſalſedine aut aciditate. *Secundò* urina calidior & acrior, id eſt particulis bilioſis acribus plus ſolito ſaturata, ut in febribus pleriſque acutis atque ardentibus accidit, aut in renum & veſicæ phlogoſi; bilis enim præternaturalis atque acrior facta & ſero diluta, dum ad vias urinarias amendatur, non minus valet urethrem inter mejendum irritare & exedere, quàm ipſa inteſtina inter dejiciendum, ut dictum eſt capit. de Dyſenteria & Diarrhœa. *Tertiò* pus acrius urinis permixtum & ex ulcere renum veſicæ aut aliundè derivatum, quod pariter acrimonia ſua urinæ ductum excretorium valet ſtimulare & erodere. *Quartò* & ultimò ſabulum ſive arenulæ ſcabræ & aſperæ cum lotio copioſius rejectæ, ex quorum exitu eroſio dicto canali ſimilirer inducitur.

Cauſæ verò remotæ, externæ, aut procatarticæ quæ utplurimum ex ſex rebus non naturalibus petuntur, ſunt ea omnia quæ ſanguini ſalſedinem aut aciditatem intenſam conciliare, bili acredinem præternaturalem, & in renibus atque veſica materiam calculoſam aut inflammationem, vel ulcus generare apta nata ſunt, & quę hìc memorare non opus eſt, quia in capitibus de Scorbuto, affectione Hypochondriaca, Diarrhœa, Dyſenteria, Calculo, Phlogoſi & Ulcere renum & veſicæ, &c. abundè deſcripta ſunt.

Ex parte ipſius urethrę in maribus, ejuſdemque & uteri colli in fœminis; imò etiam & ſphincteris muſculi urinam retinentis, qui veſicæ colli principium eſt, inter cauſas dyſuriæ pariter debent recenſeri partium illarum eroſio, inflammatio, ulcus, vulnus, ſive à viru Venereo per ſordidum concubitum ſuſcepto dependeant, ſive ab humorum acrium in dictas partes influxu, lotiive præcedente intenſa acrimonia, ſive à calculo paulò craſſiori & aſpero excreto, catheteriſve, aut acriorum injectionum immiſſione, ſive ab ictu, factave per lithotomiam aliiſque modis continui ſolutione excitentur. Laceratum namque quovis modo aut eroſum veſicæ atque uteri collum urina tranſeunte etiamſi in ſua ſalſedine & acrimonia naturæ limites non tranſcendat, plurimùm, ob acquiſitam à ſolutione ſua exquiſitiorem ſentiendi facultatem irritatur, undè dolor inter mejendum exoritur, qui adhuc erit magis intenſus, ſi cum urinæ ductuum ſemel facta ſolutione aliæ ſupra enarratæ & urinæ acrimoniam augentes cauſæ conjungantur.

Morbus hic per ſolum ægrotantium queſtum manifeſtatur, ejus verò cauſæ, quæ multæ ſunt, ſequenti modo debent inter ſe dignoſci. Si bilis copioſior, calidior, acrior lotium erodens atque irritans affecerit, ex iſtius intenſo colore rubro & quaſi flammeo innoteſcet, ex temperamento bilioſo, ex liquorum calidiorum acrium aut ardentium potu, ex præſente aut præcedente febre acuta, ardente, icteritia, phlogoſi renum veſicæ partiumve hypogaſtrio contentarum, hepatis infarctu, atque ex ſex rebus non naturalibus dictis bilis copiam atque acredinem augentibus alibi propoſitis. Si ſales in maſſa ſanguinea exaltati atque in ſero (quod vehiculum illorum eſt) diluti dyſuriam induxerint, ex habitu melancholico, ſcorbutico, hypochondriaco, aliiſque affectibus ſalium proventum aut fluorem deſignantibus; ex minus ſaturato urinæ colore, aut ſaltem minus perſeverante, ex uſu ſalſorum aut acidorum immoderato, & præcipuè ex aliarum cauſarum abſentia notum fiet; ſi demum à calculo, ſabulo, calculoſave diſpoſitione, ſi ab ulcere & phlogoſi partium urinæ ſecretioni dicatarum, ſi à gonorrhœa aut ſuprà dictis cauſis externis urinæ ardor excitetur, per propria horum morborum ſigna, aut per ægri relatum demonſtrabitur.

Moleſtus magis quàm periculoſus per ſe eſt urinæ ardor; attamen ratione ſuę cauſæ facilem aut difficilem recipit curationem, & boni, mali atque pejoris eſt ominis. Sic qui à mera urinæ acrimonia ſeu bilioſa, ſeu ſalſa atque acida ortum habet, modò gravioris morbi ſymptoma non ſit, nec ex valdè depravato ſanguine pendeat, item qui à ductuum urinariorum eroſione quæ à levibus cauſis inducta eſt, ut à viru Venereo ſabulo,

lo, &c. non magnum portendit periculum, contra quàm advenit cùm morbus accidit in ſenio, aut in quavis ætate diutius perſeverat, in ulcere & inflammatione partium, in calculo, in acutis febribus &c. dyſuriam parientibus, in quibus exitus gravitatem cauſæ morbum facientis neceſſario ſequitur.

Curationem dyſuriæ à calculo, inflammationibus & ulceribus ſupra dicti, gonorrhœa, febribus variis, aliiſque quorum ſymptoma eſt, affectibus exortæ, atque remedia ipſi debita quando ſtranguriæ aut lotii incontinentiæ conjungitur, hìc non tradimus, quia ex præcedentibus aut ſubſequentibus facilè erui poterunt. Quæ verò eidem affectui urinæ acrimoniæ ortum ſuum atteſtanti competit therapeja ſic inſtituenda videtur, præſcribendo ſcilicet in bilis acrioris & calidioris redundantia phlebotomias primò ex brachiis, mox è pedibus proplethoræ magnitudine, virium & ætatis ratione, aut inflammationis periculo repetendas; clyſteres ex decocto refrigerante & anodyno, hoc eſt ſero lactis aut ipſo lacte cum rad. alth. liquir. lilior. malv. foliis malvæ utriuſque, portulac. lactuc. plantag. nymphææ, violariæ, ſedi utriuſque, telephii, acetoſ. endiviæ, &c. Seminibus, quatuor frigidis majoribus & minoribus, ſem. papav. alb. lin. fœnug. pſyll. cydonior. Flor. chamomil. melilot. malvæ, trium cordialium, & nymph. caſſia, lenitivo, butyro inſulſo, ol. liliorum, violaceo, lini, amygdalar. dulcium, &c. mell. violac. roſac. & nenupharino &c.

Per os autem exhibenda ægro ſunt ea omnia quæ bilem contemperant ejuſque acrimoniam demulcent, tales ſunt emulſiones ordinariæ, amygdalata, mucilagines ſemin. pſyll. & cydonior. in aq. lactuc. portul. aut nymph. extractæ; julepi, juſcula, decocta ex radicibus alth. nymph. liquirit. ſymphyt. major. malv. carne cucurbitina. citrul. aut melon. eorumque ſeminibus; ex herbis & flor. ſupra dictis, ex aquis ſtillatitiis lilior. papav. alb. rhæad. portulac. lactuc. endiv. &c. cum ſyrupis violaceo, nenupharino, de papav. alb. de limonibus, de granatis acidis, de althæa Fernelii, &c. cum ſale prunell. tartar. vitriolat. ſpiritibus & ſuccis acidis, imò & cum ipſo laudano omnium anodynorum principe. Talia etiam ſunt ſeri lactis & ipſius lactis uſus ad plures dies, ſemicupium aut balneum in aqua tepida, pudendi in lac tepidum aut in decoctum anodynum immiſſio, aliaque non pauca in pleriſque ex præcedentibus capitibus ad bilis ferociam reprimendam commendata; quibus tamen interponi debet ad humorem morbificum ad ſuas vias ſive alvum advocandum, eumdemque redundantem minuendum, purgantium uſus, imò & emeticorum, ſi bilis in ſtomacho & primis viis reſtagnet, non quidem acrium & vehementium, à quibus morbus plurimum exaſperaretur, ſed leniorum & minus calefacientium, ſcilicet pulpæ caſſiæ, tamarindor. mann. rhei. ſenn. myrobalanor. ſalis polychreſt. ſyrup. de cichor. compoſ. infuſ. roſar. pallidar. quæ cum pauca terebinth. Veneta. ſale prunell. aut tartar. vitriolat. &c. pulver. liquir. in formam boli etiam poſſunt præſcribi. Dilutum caſſiæ in decoct. rad. alth. & ſummir. aut flor. malv. cum cryſtall. minerali ad plures dies uſurpatum plurimum quoque commendatur ad humores ſimul purgandos & leniendos: ſed his omnibus adjungenda venit diæta refrigerans & leniens ex carnibus atque juſculis pullorum gallinaceorum, vituli, aliorumque juniorum animalium, ex ovis tremulis, cremore oryſæ, hordeatis, avenatis &c. vitando religioſè vini uſum, piperatorum, acrium, ardentium ciborum, atque liquorum, aliarumque rerum non naturalium bilioſum humorem augentium & exaltantium.

In acrimonia verò urinæ à ſalibus pendente, quanquam omnia ferè citata remedia conveniunt, excepto venæ ſectionum numero, quæ in hoc caſu minus indicari videntur, atque acidorum & ſalſorum uſu, alia iiſdem ſuperaddenda veniunt, oleoſa nempe, ut in calculo abſorbentia & alchalina ſeu fixa, ſeu volatilia; ſcilicet mercur. dulcis, antim.

dia-

diaphoret. corallia, ocul. & pulvis cancror. & cætera hujus naturæ toties in præcedentibus decantata, non neglectis in utroque casu injectionibus ex lacte, aut decocto anodyno parumve detergente in urethram & vesicam, si lubet, immittendis.

NOTA.

IN Dysuria præter ea quæ in Stranguria afferuntur, conducit conserva fl. malv. Prosunt & mucilagines cum decocto alth. extractæ, addito nitri momento. Item recipe grana Sebesten n. x. Infund. in aq. sempervivi maj. q. v. Comedantur grana, & superbibatur infusum. Prodest & serum lactis in quo decocti fuerint flores chamomillæ cyani, calcatripæ. Therebintina cum syrupo violato, pilulæ è myrrha, succino, olibano, sanguine draconis, antimon. diaphoretico, gummi arabico, succo glycyrrhiz. therebinth. except. serpillum calefactum partibus urinariis applicatum dolorem sedare, & urinam promovere traditur. Item pulegium. Aqua lactis distillata, ad capill. vener. & flor. malvæ. Vide & superiora capita de calculo, ut & inferiora de Ischuria, & Stranguria.

CAPUT XXXIV.

De Ischuria, & Stranguria.

DUos hosce affectus sibi valde congeneres, & non nisi secundum magis, & minus inter se discrepantes in hoc capite simul pertractamus, quoniam causas valdè affines habent, nec valdè dissimilem poscunt remediorum apparatum. Est autem ischuria omnimoda urinæ suppressio, cujus duplex ab Auctoribus species statuitur, vera scilicet seu legitima, in qua vesica urinam plerumque ad plenitudinem continente, nulla tamen ejusdem gutta ejicitur, & falsa atque spuria, in qua vacua existens vesica nil habet quod excernat, quia nil in ejus cavitatem à renibus descendit.

Stranguria verò quæ alio nomine urinæ stillicidium dicitur, & quæ hìc citra dolorem meatusque urinarii irritationem consideratur, quacum tamen complicari potest, ut antè dictum est, est imminuta mejendi actio, sive excretio lotii per partes, easque non valdè notabiles, ita ut non nisi stillatim & per guttas etiam magno adhibito conatu effluat, vel paulò copiosius & repetitis ac sæpius iteratis vicibus, vesicam tamen ut plurimum plenam & distensam non sufficienter deplentibus.

Ischuriæ legitimæ atque stranguriæ causæ similes omninò sunt, magis tamen, aut minùs intensæ aut extensæ, sicque urinæ exitum aut omninò, aut maxima ex parte inhibentes. In hoc censu ponuntur primò sensus & motus in vesicæ corpore sive membranis per nervorum ipsi prospicientium paralysim, eorumdemve obstructionem, aut animæ (ut in deliriis phreniticis, maniacis, & melancholicis, &c. accidit) avocationem, spirituumque animalium subtractionem, aut demum per ipsius vesicæ phlogosim aut gangrænam aboliti, vel imminuti; quò fit, ut ipsa vesica ab urinæ contentæ acrimonia vel copia ad excretionem (ut naturaliter fieri solet) parum aut nullo modo stimuletur, motumque ejusdem constrictivum fibræ quibus constat musculares in totum ejus corpus dispersæ inire minus aut nullatenus possint, sphincteriscque vesicæ orificium claudentis musculi resistentiam vincere; sic contingit plerumque in soporosis affectibus iisque in paraplegiam aut hemiplegiam degenerantibus, in quibus spirituum animalium distributio in partes inferiores, & ipsam vesicam parum fit, in deliriis & phrenitide, melancholia, catalepsi, ubi anima idæis suis fortiter affixa, spirituumque motum dispensationem minus determinans irritationes in variis corporis partibus factas non percipit, in infarctu membranarum vesicæ ejusdemve nervorum frigidis viscidisque humoribus scatentium, in vesicæ inflammatione fervido & extrava-

vaſato ſanguine imbutæ, ubi fibræ ejuſdem nerveæ & muſculoſæ relaxantur, comprimuntur, obſtruuntur, frigeſcunt aut inflammantur, urinam vel paucam vel nullam excerni; item & poſt demerſionem moramve diuturnam corporis in aqua frigida, poſt ictum aut contuſionem ſpinæ dorſalis in lumborum regione, vulnuſque profundum ſeu ferro, ſeu plumbeis glandibus per catapultam exploſis inflictum, &c. in quibus ob nervorum veſicæ ſpiritus animales deferentium reſolutionem, adſtrictionem, compreſſionem, aut ruptionem aboletur aut imminuitur dictæ partis tùm motus tùm ſenſus ad urinæ excretionem moliendam omninò neceſſarii.

Altera eorumdem cauſa, & quidem frequentior, eſt urinæ emittendæ præcluſa via, ſive obturatum quoquo modo, vel in ſuo principio, vel in ſuo progreſſu, per quod lotium excerni debet, orificium & ductus urinarius, ſive hoc fiat per tumorem in veſicæ cervice aut ſphincterе muſculo, proſtatis, veru montano, urethra, inflammatorium aut skirrhoſum enatum; &c. ſive per abſceſſum aut fungoſæ carnis ex ulcere excreſcentiam, ſive per calculum veſicæ orificio impactum, aut in meatu urinario hærentem, ſive demum per grumum ſanguinis puriſve aut humoris cujuslibet craſſeſcentis copiam; in iis namque caſibus, aut parcè admodum & guttatim lotium ejicitur, aut nulla ejuſdem excretio fit, prout cauſa veſicæ cervicem uretrhamve occupans & majoris aut minoris molis atque conſiſtentiæ urinæ ductum penitus aut non penitus implet.

Nimia quoque urinæ copia in veſicæ cavitate diutius retenta, ipſamque ultra modum inflans & diſtendens, ſivé ob loci atque temporis non ſatis idoneam ad mejendum opportunitatem congeſta ſit, ſive ob ipſius veſicæ ſenſum plus ſolito obtuſum urinam proindè tardius excernentis, iſchuriam atque ſtranguriam parere apta nata eſt, quatenus muſculares ejuſdem partis fibræ elongatæ nimis & ultra tonum ſuum extenſæ & relaxatæ, unde ipſarum anguſtia & gracilitas ſequitur, ſpiritus animales admittere non poſſunt, nec elaterem ſuum recuperare ad contractionem efficiendam; undè etiam & veſicæ corpus minimè aut parum admodum ad lotium ejiciendum contrahitur, eò magis quò ſphincter muſculus, qui dictarum muſcularium fibrarum antagoniſta eſt, per earum relaxationem magis ſtringitur atque coarctatur: ne quid dicam de muſculis abdominis ad urinæ non minus quàm fœcum excretionem deſtinatis; qui in hoc caſu ob veſicæ intumeſcentiam nimiam contrahere ſe facilè non poſſunt, & quorum paralyſis, inflammatio, vulnus atque præciſio, ſi quandò acciderint, ad ſtranguriam iſchuriamve pariendam concurrere ſuo modo poſſunt.

Meatum denique urinarium ab extrinſeco & per compreſſionem claudere plus minus poſſunt ad iſchuriam ſtranguriamve inferendam tumores partium veſicæ cervici & urethræ incumbentium aut adjacentium, ſic vident ſæpè practici ex inflammationibus uteri ejuſve orificii & colli, inteſtini recti, ſphincteris fœces retinentis, & ipſorum teſtium notabilibus, earumdemque partium skirrhis, aut tumoribus, ex fœcibus duris in recto inteſtino copioſius congeſtis, ex fœtu grandiore utero contento & veſicam prægnantis, ejuſque cervicem comprimente, ex grandioribus hæmorrhoidibus inteſtinum dictum aut anum tumefacientibus, ex tumoribus demum quibuslibet abſceſſibuſque in hypogaſtris & juxta veſicam aut urethram excitatis urinam aut omnino ſupprimi, aut guttatim & parcè admodum fluere.

Nothæ urinæ ſuppreſſionis, hoc eſt quæ vacua veſica & nullam urinam recipiente contingit, cauſa in renibus aut ureteribus quærenda eſt, quorum infarctus, concidentia, compreſſio, aut obſtructio lotii ſecretionem, aut ejuſdem deſcenſum ad veſicam impediunt. Talia verò renum & uterum vitia pendent (ut alibi dictum eſt) vel ab eorumdem inflammatione, ulcere, abſceſſu, vel tumoribus vicinarum partium ipſos comprimentibus, vel à calculis craſſioribus, aut pluribus

are-

arenulis eorum cavitatem & ſubſtantiam occupantibus, vel à grumoſo & concreſcente ſanguine, pure, aliiſque craſſis humoribus, vel ab ipſorum atonia & flaccitie ob renalium nervorum ſolutionem, vel demùm ſecundum primam Riverii centuriæ primæ obſervationem, à ſanguine in renum vaſa per equitationem, curru vectionem, aliaque exercitia renes & lumbos commoventia copioſius irruente, & præ ſui copia infarctuque & diſtenſione renum atque etiam glanduloſorum quibus conflantur acinorum caruncularumque papillarium preſſione indè ſequentibus ieri ſeu urinæ percolationem impediente; qui etiam infarctus, teſtante eodem Riverio ejuſdem centuriæ obſervatione 89. à copioſo ſero in ſuum colatorium affluente, aut ibidem congeſto, ſibique ipſi præ vaſorum diſtenſione exitum & ſecretionem impediente, conſequenter ad magnos & repetitos aquarum mineralium, vini, aliorumve liquorum ſanguinis circulationem promoventium hauſtus, aut poſt urinæ diuturnam retentionem, aut diureticorum potentium continuatum uſum, oriri ſimiliter poteſt.

Hìc venit obſervandum, quod, quamquam ad notham iſchuriam pariendam uterque ren aut ureter affici debere videatur, ut nulla fiat ſeroſi humoris excretio, ut plerumque neceſſe eſt, unius tamen harum partium obſtructio ſaltem integra & perfecta alterius functionem ſeu ſeri ſecretionem non ſtatim, ſed ſucceſſu temporis quandoque abolet, ipſamque in conſenſum trahit, undè urinæ fluxus ad veſicam omninò impeditur, quod certè non alteri cauſæ imputandum eſt, quàm ſupradictæ humorum ſeroſorum ân renem aut ureterem ſanum, qui per alium ſecerni non poſſunt, irruptioni, per quam natura morboſæ partis ferias compenſare ittendit. Sic videre mihi contigit ex tumore magnæ molis & duritiei in infimo ventre & juxta inguen ſiniſtrum ureterem in hoc latere valdè comprimente urinæ ſuppreſſionem integram, cui æger aliundè non erat obnoxius, tandem inductam eſſe.

Obſervandum pariter urinæ materiam ſive ſerum quod ſanguini vehiculum præbet, per febrem ardentem, elodem, &c. abſumptum, aut ad diverſas à renibus partes, ſaltem quoad majorem ſui copiam tranſmiſſum, ut in hydrope accidit & ſudore continuo aut iterato, urinæ ſuppreſſionem quandam inducere poſſe non tamen tantam, ut propriè ſtranguria aut iſchuria etiam notha dici debeat; ſed potius mictio imminuta.

Iſchuria & Stranguria dignoſcuntur à ſe invicem per earumdem ſuprà allatam deſcriptionem; iſchuria autem vera deſignatur ex pondere & tenſione hypogaſtrii, ac tumore circumſcripto veſicæ figuram referente; cujus preſſione dolor, niſi gangræna eidem advenerit excitatur.

Quoad dictorum affectuum cauſas, eæ prout variæ ſunt variis quoque ſignis indicantur; ſic cum ab imminuto aut abolito veſicæ, tùm ſenſu tùm motu conſtrictivo urinæ qualiſcunque ſuppreſſio oritur, ea ex præcedentibus aut præſentibus veternoſis affectibus, variiſque paralyſeos aut delirii ſpeciebus arguitur, ex ictu, vulnere, contuſione in lumborum aut hypogaſtrii regione, ex mora corporis in aqua aut aere frigidis, ex inflammatorio, aut ex ſphaceloſo veſicæ tumore, aliiſque ſimilibus; in quorum omnium abſentia peculiaris veſicæ paralyſis per nervorum ipſi miniſtrantium reſolutionem, aut membranarum ejus infarctum accuſanda eſt, tum præcipuè cùm nulla aliundè in hypogaſtrio ab urina diutiùs retenta & copioſius congeſta irritatio perſentitur, manuque comprimente nullus aut minimus excitatur dolor.

Cùm verò ex clauſis à calculo majori aut minori veſicæ orificio vel collo ſeu urethra morbus dependet, ex allatis præcedentibus calcui ſignis atque ſymptomatis dignoſcitur. Cùm à nimia veſicæ plenitudine & intumeſcentia contractionem ejuſdem impediente, ex diuturna urinæ retentione partiſque tumore ac renitentia. Cùm à grumo ſanguinis aut pure inſpiſſato, ex prægreſſis aut præſentibus mictu ſanguineo, renum

&

& veſicæ ulcere, &c. Cùm à veſicæ phlogoſi aut gangræna, ex ſenſu primò caloris atque doloris cum febre in dicta parte, mox frigiditatis aliiſque dictos affectibus comitantibus, iiſque admodum gravibus accidentibus. Cùm à proſtatarum tumore, ulcere, aut urethræ caruncula, ex præcedente gonorrhœa, dyſuria, aut ex candelæ cereæ in urethram immiſſæ notabili reſiſtentia. Cum tumore vicinarum partium, graviditate nempe uteri ejuſque colli aut recti inteſtini phlogoſi, skirrho, hæmorrhoidibus, &c. ex propriis horum affectuum ſignis. Cùm ex fœcibus induratis in recto congeſtis ex diuturna alvi pigritie aut adſtrictione. Cùm denique ex tumore aut tuberculo in veſicæ cervice aut ſphinctere muſculo enato, quæ cauſa ſatis obſcura eſt, ex abſentibus alias omnes cauſas demonſtrantibus ſignis; atque immiſſi catheteris uſque ad veſicæ oſtium difficili aut dolorifica introductione; cui ſi pituita craſſa & viſcida adhæreat, etiam hujus humoris iſchuriam aut ſtranguriam parientis juſta erit ſuſpicio, ſi præſertim ejus copia in lotio per antecedentem mictionem ejecto deprhenſa ſit.

Notha autem iſchuria ex eo manifeſtatur, quòd nullus tumor, nullum pondus, nulla tenſio nullus à premente manu dolor in veſicæ utpotè vacuæ minuſque affectæ regione percipiatur, nullum per conſequens adſit meiendi deſiderium, nulla veſicæ irritatio, & immiſſo catheteré etiamſi liber canalis aditus reperiatur, nullum tamen lotium per dictum inſtrumentum educatur; contrà verò adſint aut præceſſerint dolores nephritici, ulcus phlogoſis renum & ureterum, undè affectus oritur, atque eorumdem infarctus, obſtructio, vel à tumoribus vicinis compreſſio; aut demum potus largior atque frequentior, quem non ſecuta eſt copioſa mictio, atque exercitia lumborum immodica, plethora, &c. ex quibus vaſorum emulgentium à ſero aut à ſanguine nimia repletio liberam urinæ ſecretionem prohibens potuit contingere, in quorum abſentia renum atonia & paralyſis accuſari poterit, ſi præſertim cauſæ externæ refrigerantes & lumbos contundentes præceſſerint.

Omnis urinæ ſuppreſſio ſive partialis, ſive integra, & hæc magis quàm illa, malè ſemper ominatur, ſi in primis ad aliquod tempus notabile perſeveret: melioris tamen aut pejoris augurii eſt, facilioriſque aut difficilioris curationis, pro gravitate & contumacia cauſæ à qua dependet; undè cùm ab inflammatione veſicæ, gangræna, affectibus ſoporoſis, paralyſi, quæ cauſæ ſunt admodum graves & rebelles ortum habet, periculum non leve portendit: item & cùm à calculo uno craſſiore aut pluribus renes, ureteres, atque ipſam veſicam occupantibus nec facilè dimobilibus, aut tuberculo in veſicę cervica enato, ſauciatiſque lumborum & renum nervis, ipſaque veſica, vertebræ luxatione, proſapiam ducit: minus vero periculoſa eſt cenſenda cùm à mera veſicæ plenitudine, proſtatarum ulcere, grumo ſanguinis, pituita craſſa, tumore vicinarum partium, deliriis variis, & ſero atque ſanguine copioſius in renes irruente, atque etiam carnoſa excreſcentia in urethræ canali ſuborta, modò magnæ molis non ſit; excitatur; quamvis & in his ipſis caſibus ſua duratione ægros in vitæ diſcrimen plerumque adducat; ſerum namque, quòd ſecundum naturæ leges continuo & ſenſim per renum ſubſtantiam ſecerni debet, in venis redundans calorem nativum extinguit, ſanguinis motum circularem remoratur, & in cerebrum aut partes vitales reſtagnans comatoſum affectum & ſuffocationis periculum infert. Atque hinc eſt quòd iſchuria ſeptimum diem excedens, alii dicunt decimum, & eadem proportione ſtranguria, certum homini interitum afferunt, qui fere ſemper magnis cruciatibus atque doloribus, & anxietatibus præceditur, à nimia veſicæ membranarum, aliarumque partium ſenſibilium diſtenſione, cordis & pulmonum oppreſſione, &c. petendis.

In afferenda iſchuriæ atque ſtranguriæ curatione non opus eſt, ut moremur diutius, niſi integram velimus generalemque therapeuticen conſcribere, ei quip-

quippe, ſi notha ſit, & à renum ureterumve calculis inflammatione, ulcere, obſtructione, tumore vicinarum partium, &c. oriunda, debentur remedia quæ ubi de talibus affectibus tractavimus, propoſita ſunt. Si à vaſorum emulgentium ſeroſa aut ſanguinea plenitudine pendeat, larga, & iterata venæ ſectio competit, præſertim ex venis ſuperioribus, vel hydragoga medicamenta cum caſſia & terebinthina, potus abſtinentia, &c. quibus etiam deinceps, & fotus, balnea, cataplaſmata emollientia, enemata frequentia, diuretica mitiora, &c. adjungi meritò poſſunt. Si à renum atonia & eorumdem ſpirituum animalium influxu orbatorum concidentia & denſitate oriatur, aut ſpinæ dorſalis refrigeratione & contuſione, fotus lumborum calefacientes, diſcutientes, ex aq. vitæ, herbarum aromaticarum in vino decoct. juvant, & frictiones cum linteis admodum calidis, necnon balnea aquarum thermalium, earumdemque potus, laconicum naturale aut artificiale, purgationes validiores, vomitoria, enemata acria & calefacientia, volatilium, ſpirituoſorum, imò & diaphoreticorum uſus, & diureticorum potentium, cucurbitulæ ſacrificatæ & veſicatoria regioni renum applicata; cataplaſmata ex ſalvia aliiſque aromaticis, & reſolventibus in aq. vitæ aut vino generoſo decoctis, aliaque plurima paralyſi tùm particulari, tùm univerſali accommodata in ſequentibus recenſenda.

Si autem legitima fuerit urinæ ſuppreſſio, hoc eſt ex veſicæ vitio tùm proprio, tùm communicato contracta, ea pariter prout à variis affectibus ſoporoſis, paralyticis, phreneticis, catalepticis, maniacis, aut melancholicis &c. inducitur; aut ab inflammatione veſicæ, tumentibus hæmorrhoidibus, alvi adſtrictione diuturna, uteri partiumque hypogaſtrio contentarum tumore, calculo, grumo ſanguinis, pituita craſſa, pure, gonorrhœa, caruncula &c. remedia poſtulat ſuis cauſis convenientia, quæ alibi memorata ſunt, aut deinceps memorabuntur, vocando ſimul in uſum (ut in notha iſchuria) enemata, balnea, fomenta hypogaſtrii, cataplaſmata, emollientia, diuretica, purgantia, & potiones julepos, juſcula, mixturas quæ cauſæ morbificæ accommodata videbuntur, atque etiam phlebotomias requiſitas, & ſuppoſitoria veſicam ad excretionem ſtimulantia; in primis verò candelæ tenuis, & cereæ, aut catheteris butyro inſulſo, aut amygdalarum dulcium illitorum immiſſionem in urethram, & veſicam, per quæ, aut urinæ canalis liber fit, aut urina retenta educitur; undè levamen ægro advenit. Cave tamen à catheteris introductione in phlogoſi veſicæ, & urethræ ulcere, undè affectus multùm exacerbatur.

Affectu ex calculo veſicæ orificio impacto pendente æger ſupinus (ut in præcedentibus dictum eſt) in lecto collocandus, elatiſque cruribus, & reclinato capite concutiendus, ut lapis in veſicæ capacitatem relabatur, aut immiſſo catheteré, aut candela calculus in veſicæ cavitatem impellendus; & ſi collo veſicæ tenacius adhæreat, lithotomia auferendus. Quòd ſi lapillus aut arena craſſiuſcula in penis meatum penetraverit, ibique hæreat, ejus eſt promovenda excluſio, tum virgam in aquam tepidam, decoctum emolliens, lac, aut oleum demittendo, & ægrum in ſemicupium mergendo, ut urethra relaxetur, & amplior fiat; tùm digitis impellendo cauſam morbificam, ſeu lapillum, & ad extremum glandem deducendo, ſi fieri poteſt; imò & ejus foramen, ſi minus ſit, ſcalpello ampliando, ut mihi contigit feciſſe bonis ægri rebus: Si verò neque foras extrahi, neque intrò per catheterem impelli mediæ inhærens urethræ calculus poſſit, urgente potiſſimum mejendi neceſſitate, copioſo in veſica congeſto lotio, & adhibitis quibuſvis aliis remediis; tunc ligato ſupra & infra lapillum pene aperienda ſectione inter duas ligaturas inferior membri virilis pars uſque ad urethram, calculoque exempto, atque vacuata veſica ulcus juxta ordinarias Chirurgiæ leges curandum eſt; in fœminis verò ſectione non opus eſt, ut antè notavimus, ſed inſtrumento urethram dilatante, à quo cal-

calculus eidem infixus extrahitur.

Mejendi difficultati ex veſica nimium ob ſuam plenitudinem diſtenſa pendenti ſuccurritur, non quidem diureticis ſaltem potentibus ac ſæpius iteratis, à quibus ob novam copioſioremque ſeroſi humoris in renibus ſecretionem morbus augeretur, ſed per potus abſtinentiam, per phlebotomias ex brachiis revulſionis cauſa celebratas & metu futuræ inflammationis; per clyſteres acriuſculos & ſuppoſitoria, per fotus hypogaſtrii emollientes, aut ex decocto parietar. ceparum, aneth. fœnicul. raphan. raparum, puleg. origan. flor. chamom. & melilot. in vino, aceto aut oxycrato: Per cataplaſmata ex iiſdem ad putrilaginem coctis & ſtercore vaccino parata & oleo ſcorpionum irrorata, &c. Per balnea, ſemicupia, & inſeſſus in aqua tepida, atque etiam frigidiuſcula ad veſicæ conſtrictionem promovendam; modò tempeſtas non contraindicet: Per purgantia mediocria, irritationem ſuam ad veſicam transferentia, & humorum redundantium fluxum ab eadem divertentia, ſeu in formam boli cum caſſiæ pulpa, terebinthino, diagrid. jalap. & aquila alba, &c. ſive in formam potus cum ſenn. rheo, agarico, ſale polychreſto, pulpa caſſ. mann. ſyrup. purgantibus; per compreſſionem hypogaſtrii in mictionis conatu, ſive manu, ſive commodis ſubligaculis factum; per irritationem ipſius meatus urinarii à granulo, ſalis aut cryſtal. mineral. indito; denique per immiſſionem candelæ cereæ, caulis junci, & ipſius catheteris à perito Chirurgo factam.

Cùm fœtus grandior atque ponderoſior urinæ ſuppreſſionem invehit, imperandus eſt gravidæ decubitus in lecto elevatis potiſſimum cruribus atque clunibus, ad hoc ut veſica ejuſque ductus à compreſſione liberentur, & in eo ſtatu multo facilius lotium fluit, adhibitis præſertim, ſi neceſſe videatur, aperientibus, necnon diureticis, atque etiam fotibus, cataplaſmatis & ſuppoſitoriis ſuprà dictis, imò etiam & clyſteribus, qui in hoc caſu multò minus acres minuſque copioſi ratione graviditatis injiciendi ſunt.

River. Riform.

Cùm peculiaris veſicæ paralyſis aut gangræna incipiens lotium in ejuſdem cavitate retinet, adhibenda ſunt in uſum eadem remedia quæ renum atoniæ atque reſolutioni conferre dicta ſunt, hypogaſtrio & lumbis admovenda, in quo etiam caſu injici, mediante catheteræ in veſicam fructuosè poſſunt, ad ejuſdem calorem aut ſpiritus ſuſcitandos; decocta herbarum calefacientium, aromaticarum, & nervoſo generi proſpicientium, & potiſſimum ſcordii, abſinth. ſalviæ, roriſmarin. lavendul. cum pauca aqua vitæ, ſpirit. vini camphorat. tinctura myrrhæ: &c. ſed ea irrita plerumque ſunt, non minus quàm in tuberculo in veſicæ cervice genito, quod curam non admittit, nec magnum levamen, niſi fortè ab immiſſione catheteris veſicam ad tempus vacuantis.

Denique cùm à caruncula ſeu carnea fungoſave excreſcentia in meatu urinario conſequenter ad ejuſdem exulcerationem (ut quandoque accidere poteſt) enata pendet urinæ ſuppreſſio, ipſius conſumptioni (quantum in arte eſt) incumbere debet Medicus exercitati hac in re Chirurgi manu adjutus; tùm verò quamprimum fieri poteſt, & antequam caruncula in mole ſua augeatur, ad ejuſdem accretionem impediendam, liberumque ſervandum canalem immitti frequenter debet in urethram candela cerea oleo amygdalar. dulcium illita, aut baccillus plumbeus, ibidemque ad tumoris preſſionem aliquandiu detineri; aut ſi hoc non ſufficiat, ſummitati candelæ dictæ uſque ad carunculam pellendæ apponi aut intimè miſceri debent catheretica ſive exedentia benigna, qualia ſunt viride æris, à lumen uſtum, vitriolum calcinatum, pulvis ſabinæ, mercurius præcipitatus ruber &c. ut per frequentem illius immiſſionem atque tumoris contactum tuberculum ſenſim abſumatur. Cavendum tamen ne veru montanum, quod non longè à proſtatis, ubi caruncula utplurimum generatur, inter duo foramina ſemen ex veſiculis ſeminariis in urethram fundentia paululum eminet, quodque intruſæ candelæ

plerumque parum reſiſtit, pro dicta caruncula multò magis renitente & urethram implente habeatur. His autem inſuper remediis ab extra venientibus adjungenda ſunt, & quidem in ipſo tuberculi ortu, phlebotomiæ, purgationes, &c. aliaque humores à parte affecta revellentia, atque etiam repellentia perinæo extrinſecus admovenda, imò & deinceps diuretica atque detergentia ſatis valida, quæ canalem urinarium per frequentem mictionem abradendo fungoſæ carnis excreſcentiam aut incrementum impediant.

NOTA.

IN Iſchuria ferè omni poſt præmiſſum clyſterem à venæ ſectione incipiendum, & quidem ex utroque brachio ſi æger ſit plethoricus; & poſtmodum exhibenda purgantia primò cum ol. amygdalarum d. mixta & pulpa Caſſiæ, tum ad fortiora deveniendum quæ præter alvum veſicam etiam, propter conſenſum, cum inteſtinis ſtimulant. Exinde ad venæ ſectionem ex malleolo deveniendum; non negle-ctis interea externis lenientibus & mollientibus, ſemicupiis, fotibus, embrochis, cataplaſmatibus &c. Tandem diuretica uſurpanda, qualia in capite de calculo renum deſcripta ſunt.

Si Iſchuria ab obſtructis nervis pendeat, prodeſt decoctum pulegii, calaminthr. utæ, caſtorei, & ſimilium, tum in veſicam injectum, tum per os exhibitum; fotus etiam & clyſteres ex eadem materia, addendo clyſteribus therebinthinam, ol. ſcorpionum, hyperici, juniper.

Si urina ab extenſione nimia veſicæ ſuppriматur faciunt fotus è parietaria, camomilla, anetho, meliloto, ſemin. lini, fœnigr. pulegio, origano, radici. lilior. Item cataplaſma ex cepis, quarum & ſuccus cum ol. nucum veteri & vino albo maximè commendatur. Laudatur & cataplaſma raporum, & naſturtii.

Si grumus ſanguineus uretrham in ſuo principio occludat, præter ea quæ ſanguinem congrumatum, interius ſumpta reſolvunt, externè expertum eſt remedium ſtercus bovinum recentiſſimè excretum, pudendo, perinæo, & locis vicinis applicatum. Quod ſi recens deficiat utere ſicco oleis appropriatis admixto.

Si penis aut collum veſicæ intumeſcant, prodeſt becabunga cum fl. camomill. inſtar fomenti aut cataplaſmat. applicat. Quorundam dicitur experimentum, ut ægro inſcio, immittantur pedes ejus in aquam calentem, ſic enim terrefactum urinam ſubitò reddere aſſerunt.

Ubi puris ſuſpicio & ulceris, conveniunt vulneraria &c. detergentia. In materia viſcida probatur ſuccus limonum ad ℥ iij. vel iv.

In ſtranguria conveniunt glycyr. alth, portulaca, ſonchus levis, fl. viol. & ſemen, fl. nymph. camomill. fructus alkek. ſem. frigida maj. bombacis; pineæ, piſtacia; cortices arantiorum & earum oleum potiſſimum in ſtranguria à cauſa frigida aut cruditate, quo in caſu nux myriſtica & ol. ſuccini ad guttas aliquot laudantur.

Decoctum raparum ſpecificum eſt, ut & baccarum alkekengi cum paſſulis, & balſam. Peruvianum ad ℥ j.

Stranguriæ à cruditatibus medentur vina generoſa in quibus ſilices excandefacti & pluries extincti ſunt; item oculi cancri, lixivium ex teſtis ovorum cum vino, ſal ſtipitum fabarum & tartari, tinctura tartari, & borax ad ℈ j.

Laudatur & in omni ſtranguria ſpir. tartari, & ſuccus cancrorum fluv. cum aq. appropriata vel vino; ſic cum emolumento raphani contuſi decoquuntur in vino, vaſe optimè clauſo, & his bullientibus apponitur ſella perforata cui æger inſidiendo fumum excipit.

Alii eadem de cauſa permingunt cineres calidos. Injectio fit ex lacte chalybeato, ol. amygd. d. &c. Vide & caput de calculo.

CA-

CAPUT XXXV.

De Urinæ incontinentia.

GEnerico urinæ incontinentiæ nomine omnis involuntarius lotii fluxus intelligi debet, ſive ille per irritationem & contractionem fibrarum veſicæ muſcularium ſphincteris muſculi eamdem claudentis atque urinam retinentis reſiſtentiam vincentium excitetur ; ſive per dicti muſculi reſolutionem, debilitatem, & laxitatem, nervorumque ipſi proſpicientium obſtructionem, compreſſionem, aut præciſionem adveniat ; ſive urina affatim magis, abundè & per vices emittatur, quod rarius eſt ; ſive continuo, ſtillatim, atque guttatim, quod frequentius ; ſive inter vigilandum, quod gravius ; ſive inter dormiendum tantum, quod levius eſſe conſuevit: his namque omnibus modis ſerum ſanguinis in renibus ſecretum & ad veſicam amandatum citra nutum animæ atque voluntatis imperium à corpore ejici poteſt : Sic videmus pueros lactentes, in quibus urinæ copia potius quàm acrimonia veſicam ad conſtrictionem ſtimulat, & in quibus ſphincter laxus eſt atque debilis, calculoſos item atque ſabuloſos, aut urinam admodum ſalſam & acrem habentes, in quibus veſica ad continuam contractionem incitatur; decrepitos demum pleroſque, paralyticos atque in regione lumborum contuſos & vulneratos, unde nervi ſpiritus animales ſphincteri deferentes oriuntur, & in quibus proinde debilis admodum aut reſolutus eſt muſculus veſicæ oſtiarius, mictum ſæpe ſæpius retinere non poſſe; videmus pariter emitti lotium præter voluntatem, non ſolùm à vigilantibus, ob ſuprà dictas cauſas ; ſed etiam à dormientibus, hoc eſt per ſomnum tantùm.

In hoc autem ultimo caſu cauſa triplex accuſari poteſt ; debilitas ſcilicet ſphincteris veſicæ, atque fibrarum eumdem componentium relaxatio quædam, ſive illa ex flaccida ejuſdem ſtructura atque frigida & humida intemperie proveniat; ſive ex indebito atque inſufficienti ſpirituum animalium ob ramorum quorumdam nerveorum obſtructionem influxu hac namque fit, ut muſculus, qui per diem atque vigilias vaſicæ collum ſtringere & urinam retinere valet, quia in ipſum ſpiritus animales majori copia tunc influunt, nimiam ejus laxitatem ſufficienter firmantes ; per noctem tamen & ſomnum, in quo ſpiritus minus copioſè in nervos atque muſculos diffunduntur, & (ut ita dicam) in ſuo fonte retinentur, relaxatur magis atque reſolvitur, ſicque urinæ effluxum permittit, concurrente ſemper lotii copia ex nimio potu aut alia de cauſa congeſta, ejuſdem ſalſedine & acrimonia veſicæ fibras muſculares ad conſtrictionem ſtimulantibus, aut ipſa veſica exquiſitiori ſenſu donata, ſicque ad contractionem ab animæ nutu minus dependentem inſtigata ; vel talis inter dormiendum lotii fluxus involuntarius contingere poteſt propter habitum atque conſuetudinem à teneris annis contractam ; infantes enim qui pannos ſuos & lectum permingere ſolent, ſi lapſu temporis & facti grandiores non corrigantur, ſeu minis, ſeu verberibus, ſeu opprobriis, aut alio quovis modo, urinam pariter adulti per ſomnum in lecto emittunt, ob aſſuetam tali tempore veſicæ contractionem, iteratumque ſpirituum animalium in muſculares ejuſdem fibras muſculoſque abdominis ipſis juvantes influxum, cui lotii proventus aut acrimonia, quod præſertim inter vigilias excernendum minus curaverunt, ſemper etiam præbet occaſionem ; vel tandem quæ per ſomnum accidit lecti & ſtragulorum permictio petitur ex inſomniis & phantaſiæ errore, quibus citra ullum ſphincteris vitium, aut inſolitam urinæ acrimoniam, dormiens homo congeſtam in primis habens quacumque de cauſa in veſica urinæ copiam imaginatur ſe in parietem aliumve locum commodum lotium ſuum effundere, ſicque eidem non ſecùs ac vigilans exitum parat.

Vigilantium verò involuntarius mictus, qui morboſam magis & præternatu-

ralem facit urinæ incontinentiam, & quæ diu noctuque ægros affligit, pendet potiſſimum (ut ſuprà innuimus) & quidem immediatè, vel à fibrarum veſicæ muſcularium contractione, quam eorſumdem irritatio promovet citra liberum voluntatis imperium, vel ex muſculi veſicæ collum claudentis laxitate & reſolutione, hoc eſt (ſi cum Veteribus loqui liceat) ab expultricis facultatis robore, vel retentricis debilitate; quare cauſæ omnes, aut ſaltem pleræque, quas in præcedentibus capitibus dyſuriæ nephritico dolori, mictui ſanguineo, renum & veſicæ inflammationi & ulceri, ſabulo, calculo, &c. inducendis aptas eſſe diximus, quia veſicæ membranas plerumque laceſſunt, urinæ quoque incontinentiæ excitandæ pares omnino videntur, tùm autem præcipuè cum abraſo quavis de cauſa mucoſo humore veſicam intus obliniente ipſa exquiſitiorem ſenſum acquirit; item & cauſæ omnes ſpirituum animalium in ſphincterem veſicæ influxum, aut in fibris ejuſdem carneis & annularibus exploſionem impedientes, quales ſunt hemiplegiæ, paraplegiæ, paralyſes inferiorum partium, in quibus obſtructio nervearum propaginum dicto muſculo proſpicientium cum aliorum nervorum in alias partes diſtributorum ſive in principio ſuo, ſive in proceſſu obſtructione concurrit (ut plerumque accidit) atque etiam contuſio, ictus, vulnus, vertebrarum luxatio, aut ſumma refrigeratio in lumborum regione, undè nervi (ut ante dictum eſt) veſicæ collo diſtributi originem ducunt, & in quibus pariter ob dictorum nervorum præciſionem, compreſſionem, relaxationem, infarctum, ſpiritus animales ſphincteri non ſuggeruntur ad ejus conſtrictionem & veſicæ occluſionem omnino neceſſarii. Ulcus demum veſicæ cervicis, gangræna, humida atque frigida intemperies, paralyſis hujus partis peculiaris, lithotomia malè inſtituta, qua ſcilicet carneæ ſphincteris fibræ aut rami nervei in hanc partem protenſi per medium ſecta ſunt, ſumma totius corporis imbecillitas & ſpirituum exſolutio à gravi & diuturno morbo, aut ætate ſenili contracta; uteri & recti inteſtini atque ani utpotè vicinorum affectus varii, ſpirituum in dictum muſculum commeatum inhibentes, aut eidem relaxationem atque dilacerationem inducentes; in ſpecie verò partus prægnantium laborioſus aut per ſe, aut per obſtetricum ineptiam digitis aut unguibus vaginam uteri lacerantium, operatio quæ fit in ani fiſtula &c. morbi etiam capitis ſoporoſi, phrenetici, convulſivi plerique inter hujus affectus cauſas recenſeri merito poſſunt, quia iis infirmatus aut relaxatus ſphincter, vel ſpirituum alio advocatorum influxu orbatus contrahere ſe non poteſt ad claudendum exactè veſicæ oſtium & urinam retinendam; aut quia ſpirituum inordinato & tumultuoſo motu ad veſicæ fibras muſculares ipſoſque abdominis muſculos ad excretionem urinæ concurrentes translato (ut epilepticis accidit) ipſæ pariter ac aliæ partes in contractionem ſpaſmodicam lotium invito ægro excludentem excitantur.

Diagnoſi nulla indiget urinæ incontinentia, ſive per vigiliam, ſive per ſomnum contingens, utpotè quæ ex ægri aut adſtantium relatu tota haberi poteſt, cauſarum verò eamdem parientium ſigna non valdè difficilè eruuntur, ſi namque hemiplegia, paraplegia, paralyſis inferiorum partium contuſio lumborum, vulnus, refrigeratio, laxatio vertebræ, lithotomia malè & perperam celebrata, morbi capitis ſupradicti, aut ſumma virium exſolutio hunc affectum induxerint, ex eorum præſentia, aut iis quæ præceſſerunt manifeſtabitur. Si cervicis veſicæ ulcus, gangræna, frigida intemperies, ex dolore & irritatione ante mictum, vel in ipſa mictione, ex pure cum urinis, aut etiam ſolo per urethram fluente, ex phlogoſi præcedente, ex frigiditate atque inſenſibilitate in regione partis, ex temperamento frigido & humido, ætate ſenili aut puerili, muliebri ſexu, tumoribus in perinæo œdematoſis, &c. notum fiet. Si uteri ejuſve colli aut inteſtini recti & ani affectus varii, involuntarium lotii fluxum creaverint, ex propriis

tali-

talium morborum ſignis penitus innoteſcet. Quòd ſi non vitio ſphincteris muſculi, ſed ipſius veſicæ corporis ad urinæ expulſionem provocati lotii incontinentia, ſeu potius involuntaria & invita excretio excitetur, ea ex ſymptomatis calculum veſicæ, ſabulum, nephritidem, renum & veſicæ inflammationem, aut ulcus, mictum ſanguineum, dyſuriam, alioſve ante enuntiatos, à quibus dependet affectus, indicantibus demonſtrabitur.

Periculoſus ex ſe non valdè eſt affectus iſte, quanquam multum afferat incommodi, & difficilis ut plurimum ſit curationis; ratione tamen cauſæ, aut morbi à quibus procedit, ſomni aut vigiliæ in quibus accidit, atque etiam ætatis magis aut minus provectæ ipſius ægri, melioris aut pejoris ominis eſt, faciliuſque aut difficilius curatur. Sic qui vigilantibus & ſenibus contingit, gravior multò eſt & curatu difficilior, quàm qui dormientibus ſolùm & pueris, & in iſtis qui ad longum temporis tractum propagatus eſt, nec ætatis mutatione evanuit. Qui à calculo, ſabulo, phlogoſi renum, eorumdemque & veſicæ ulcere, dyſuria, mictu ſanguineo, aliiſque veſicam irritantibus, aut morbis cerebri ducit originem, relativum ad ſuas cauſas prognoſticum habet ex præcedentibus aut ſubſequentibus inferendum. Qui à paralyſi univerſali, hoc eſt dimidii aut totius corporis, à capite; vel particulari, hoc eſt inferiorum partium. Qui à virium diuturno morbo abſumptione, gangræna cervicis veſicæ aliiſque gravibus cauſis ortum accipit, periculum quidem magnum & non ita curationem admittit; qui ex vulnere lumbis aut perinæo inflicto, modò ad partes nobiliores non extendatur, contuſione, refrigerio dictarum partium, vertebræ luxatione, humida & frigida intemperie, inteſtini recti, ani, & uteri affectibus collum veſicæ ſeu potius ſphincterem relaxantibus pendet, minus portendit periculi, remediis tamen haud facilè plerumque cedit.

Curationem hujus morbi, dum à cauſis veſicam irritantibus, & ad contractionem involuntariam cientibus producitur, non opus eſt ut attingamus, utpotè quæ ex præcedentibus multis capitibus, ubi de calculo, ulcere, phlogoſi renum & veſicæ, dyſuria, mictu ſanguineo &c. ex profeſſo actum eſt, tota depromi poteſt, item nec cùm ab affectibus capitis, à paralyſi univerſali, aut particulari habitualibus factis, uteri, vaginæ, ani affectibus variis, virium à morbo diuturno aut ſenio integra exſolutione, nerveārum propaginum ſphincteri veſicæ ſpiritus miniſtrantium aut carnearum ejuſdem fibrarum ex vulnere, vertebræ luxatione, ictu, compreſſione, &c. præciſione &c. aut cervicis veſicæ gangræna, quia eadem aut poſſibilis non eſt, aut ex dictorum affectuum therapeia facilè colligitur. Reſtat ergo ut eam tradamus remediorum ſeriem quæ urinæ incontinentiæ, quando medicabilis eſt, recens & ex cauſis minus contumacibus oriunda, opem ferre ſolita ſunt: ac primò quæ dormientibus accidit, per imaginationis correctionem aut conſuetudinis interruptionem curanda eſt, quod fit non ſolùm veſicam immediatè ante horam ſomni, aut etiam per noctem, ſi expergefiat æger, exonerando atque vacuando, & à copioſo potu diureticiſque, ſalſis, piperatis, acidis, & acribus per diem; & præſertim ſub veſperam abſtinendo; ſed etiam loca quæ per inſomnium permingere ægri putant aut imaginantur rebus pretioſis, ſacris, hoc eſt religioſis atque colendis operiendo, iiſdemque ægrotantibus ſæpius per vigilias ſpectanda proponendo ad idæas noctu advenientes immutandas aut corrigendas; aut ſi ex habitu à teneris annis contracto affectus dependeat, opprobria & minas adhibendo, atque etiam ipſa verbera, eo præſertim ipſo tempore (quod efficaciſſimum eſt) quo lotium in lecto emittere deprehenduntur.

His omnibus addi debent quæ urinæ ſalſedinem, ſi illius ſuſpicio ſit, & acrimoniam, quamvis demulceant in præcedentibus propoſita, ſolis exceptis narcoticis, quæ hic locum non habent, atque etiam mucilaginoſa & lactea, quæ exquiſi-

tiorem, ſi quis ſit, veſicæ ſenſum obtundunt, ſecùs minimè adhibenda, non neglectis aliundè univerſalibus remediis, ſi eadem requiri Medico videantur, imò neque perinæum, & lumbos atque hypogaſtrium calefacientibus, necnon corroborantibus topicis muſculi ſphincteris relaxationem aut ejuſdem flacciditatem corrigentibus, quæ etiam mictui vigilantium involuntario ex eadem cauſa, graviore tamen utplurimum, oriundo pariter conveniunt.

Tales ſunt frictiones dictarum partium ex linteis calidis aqua vitæ, aut Reginæ Hungariæ madidis, vegetantium aromaticorum decoctum in vino cum iiſdem linteis applicatum, cataplaſmatis ex dictis aromaticis atque etiam nervinis ad putrilaginem coctis, contuſis, & cribratis, aut ſtercore bubulo recenti & calido, cum farinis lupinor. cumin. fenugr. aniſ. croco &c. inſeſſus ægrotantis in aquis thermalibus aut in hypocauſto, earumdem aquarum thermalium in parte affectam, hoc eſt perinæum, hypogaſtrium, & regionem lumborum continua per horam inſtillatio in formam embrocationis, &c. quibus etiam & adſtringentia miſcenda ſunt ad majorem ſphincteris firmitatem, cùm ſcilicet dicta topica perinæo admoventur.

Quæ autem vigilantes afficit urinæ incontinentia & quæ remediorum vim minus eludit, & ex vitio ſphincteris pendet, cùm ad duas cauſas potiſſimùm referatur, muſculi nempè ab humoribus frigidis, ſeroſis, pituitoſis inductam relaxationem, aut nervorum ipſis ſpiritus animales deferentium reſolutionem quandam, eidem ut ſuccuratur adhibenda veniunt intrinſecùs quæ dictos humores, ſive ipſum muſculum, ſive ejus nervos imbibentes abſumere apta nata ſunt, qualia habentur decocta ſudorifica ex ligno guajaco, & ejus cortice, china, ſaſſafras, ſalſaparilla, antimonio crudo, & nucum jugland. putaminibus parata & ad plures dies uſurpata, potus aquarum thermalium, apozemata attenuantia & aperientia; ſpiritus & ſales volatiles, aquæ ſpirituoſæ & theriacales, opiatæ roborantes & adſtringentes, maſticatoria, errhina, cauteria, &c. humores ſeroſos vacuantia; quibus etiam ad morbi fomitem revellendum intermiſcenda ſunt purgantia phlegmagoga & hydragoga dicta, pilulæ ſcilicet de agarico, cocchiæ majores & minores, pulvis diacartham, ejuſque electuarium tabulatum, pulvis Cornachin. diaphænicum, agaric. trochiſcat. rad. jalap. & mechoacan. turbith. ſyrup. roſat. ſolut. & de floribus perſicorum, &c. atque etiam clyſteres ex herbarum attenuantium, aromaticar. nervoſumque genus roborantium decocto, cum electuariis purgantibus, quæ omnia fuſius ubi de paralyſi in genere agetur, commemorabuntur.

Venæ ſectio huic affectui minus competere videtur, quia nihil eſt quod eam indicet, niſi forſan corpus affectum plethoricum ſit atque juvenile, in quo caſu revulſionis cauſa & ad minuendam humorum aggravantium copiam aliiſque remediis locum præbendum, tutò celebrari poteſt.

Ne verò ſpecifica & ab Auctoribus practicis decantata remedia reticeamus: convenire dicuntur præ aliis pleriſque mictui involuntario menthæ & calaminthæ in vino paululùm auſtero decoctum, atque etiam alchimillæ & agrimoniæ, conveniunt quoque plantago equiſetum, hypericum, ejuſque flores, glandes quercuum, galanga; lignum aloes, myrrha, thus maſtiches, karabe, caſtoreum, & inter magis ſpecifica, ſi practicis quibuſdam credendum eſt, guttur galli toſtum & tritum, pulvis erinacei & murium combuſtorum & calcinatorum, tunica interior ventriculi gallinæ exſiccata & pulverata, ungula apri torrefacta, cinis oſſium dactylorum, veſica ſuis & capræ calcinata, cerebrum, teſticuli, & renes leporis combuſta & calcinata, &c.

Quoad diætam, quæ in hoc morbo magni momenti eſt, vitare ægri debent ſcrupulosè nimium ſomnum vitamque ſedentariam, Veneris uſum, potum aqueum, refrigerantem & copioſum, ſalſa omnia, acida, oleoſa pinguia, humectantia & refri-

ge-

gerantia alimenta, olera cruda, fructus, melones, cucumeres, piſces, atque etiam (ſi fieri commodè poteſt) aerem frigidum, humidum, craſſum, & nebuloſum; utantur autem victu calefaciente, & exſiccante, aſſis potius quàm elixis carnibus, vino rubro paulò generoſo & auſtero, cibis nuce moſchata, caryophyllis, aniſo, & coriandro aut cinnamomo conditis, pane bis cocto, avellanis & amygdalis toſtis, pyris & caſtaneis ſub cineribus coctis, aliiſque urinæ materiam abſtrahentibus, aut humores ſuperfluos janitorem veſicæ muſculum ejuſque nervos infarcientes, & in toto corpore redundantes abſumentibus.

NOTA.

IN mictione involuntaria conducunt calamintha: mentha, alkimilla, & præcipuè agrimonia, atque ejuſdem ſemen, plantago, equiſetum, hypericum ejuſque flores, glandes, galanga, lignum aloes ad ʒ j. in vino exhibitum, aut ovo ſorbili bis in die per plures dies. Caſtoreum in affectu nervino & paralytico prodeſt. Commendatur, & maſtiches ad ʒ j. ex vino hauſta, myrrha, thus, gummi arabicum. Guttur galli toſtum, & pulveratum cum vino rubello, aut poſca ſub horam noctis propinatum pro ſecreto habetur, nec non teſticulus leporinus combuſtus; vel pulvis ſequens, ℞. cineris erinacei ʒ iij. agrimon. ℥ j. tunicæ interior. ventric. gallin. ℥ j. m. f. pulvis, cujus doſis ad ʒ j. ex vino.

Veſica ſuis vel apri, aut capræ pulveriſ. eadem doſi data prodeſt; item pulvis bufonis vivi in olla nova uſti, collo appenſus pro amuleto eſt quibuſdam.

Extus profunt fomenta & baln. ex abſynt. balauſt. torment. fol. quercus, biſtorta, ſymphyto, gallis myrtillis &c.

Inunctiones cum ol. abſinth. maſtich. menthæ, myrtill. cydonior. & in paralyſi cum oleo nardino, caſtorei, coſti, & balſamo Peruviano. Emplaſtrum oxycroceum vertebris lumbor. applicitum.

In incontinentia urinæ nocturna, laudatur pulvis cupularum glandium, & pulv. caſtorei ʒ j. ad ʒ j. item pulvis pulmonis hœdi toſti, terra ſigillata ad ʒ j. ex aq. parietariæ. Mures elixi à quibuſdam in eodem caſu comedendi proponuntur. Ab aliis rana viridis per medium ſciſſa renibus applicatur.

CAPUT XXXVI.

De Diabete, ſeu Urinæ profluvio.

NOn ſolùm parcè, involuntariè, & cum dolore urina excernitur, ut in præcedentibus capitibus demonſtratum eſt; ſed quandoque etiam immodicè, & multò ultra aſſumpti potus copiam, cum ſiti intenſa, viſcerum æſtu, febre quaſi lenta virium languore, & totius corporis atrophia; qui affectus Diabetes Medicis dicitur, mutuato ἀπὸ τῦ διαβαίνειν nomine, quod græcè permeare & tranſire ſignificat, ob celerem urinæ per ſuas vias tranſitum, promptamque, frequentem, & copioſam ſeroſi humoris ſanguini vehiculum præbentis per renum ſubſtantiam percolationem, quibuſdam urinæ profluvium & hydrops ad matulam nuncupatur, ex eo quòd hoc morbo laborantes inſolitam, & immodicam urinæ copiam aſſiduè profundant, oblataſque ſibi plures matulas citò impleant. Aliis Διδαχος à ſiti in explebili, quæ δίψος græcè dicitur immodicam mictionem comitante, vel deprompto à ſerpente ejuſdem nominis etymo, inſatiabile bibendi deſiderium morſu ſuo excitante.

Rarus admodum affectus eſt Medicis haud ſæpè, & pleriſque vix unquam curandus occurrens, ita ut multi celebres Practici nullam ejus fecerint mentionem, & ipſe Galenus ſe duos tantùm eo correptos in vita ſua quæ ad multam ſenectutem proceſſit, vidiſſe, profitetur; quod dedit anſam nonnnullis de talis morbi exiſtentia dubitandi; aliis vero dicendi eumdem ſitis morboſæ ſymptoma & affectum eſſe, & ideò magnum adeſſe urinæ profluvium, quia magnus, & copioſus præceſſit liquidorum, præſertim aquearum potus; ut enim potatorum experientia teſtatur, quo plus ſunt potæ plus va-

cuantur aquæ. Verùm neque iſtis, neque illis aſſentiendum videtur; diabeticos namque obſervaverunt præter Galenum, Foreſtus, Dodonæus, Zacutus Luſitanus, Martinus Rullandus, Schenkius, Tulpius, ut in eorumdem Operibus videre eſt; imò etiam & noſtris temporibus Vvilliſius *Pharmaceutices rationalis ſect.* 4. *cap.* 3. atque Dygbius *Tractatu de pulvere ſymphatico*. Quibus Auctoribus celeberrimis, ſi meipſum etiamſi longè inferiorem adjungere liceat, teſtari bona fide poſſum mihi à viginti annis quibus ægrorum variorum reparandæ valetudini totus incumbo, unicum tantùm, attamen verùm & propriè dictum diabeticum ſeſe obtuliſſe, in quo omnia ſigna & ſymptomata initio hujus capitis propoſita deprehenſa ſunt, & qui prius urinæ minus coloratæ & quaſi oleoſæ copiam immodicam cum linguæ albedine & totius corporis æſtu profundere viſus eſt, quam ſitire notabiliter, aut potum copioſum ſumere; ille autem qui ſexagenarius erat, vir aliundè ſatis laudabilis temperamenti & conſtitutionis ſatis obeſæ, poſt exercitia corporis & animi numeroſa & continua per plures annos, atque inprimis per uſum continuatum, & cui minus aſſuetus erat, vini meracioris & generoſioris ex Occitania inferiore in hanc regionem ob noſtri defectum aut immaturitatem eo tempore aſportati dictum morbum, mea quidem opinione, contraxit, atque ex eo primis diebus, imò & ſeptimanis neglecto, copioſam ſemper & ultra modum urinam in unam aut plures vices emittendo, cum æſtu viſcerum intenſo, linguæ nigredine, virium langore, ſiti inextinguibili, febre quaſi lenta, & corporis atrophia, quanquam non integra, intra viginti circiter dies, facta ſcilicet in cerebrum nervoſumque genus humorum acrium & exploſivorum metaſtaſi, convulſus promptè, & tanquam folium quod vento rapitur, quidquid in ejus levamen Medicina tentaret, interiit & è vivis ereptus eſt, ſtupefacta & afflicta ſimul adſtantium numeroſa caterva.

In hoc autem ægro, atque etiam in iis qui ab aliis Practicis obſervati ſunt, frequentem & copioſam præter modum mictionem ſitis morboſæ effectum non eſſe, ſed potius cauſam, patet ex febre lenta & quaſi hectica corporis macie & atrophia, virium collapſa, diabetem ſemper, non tamen ſitim morboſam comitantibus; atque etiam ex ipſo lotii profluvio copia ſua potum quemvis aſſumptum ſuperante, citra ipſum prius adveniente: quod in ſiti præternaturali ſimpliciter dicta, in qua bibendi primò ſemper urget deſiderium, & humores ſeroſi ſaltem ex parte ab exſuperante in toto corpore & viſceribus præcipuè calore abſumuntur, minus accidit.

Ne verò ſola Obſervatorum auctoritate diabetes ſtabiliatur, ejuſdem exiſtentiam poſſibilem ratio non minus confirmat, elabens enim plus ſolito & ob laxam humorum texturam minoremque principiorum eoſdem conſtituentium cohæſionem præcipitatum cruoris vehiculum, imò fuſa & deliquium patiens tota ſanguinis maſſa, & præſertim quod in ea lymphaticum eſt atque nutricium, ut in hoc affectu contingere ſupponitur, & reverà contingere poteſt, humorem ſeroſum copioſum renibus, modò ex parte ipſorum nihil obſtet, percolandum ſuppeditant; undè larga deinceps & immodica mictio ſubſequitur, quæ copioſo & iterato potu fovetur, non ſecùs ac videmus quandoque attritum per varias eaſque intenſas & malignas febres ſanguinem, & potiſſimum per illam febris ſpeciem quæ *Elodes & ſudor Anglicus* Vvilliſio & Sennerto dicitur, in ſudores totum fundi miliarium cutis glandularum ope ſecretos, & quibus extergendis utpotè continuis vix lintea poſſint ſufficere.

Ex dictis patet nos hìc diabetis nomine non quodvis copioſum urinæ profluvium intelligere, quod ſcilicet diureticorum quandoque uſus, vel potus aquarum mineralium aliorumve liquidorum, vel evacuationes in febribus, criticæ aut ſolutam febrem conſequentes excitare

ſo-

ſolent ; quanquam illud naturæ normam ſtatim non excedens in morboſum nonnunquam & diabeticum per ſuarum cauſarum contumaciam atque conſtantiam, fuſumque indè & liquefactum ſanguinem ſucceſſu temporis commutari poſſit ; imò nec fictitiam illam potus citò rejecti & planè immutati per vias urinarias excretionem, quam quidam Auctores temerè admittunt cæliacum affectum æmulantem , atque ex ſtomacho & inteſtinis liquida aſſumpta minùs retinentibus, & ad renes atque veſicam promptè tranſmittentibus in eorumdem ſententia, deducendam; ut enim rationes taceamus probantes potum è primis viis ad urinarias immutatum, ſuumque, ut quibuſdam placet, colorem, odorem, imò & ſaporem atque conſiſtentiam quandoque retinentem pertingere non poſſe , utpotè quæ cuivis Anatomico ſatis notæ ſunt, & ex capite de lienteria colligi facilè poſſunt; quomodo aſſumpta potulenta & præ cibis ſolidis comeſtis, quod abſurdum eſt, è ventriculo ſtatim ejecta, ut in urinam citò tranſeant, vaſtam , patentem , & multò magis brevem directamque , etſi tortuoſam, inteſtinorum viam non affectabunt, & per ſeceſſum deturbabuntur, ſi tàm promptè & ſine alteratione ulla defectu retentionis eliminanda ſint, potius quàm anguſtos & vix hiantes lactearum venarum tubulos , chyliferos ductus , atque ſanguinis tùm venoſi tùm arterioſi canales multifidos & labyrinthæos, ut nihil de viſceribus, partibus variis, & colatoriis dicam, quæ etiam permeare debent, ut ad veſicam deferantur; & ſi tam anguſto , implicito , & longo tramite in ſanguinem devehantur , per glanduloſam, fiſtuloſam, atque etiam ſimul papillarem renum ſubſtantiam ſecernendo, potulenta dicta, quomodo tam cita erit, ut aſſeritur, ut eorumdem potulentorum eorumque immutatorum per ductus urinarios ab ipſorum aſſumptione ejectio ? niſi cum quibuſdam placeat dicere potata liquida per vaſa peculiaria adhuc quidem incognita & non detecta è ſtomaco & inteſtinis immediatè in veſicam elutriari , quæ brevior via eſt ad promptam hauſti & inalterati potus per lotii vias excluſionem ; aut etiam ex ipſo chyli receptaculo, ut volunt Pequetus & Bartholinus , in proximos & hinc indè adjacentes renes aut emulgentes arterias ; iis namque vaſis utpotè minus longis minuſque proindè tranſeuntes liquores alternantibus excerni contendunt inſolita illa & inalterata prorſus non ſolùm liquida, ſed etiam ſolida & dura, prius antè ſeu ſponte, ſeu caſu in ſtomachum ingeſta, quæ apud Bartholinum *centuria* 1. *hiſt.* 68. Hoeferum *In Hercule Medic. pag.* 171. Hildanum *centur.* 5. *obſerv.* 53. Horſtium *in obſerv. pag.* 397. Guillelmum Fabritium *centur.* 3. *obſer.* 72. Julium Alexandrinum *in Annot. ad cap.* 14. *libell. de ſubſtantia facultatum naturalium*. Pigræum Chirurgum Gallum, Langium 2. *Epiſt.* 40. Alexandrum Benedictum *lib.* 3. *Anatom. cap.* 9. Joannem Matthæum Heſſum *hiſtoriar. rararum caſu* 1. Nicolaum Florentinum *ſermone* 9. *tractatu* 4. *capit.* 29. Plutarchum *lib.* 8. *Sympoſ. problem.* 9. *&c.* cum urinis quondam rejecta eſſe dicuntur; vinum ſcilicet, lac , emulſiones , ſemina aniſi integra , coriandri, grana alkekengi, radiculas apii, imò & aciculas ipſas , clavos exiguos , quanquam ferreos, fungos, culmos hordeaceos, &c.

Sed injurioſa nimis eſt Anatomicis hoc ſæculo numeroſiſſimis, oculatiſſimis , & exercitatiſſimis , imò in ſenſuum defectu microſcopia ipſa adhibentibus , illa vaſorum excogitatio, quàm ut hinc, & quidem meritò, non expungatur ; ſi enim eo uſque progreſſa eſt humorum (ut alia taceam) cadaverum diſſectio , canaliumque exilium variorum & minimarum partium aciem oculorum non minus quàm cultri fugientium inveſtigatio , ut nihil hodiernis Medicis etſi Anatomiæ ſedulam operam navantibus, neque etiam poſteris inveniendum relinqui videatur , qui factum eſt , quæſo , ut hi ductus lacteis , chyliferis , lymphaticis, lachrymalibus , ſalivaribus , & pleriſque aliis nuper inventis veroſimiliter , ſi exiſterent , haud minus conſpicui , utpotè humorem copioſum à ſtomacho ad

veſi-

veſicam promptè deferentes, & non ſolos liquores, verum etiam & dura atque ex dictorum Auctorum opinione craſſiuſcula & ſolida corpora interdum vehentes, hactenus detecti non ſunt, cùm aliundè polita, lubrica, atque à vicinis partibus in totum diviſa ſtomachi, inteſtinorum, & ipſius veſicæ extima ſuperficies ſive membrana, eorumdem inquiſitioni minus obſtet, ne quid dicam de impoſſibili atque incomprehenſibili prorſus ſolidorum & craſſorum corporum per tam exilia, etiamſi exiſterent, vaſa tranſvectione.

Uſque dum ergo talia vaſa demonſtrentur, quod nunquam & nuſquam futurum exiſtimo, alia liquidorum à ventriculo ad veſicam via admittenda non eſt, quàm quæ mediantibus lacteis meſenterii, & thoracis chyliferis canaliculis in ſanguinem, mediantibus verò venis atque arteriis in cor, pulmones, atque renes ducit, ſecundum circularis ſanguineæ maſſæ motus œconomiam; in quibus ultimo dictis partibus lotio ſecernendo dicatis quod ſeroſum & aqueum eſt in maſſa ſanguinea, minuſque aliis ejuſdem principiis implicitum & cohærens, poſtquam vehiculi munere ſatis functum eſt, aut potu aſſumpto renovatum, eodemve nimis copioſo & iterato factum redundans & minus connexum, peculari dictorum urinæ colatoriorum ſtructura ipſam ſolam in poris ſuis atque meatibus admittentium à reliquis maſſæ craſſioribus partibus ſegregatur; cui tamen operi fermentum quoddam renibus inhærens, ſive oblinimentum ſalino fixo-ſulphureum per repetitas lotii ſale multo & pauca commixta bile ſemper ſcatentis trajectiones ibidem depoſitum, iiſdemque partibus odorem gravem & ingratum concilians, atque ſanguinem continuo circuit tranſeuntem afflatu ſuo fundens quodammodo & liquens, quò facilius ſerum ſuum ſecernendum præbeat, ipſeque in venas emulgentes regreſſus atque vehiculo ſuo ſpoliatus fluivior, ut neceſſe eſt, fiat, ſymbolum ſuum conferre meritò credendum eſt.

Ut autem erroris plerorumque potum parum aut nihil mutatum, atque etiam promptè per vias urinarias rejici in hoc affectu opinantium occaſionem eruamus; viderunt practici diabete laborantes urinam crudam, limpidam, & merè aquoſam continuò ejicere, cum aliundè aſſiduò ad ſitim ſuam reſtinguendam frigidæ potu ſe ingurgitarent; atque inde ob ita promptam potum conſequentem mictionem, putaverunt non ſimilem tantùm, ſed eamdem prorſus eſſe rejecti protinus lotii & potus prius aſſumpti materiam: verum quanquam fatendum hauſtam copioſius & frequentius aquam non longè à potu, & qualis bibita eſt per vias urinarios excerni, utpotè quæ ex ſe mutationis incapax eſt, & fluiditate ſua ſumma atque tenuitate promptè è ſtomacho & inteſtinis exſilit, ubi actione ipſorum non multum indiget, ac deinceps facilè venas lacteas ſubiens, chyliferoſque ductus & ſanguinem pervadens, quia ipſi minus ob ſuam copiam cohæret, eundemque fluidiorem efficit, facilè etiam ac ſatis citò, non tamen, ut vulgo creditur, ab ejuſdem conſortio vindicatur, & per itus cum ipſo in renes atque reditus, qui certè intra horæ ſpatium plures extant, materiam lotio feſtinanter ſuppeditat, quod idem de aliis merè liquidis & præſertim diureticis dicendum eſt; non tamen hinc rectè arguitur ſtatim à potu, qui ſaltem primariò aſſumptus eſt, ſed forſan qui ultimo, quia potus potum ſicut clavus clavum, & unda undam pellit (vide Louver. cap. III.) urinam ejici; quod non facit eamdem, quamvis ſimilem potus & urinæ materiam; nec indè ſequitur potulenta omnia à diabeticis hauſta inalterata atque immutata in veſicam tranſmitti; præterquàm enim quòd plerique aut ſaltem nonnulli hoc affectu laborantes viſi ſunt initio lotium abundè profundentes multò antequam quidquam biberent, in quo caſu dici minimè poteſt immutatum potum per vias urinarias citò defectu retentionis emitti; & quod plerique Medici fide digniſſimi hoc nuſquam in nonnullis quos curandos habuerunt diabeticis, obſervaverunt; neceſſe aliundè

eſſet

eſſet ad hujus rei ſtatuendam veritatem, ut non ſolùm bibita aqua, ſed etiam juſcula, ptiſanæ, lac, ſerum lactis, vinum, emulſiones, julepi, aliaque varii coloris & conſiſtentiæ, quæ mutationis ſunt capacia, parum aut nihil alterata, non quandoque ſolùm, ſed conſtanter per lotii ductus excernerentur; quod & rationi & experientiæ penitus repugnat. Non negamus tamen reperiri quædam, qualia ſunt crocus, rheum, terebinthina, aſparagi, caſſia, &c. quæ in ſtomachum ingeſta, & in ſanguinem per viam circulationis ſecundùm ſuas tenuiſſimas partes diſtributa, urinas ſuo colore aut odore peculiari inficere poſſunt, & quæ forſan diabeticis quondam exhibita, quod ſupradicti erroris occaſionem pariter præbuit, eumdem affectum præſtiterunt; ſed ex eo colligi in genere non debuit liquidorum ingeſtorum, & per urinas excretorum immutatio; ea ſiquidem, ſicut alia pleraque, quia ex ſe infectiora ſunt, aut in ſero facilè ſolubilia, lotium non ſolùm diabete laborantium, ſed etiam aliorum quorumvis ægrotantium & ipſorum ſanorum colorare atque odorare valent.

Quòd ſi à vino, lacte, emulſionibus aſſumptis, urinæ rubræ & quaſi vinoſæ aut etiam albicantes & quaſi lacteæ in quibuſdam diabete affectis à Bartholino, Hoefero, Hildano, & Horſtio quondam & ſemel forſan obſervatæ ſunt, quod Medicis imponere potuit; grana enim coriandri, aniſi, &c. radiculas apii comeſta, & deinceps cum lotio immutata rejecta fabulam credimus, & multò magis aciculas, clavos exiguos ferreos, fungos & hordeaceos culmos; illarum color atque conſiſtentia, ſaporem non dico, quia urinam deguſtare Medicorum non eſt, aliis cauſis cùm poſſint imputari, ſanguini nempè, ſalibus copioſis & ſulphureis ſeu bilioſis particulis variè ſolutis & mixtis, aut lymphæ, chylo, & purulentæ, ſi quæ ſit in corpore materiæ, ſero dilutis, cum ipſo percolaris, & urinam rubro aut albo colore inficientibus, qualem non rarò in pleriſque aliis affectibus, imò & ſæpè in febribus deprehendimus; cùm inſuper dictorum liquidorum continuato hauſtu, urinæ non tales ſemper perſeverent, nec in omnibus aut ſaltem pleriſque obſerventur, male & immerito prorſus in immutatum dictorum liquidorum potum refundi dicendum eſt.

Sed quorſum (inquies) aniſi, coriandri, alchechengi, ſemina, aut radices apii & aciculas, clavos exiguos, &c. cum lotio excreta fabellas appellamus, ſi graves Auctores, quales ſunt quos ſuprà laudavimus, id nobis obſervatum tanquam curioſum & inſolitum bona fide tradiderunt? Reſpondetur priſcæ, imò & proximè elapſæ ætatis Medicos credulos nimis, aut in rebus annotandis minus cautos fuiſſe atque circumſpectos, quò factum eſt ut illi Anatomiæ non multum gnari hiſtoriis peculiaribus & raris à ruſtico, mulierecula aut idiota & Barbitonſore relatis, quanquam malè & perperàm animadverſis, facilius credentes, eaſdem ut ut falſas incredibiles Operibus ſuis tanquam quid mirum & cedro dignum inſeruerint; hi verò ad omnes advenientis caſus circumſtantias & adjuncta minus attendentes, aut præcipitato judicio aliud pro alio accipientes in Scyllam quoque inciderint, atque ſimiliter deluſi ſint: Sic grumulos lymphæ cum urina tranſeuntis diviſos & in eadem frigeſcente compactos, aut humoris lymphatici ramenta paululum condenſata, pro ſeminibus variis aut radicibus & fungis ante comeſtis habere potuerunt; vel talia in matulam fortè & caſu illapſa corpora, quod de aciculis aliiſque pariter dicendum eſt, ſimilia antè glutita, quæ cum fœcibus excerni potius debuerant, in urinis mentita ſunt: Sic etiam audio hæc ſcribens ex noſtrate Medico neopractico ægrum quemdam profundè & continuo tuſſientem atque ſpuentem arbuſculas albas magna ejuſdem admiratione & per Urbem exclamatione in aqua exſpuere; quæ ſi reipſa in ſtomachum antè ingeri potuiſſent, forſan tales ideò ex pulmonibus eructari à Medicis minus ſagacibus aut magis credulis putarentur, & obſervatis aliis curioſis annumerarentur; & quæ tamen (quod non ita mirum eſt) nil aliud ſunt, quàm ſputi

ti copioſi, viſcidi, purulenti, aut lymphatici ramoſæ partes huc illuc per frigidam ſe diffundentes & ſimul condenſantes, variamque pro re nata & pro motu ſuo figuram nanciſcentes; ut videre plerumque eſt, non ſolum in ſputo craſſo cujuslibet hominis in aquam projecto; ſed etiam in viſcido & limphatico ſanguine è ſaphæna & in aqua calida extracto, in qua poſtquam refrixit, non ſolùm ramorum & arborum, ſed ferè quaſcumque velis figuras eamdem & ſanguinem extractum agitando invenias.

His tandem omnibus ad fidem dictis Auctoribus denegandam non ſufficientibus, quid vetat eoſdem, ſi lubet impoſturæ inſimulare, exemplo Joannis Baptiſtæ Montani *Conſil.* 256. & 257. adverſus Galenum alioſque qui plures quàm ſex pulſuum differentias admittunt, & obſervaſſe ſe dicunt, quod ipſe falſum eſſe audacter pronuntiat; quæ impoſtura multis aliis Scriptoribus communis eſt, dum nobis res abſurdas & meras nugas, aut ſplendida mendacia pro veris atque curioſis tradunt, cujus rei præ aliis pluribus hìc prætermittendis & in variis eorumdem operibus inveniendis fidem faciet una inſtar plurimarum obſervatio 94. *centur.* 3. Philippi Salmuthi narrantis fœminam quandam in Civitate Imperiali infantem digiti longitudine, omnibus tamen membris tam externis quàm internis verè conſtantem per os enixam eſſe, eamdemque interrogatam juridice affirmaſſe conſtanter Senatui maritum ſuum cum ipſa, quæ à natura planè ſimplex erat, per òs coiviſſe & ſperma infauces immiſiſſe & ſtomachum, unde partus per dictam partem ſecutus eſt. Quæ hiſtoria quàm plena ſit falſitatis, & quantam Obſervatorum ſcriptis, credulitatem imprimis & captum Anatomicorum ſuperantibus diffidentiam importet, ipſis Medicinæ Tyronibus judicandum relinquitur.

Sed jam tempus eſt ut ad Diabetis cauſam conjunctam & immediatam progrediamur, quam non in calida hepatis, lienis, & præcipuè renum intemperie ſerum copioſum à vaſis emulgentibus, ſicut dicta vaſa à corde & hepate, & hæ partes à ventriculo & inteſtinis attrahentium, ſecundum Veterum ſententiam ſtatuimus; nec præcisè in humore acri expultricem ſimul & attractricem renum facultatem continuò irritante, nec in retentrice ſtomachi & inteſtinorum læſa facultate, nec denique in venenata & occulta quadam qualitate in ſanguine genita & renum intemperiei ſupperaddita, ſitim intenſam ut ſerpentis dipſadis venenum, & per conſequens copioſam mictionem, excitante; quæ omnes hypotheſes aut parum ſolidis & à Medicina jam diu exploſis nituntur fundamentis; aut obſcuræ prorsùs & imaginariæ ſunt refutatione proindè indignæ; ſed in fuſione notabili totius maſſæ ſanguineæ à prædominante bilioſo alchalino peculiari & lixivioſo ſale eidem inducta, ejuſdemque maſſæ deliquio, ſeu laxata præter modum partium & principiorum componentium cohæſione, quò fit ut non ſolùm ſerum merè liquidum & in cruoris poris atque interſtitiis reconditum facilè fluctuet & ſecedat: verùm etiam & quod concreſcibile & pingue dicitur, ſive ſuccus nutritius atque lymphaticus ab aquoſo humore alchalinis ſalibus onuſto ſolutus & abreptus, atque per urinæ colatoria iteratis circuitibus affatim cum ipſo trajectus; cùm enim tota ſanguinis ſenſibilis compages ex balſamicis præcipuè oleoſis, & ſulphureis partibus conſtet in ſtatu ſuo naturali, atque etiam ſimul aquoſis ſive ſeroſis, quæ propter ſuam levem, politam & lubricam ſuperficiem inter ſe conjungi rectè non poſſunt, nec ſibi mutuò ſociari & cohærere, niſi ope & miniſterio ſalium verè ſalſorum, hoc eſt ex alchali & acido magis aut minus volatilibus conflatorum, quæ illarum vinculum & copula ſunt, quia dictam ſuperficiem exaſperant, ut videre eſt in aqua & oleo quolibet eidem vaſi ſimul affuſis, nec unquam niſi addito ſale communi, aut alio ſimili intimè ſimul miſcendis atque confundendis; ſi ſalia illa in ſanguine ſano ſemper hoſpitantia, ut ejuſdem tenorem & conſiſtentiam ſervent; acida enim ipſum coagulant, alchalia

ſol-

ſolvunt, per acidi depreſſionem atque obſcuritatem, ſpirituumque ſanguinis diſſipationem à ſtatu ſuo naturaliter deſciſcant, & alchalinam fixam præter modum aut eidem proximam analogam diatheſim induant, quod multipliciter ſecundum variam illorum figuram & indolem contingere poteſt, totam maſſam diſſolvi, fundi, & in ſerum abire, ejuſque partes, præſertim magis fluxiles, ab eadem disjungi & ſegregari neceſſe eſt, quæ deinceps in vaſis circulantes urinæ copioſæ & affatim excretæ materiam ſuppeditant. Quare in eam, quæ Felicis, imò & in hoc ter felicis, quia ſcopum difficilem attigiſſe videtur, Plateri eſt, ſententiam trahor, ſtatuentis verum & propriè dictum diabetem, qualis initio hujus capitis deſcriptus eſt, febri ardenti ſimul & colliquativæ ſemper accedere, & proindè ut febris hęc rara eſt, ita & rarum illud & periculoſum ſymptoma ipſi copulari, quod tamen non ita ſtrictè intelligendum volo; quin etiam & febribus quandoque malignis, inveteratis præſertim, aut in longum tempus excurrentibus, aliiſque chronicis & lentis adjungi aut ſuccedere poſſit, in quibus ob attritum totum ſanguinem & liquatum utrumque ſuprà dictum ſerum tota maſſa in urinas fundi videtur, accedent corporis colliquatione & atrophia; quanquam enim non imus inficias lotii profluvia (ut antè dictum eſt) quædam eſſe, ſive à natura ſuperfluum atque redundans ſerum præcipitante & amandante inſtituta, ſive à diureticis quibuſdam atque diaphoreticis ſanguinis texturam quodammodò ſolventibus & alchalino ſale turgentibus, aut copioſo & continuo liquidorum potu excitata, in quibus febris non viget, nec corpus conſumitur, vix tamen ac ne vix quidem concipi poteſt diabeticum affectum verum & genuinum, hoc eſt virium languore, tabe, ſiti inextinguibili, viſcerum æſtu ſtipatum, ſanguiniſque integrantes partes disjungentem atque fundentem ſine præternaturali humorum fermentatione, & proindè febre in ſua qualitate aut duratione gravi, pro ratione fermenti febrilis cruorem promptè aut lentè atterentis exiſtere poſſe; atque hinc eſt quod Practici qui morbum hunc attentius obſervarunt, eumdem præcedentis malignæ febris colliquativæ aut diù perſeverantis & in lentam degenerantis affectum agnoſcunt: hinc pariter eſt, quod immodica etſi minus diabetica, utpote ſponte ceſſantia; urinæ quædam profluvia, quæ ſcilicet potum copioſum aut diureticorum uſum non ſequuntur, ſicut & ſudores omnes modum excedentes febris ſemper aut præſentis & criticam, aut ſymptomaticam ſeroſi humoris evacuationem facientis, aut præteritæ quæ luxuriantem fecit in ſanguine ſeri præcipitationem effecta ſint; ea ſiquidem eſt febris cujuſcumque natura, ut ſanguinem qui in ſtatu ſuo naturali ob principiorum ſuorum exactam mixtionem & unionem liquor eſt æqualis & uniformis, per fermentationem ſolito majorem continuo atterat & ad diſſolutionem plus minus pro copia & vi fermenti in ipſo ſtabulantis diſponat, quam ſi integram conſequantur, ægrotanti affert exitium; ſecùs verò copioſas pro ejuſdem duratione atque intenſione, ſeri per urinas aut ſudores excernendi, non minus quàm aliorum craſſiorum recrementorum per alias vias ejiciendorum ſeparationes atque præcipitationes infert; interea dum non penitus diſſociata cruoris principia ad priſtinam ſenſim redeunt diatheſim & cohæſionem, quod tempus convaleſcentiæ dicitur.

Quia verò dictum ſanguinis deliquium, ejuſdemque laxata compages ad diabetis rationem formalem ſaltem integram non ſufficit, ſecus enim febri malignæ, lentæ, & hecticæ diureſis nimia & immodica plerumque accederet, atque etiam variis hydropis ſpeciebus, in quibus ob ſanguinis partium craſſiorum adſtrictionem quandam partes ſeroſæ non ſecus ac in coagulatione lactis à reliquis facile ſecedunt; ad peculiare quoddam renum vitium diabetico pariendo affectui ſimul conferens inſuper & neceſſario recurrendum eſt; illud autem non ſolùm in relaxato à pinguibus colliqua-

tis

tis humoribus, & cum lotio tranſeuntibus glandularum fiſtularumque renalium ſerum proindè facilius admittentium tono ſtatuimus, aut in apertis & hiantibus magis à frequentis mictione ductibus urinariis; verùm etiam in exaltato ſuperius memorato fermento ſeu oblinimento renali, quod ſalſedine ſpeciali ſua fixa & intenſa cruorem ad utrumque renem repetitis atque acceleratis circuitibus appellentem diluens ac fundens ſerum copioſum & omne quod in ipſo ſolutum eſt facilius & promptius præcipitat; & hoc eſt forſan vitium quod veteres quidam Medici pro intemperie renum calida, alii pro expultrice irritata facultate, aut attractrice aucta & imminuta retentrice, alii demum pro occulta quadam qualitate habuerunt in hoc affectu.

Cauſæ diabetis externæ, remotæ, procatarticæ ſunt non ſolùm ea omnia quæ ſuprà dictas febres malignas, hecticas, colliquativas, ardentes, peculiariter intenſas & ſanguinis texturam atterentes &c. inducere valent aut prolongare, ex ſex rebus non naturalibus malè uſurpatis, aut ex remediis perperam adhibitis petenda, ſed in ſpecie etiam quæcunque per ſe ſanguine fundere, ejuſdemque principiorum cohæſionem ſolvere aut ſales ipſi connaturalis eluere apta nata ſunt, atque ſimul vias renum aperire & eorum fermentum exaltare, qualia habentur acria, alchalia, lixivioſa, calida, aromatica, crebrius & diutius, aſſumpta, diureticorum aut diaphoreticorum uſus diuturnus, aut purgantium mochlicorum in primis & deletoriorum; aquarum mineralium ſulphureo-ſalinarum, ferratarum; nitroſarum, atque etiam vini meraci ardentis & generoſi, aut liquorum ardentium potus immodicus & continuatus; imò ipſarum quandoque acidularum & aquæ ſimplicis, quæ licèt ſanguinis maſſam non atterant & fundant ut præcedentia ejuſdem tamen ſales nativos eluendo, ſerumque augendo & ſecum rapiendo ſanguinearum partium vinculum auferunt, vel ſalium fixorum exaltationem promovent; quod tamen rarius accidit. His inſuper cauſis remotè agentibus annumerari poſſunt aer fervidior, temperamentum bilioſum & gracile, cachexia bilioſa, vigiliæ immoderatæ, vehementes & frequentes corporis exercitationes, labor immodicus, aliave alchalinum bilis ſalem & fermentum ſeu oblinimentum renale intendentia atque acuentia.

Diagnoſis hujus morbi ex iis quæ initio hujus capitis dicta ſunt erui facilè poteſt; quia tamen ejuſdem ſymptomata ex adſtructa noſtra de ejus cauſis hypotheſi ad majorem rei confirmationem deducenda ſunt; libet ea ſigillatim hìc loci proponere atque ſimul exponere. Primò quidem urina (quod denominationem morbo dedit) crebrius & copioſius emittitur, ita ut non ſolùm libras aliquot ejuſdem per diem aut noctem profundant ægri, ſed & urnas, congios, atque capedines ſingulis diebus plus minus pro intenſione & gravitate morbi impleant, non ſine adſtantium & ipſorum Medicorum admiratione, quem lotii notabilem proventum non tantùm ex humoribus in vaſis circulantibus fuſis, liquatis & in ſerum (ut ſuprà innuimus) abeuntibus, & per exaltatum renale fermentum ſubitò præcipitatis ſecretiſque deducere licet, qui certè intra paucos dies penitus exhaurirentur; verùm etiam ex largo & repetito potu quem ad ſitim ſuam inextinguibilem ſedandam & ad vehiculum ſanguinis deperditum atque per urinas ſecedens reſarciendum continuo ſumere coguntur diabetici; qui potus in ſanguinis maſſam ſive alveum citò tranſvectus & eidem minus cohærens, per portæ deſcendentem truncum & emulgentes arterias, patentes tritaſque renum & urinæ vias facilè ſubit, relicto ante ductuum renalium portas partium ſanguinis craſſiuſcularum, utpotè minus colatorio proportionatarum, fluento cum pauco reſidente ſero, quod deinceps mediantibus emulgentibus venis in venæ cavæ truncum, & indè ad cor regreditur, ut iterum in hanc aut illam partem, ac proindè in renes ſecundum circularis humorum motus leges diſtribuatur.

Quod

Quod ad urinæ colorem ſpectat atque ejuſdem conſiſtentiam, ille non unus ſemper, & idem eſt in ægris omnibus, ut ex ſupra dictis colligitur, nec lotium eadem habet omni tempore & in omnibus ſubjectis in ſe contenta; dici tamen poteſt in genere ineunte morbo urinam magis intenſo & ſaturato colore donari, & ſpiſſiorem paulò atque craſſiorem eſſe ob ſales ſanguinis multos, ſulphureas particulas, lymphæ & ſucci nutritii magnam copiam, quæ in ipſa ſoluta ſunt, necdum tamen valdè diviſa; progrediente verò diabete, quia potus frequenter & ubertim ſumitur potiſſimum aqueus, dicta cruoris principia dividens magis diluens atque latè diffundens, eadem ſenſim crudior, aquoſior atque limpidior fit pro majori ſalium, ſulphurum & humoris lymphatici nutritiique priùs excretorum penuria atque diviſione.

De ſapore quem dulcem & mellitum urinæ Vvilliſius tribuit, non eſt ut fuſius diſſeramus, quia & morbi raritas & Medicorum dignitas huic explorationi minus favent; hunc tamen, ſi talis ſit qualis aſſeritur, quod an perpetuæ ſit veritatis plus quàm dubium eſt, cùm pro diverſitate ſubjecti & gradus morbi variæ ſint principiorum ſanguinis in lotio ſolutiones, non aliundè peti debet, quàm ex ſalibus fixis ſulphureis partibus, & lympha in urina certis modo & copia combinatis; ut enim ſaccharum, aliaque dulcia inter concreta ſalino-ſulphurea merito referuntur; ſic dictorum principiorum concretiones ſeu potius in urina ſolutiones mellitum quandoque aut ſaltem lenem & minus ſalſum aſperumve lotio diabeticorum ſaporem conciliant.

Præter diureſim nimiam, infeſtant etiam diabete laborantes æſtus viſcerum intenſus atque ſitis continua, quæ ab exaltato præter modum in primis viis ubi ſui juris eſt, bilioſo humore, eoque cum pancreatico ſucco variiſque quibus occurrit ingeſtis vehementius efferveſcente, ſicque calidis ſuis halitibus totam illam regionem ad œſophagi ſummum exſiccante & corrugante petenda ſunt, atque etiam ex continuo ſuccorum humorumque ſanguinem ac ſolidas partes refrigerantium, & humectantium per urinas impendio. Infeſtant quoque virium languor, & totius corporis atrophia ob funditus everſam ſanguineæ maſſæ compagem, ejuſque in primis principiorum magis activorum ruinam & integram aliundè, aut ſaltem valdè notabilem ſucci nutritii in urinas fuſi, & præcipitati aſſumptionem.

Febrem quæ ex pulſu quaſi lenta judicatur; ex ſiti verò & æſtu quaſi ardens, ex ſanguinis ſolutione quaſi maligna, non eſt ut inter diabetis effectus & ſymptomata recenſeamus, cùm ipſa primò ſemper in ſanguine, etſi quandoque non evidenter, hoſpitetur & ex eadem ſanguinis integrantes partes præternaturaliter commovente atque ſolvente cætera pendeant accidentia. Quia verò alchalilinus atque lixivioſus bilis ſal qui præcipuum & unicum eſt inſtrumentum quo febris hæc ad fundendum & liquandum totum cruorem utitur (pingues namque ſulphureos & oleoſos liquores, de quorum genere ſanguis eſt, ab alio ſale non ſolvi docet Chymia) quia, inquam, dictus ſal fixitatem & prædominium in tota maſſa acquirere non poteſt, quin tenuiores ſanguinis & magis activæ partes atque ſpirituoſæ penitus aut magna ex parte diſſipatæ ſint, (fixa enim non exaltantur niſi abeuntibus volatilibus & ſpirituoſis) hinc eſt quod febris dicta lentæ & hecticæ modum & typum ſervet, quia deficientibus ſpiritibus cor nec tàm validas, nec tàm frequentes quàm in aliis febribus ſyſtoles elicere poteſt, fuſaque & attrita ſanguinis compages tàm intenſam fermentationem ſubire non poteſt, nec tàm exploſivam cordi copulam ad motum ſuum contractivum peragendum ſuggerere; hinc pariter eſt, quod diabetes febribus malignis, diutius protractis, aliiſque variis habitualibus factis nonnumquam ſuccedat, potiſſimum cachectico & bilioſo exiſtente corpore, aut in meridionalibus atque torridis regionibus, in quibus minus rarum hunc affectum eſſe teſtatur Rabbi Moſes *part.* 8. *Aphoriſm.* in iis namque caſibus dum

febri-

febrilis humorum motus cæteris concurrentibus duratione ſua aut intenſione ſpiritus, ſales volatiles, & tenuiores ſulphuris partes abſumit, magnæ illi & ſpeciali, quæ morbi raritatem facit, ſalis fixi exaltationi occaſionem præbet.

Malum hoc, quia contumacem admodum & theſauro vitali infenſiſſimam habet cauſam; quia inſuper febribus graviſſimis, chronicis, lentis, hecticis, habitualibus, malignis, &c. potiſſimum ſuccedere ſolet, malè ſemper ominatur, & non ſolùm difficilis eſt curationis; ſed ad tabem promptè ægros ducens, certum eis, nec valdè tardum plerumque affert exitium; ſalutis tamen ſpes ſi quædam affulgeat, ea in temperamento valido, ætate juvenili, & in morbo minus gravi, recenter genito, in ipſo principio cognito & impugnato poſita eſt.

Curatio diabetis inſtituitur, aut ſaltem tentatur, non quidem per venæ ſectionem, quæ in hoc affectu ob virium languorem minus indicatur, niſi forſan & cum magna cautione in corpore plethorico, initio morbi, ætate juvenili, & ægri robore nondum collapſo; neque etiam per diaphoretica, volatilia, & alchalina, quæ ſanguinem fundunt, aut ad fuſionem diſponunt, ſicque morbum ex ſe ſatis gravem adaugent; ſed per ejus generis ſive remedia, ſive alimenta, ſive ex iiſdem mixta, quæ ſanguineæ maſſæ fuſionem atque attritionem corrigere, atque ejuſdem partes laxius cohærentes & à ſe invicem ſecedentes ſtringere, implicare, & ipſarum unionem, quæ ſanguinis conſiſtentiam facit, promovere quoquo modo valent. Talia habentur incraſſantia omnia viſcoſa, mucilaginoſa, atque etiam paululum adſtringentia, & refrigerantia, non omiſſis etiam ipſis acidiuſculis & acerbis, quæ ſali fixo plurimum contraria ſunt, & quæ cum ipſo conjuncta ſalſum, quod vera ſanguinearum partium copula eſt, efficiunt, quæque ad renes pervenientia exaltatum in ipſis fermentum reprimunt atque refrænant. Quia verò virium exſolutio & totius corporis contabeſcentia ſymptomata ſunt urgentia, quibus ſimul occurrendum eſt, adhiberi aliundè debent, atque prædictis remediis intermiſceri cardiaca quædam & ſpirituoſa, ob viſcerum tamen æſtum magis temperata nec non analeptica.

Convenient igitur ad hunc morbum debellandum inter diætetica præter ea, quæ febri cujuſcumque naturæ ſit, undè urinæ manat profluvium, in ſpecie medentur cremor hordei, lac amygdalar. dulc. oriza, in jure capi aut gallinæ cocta, panatellæ, gelatinæ variæ, carnes & juſcula perdicum, caponum, aliarumve optimarum carnium conſummata, pedes & capita vervecum, hædorum, vitulorum ad putrilaginem cocta, ova ſorbilia, recentia, jus ex carnibus toſtis expreſſum, juſcula ex cancris fluviatilibus parata, lac caprinum, aut aſininum, vel etiam vaccinum, carnes juniorum animalium &c. vitatis ſalſis, acribus, piperatis, frixis, & admodum calefacientibus eduliis, animi & corporis motibus vehementioribus, vigiliis nimiis, potu immodico; & aeris excedente fervore. Inter pharmaceutica verò mucilagines gumm. arabic. & tragachant. aut ſemin. pſyllii & cydonior. in aqua roſar. extr. amylum ſine calce paratum, trochiſch. de karabe, de bolo, de terra ſigillata, decoct. plantag. acetoſ. portulac. ſymphyt. maj. lactuc. roſar. rubrar. balauſt. rad. biſtort. tormentill. pentaphil. nymphææ, aut aquæ ex iiſdem deſtillatæ; Emulſiones ex amygdal. dulcibus, ſem. 4. frigid. major. & papav. alb. Succi dictarum herbarum, atque etiam limonum, berberis, malorum, granat. arantior. cydonior. omphacium, aut ex iiſdem parati ſyrupi: Spiritus ſalis, ſulphuris, vitriol. tartarum vitriolat. tartar. ſolub. ſal prunel. & nitr. Decoct. tamarind. & prunor. ſylveſtrium, atque etiam corticis interioris, ſeu mediani quercus ab Eraſto valdè commendatum; ſucci acaciæ & hypocyſtidis, tinctura corallorum, eſſentia & tinctura ſmaragdi Joann. Hartmann. *Practic. Chymiatr. pag.* 192. Crocus martis adſtringens, pulvis diatragachant. & diamargarit. frigid. aliaque hujus energiæ plurima in præcedentibus paſſim commemo-

mo-

morata, quibus inſuper balnei & ſeri lactis uſus, imò ipſarum etiam acidularum, modoratè tamen & parcè potatarum, meritò ſuperaddi poteſt.

Sunt quia ad ſulphureas & oleoſas ſanguinis partes reſarciendas decoctum chinæ, guajaci, ſaſſafras, & ſalſæparill. refrigerantibus tamen quibuſdam temperatum & valde dilutum commendant in hoc morbo; alii narcoticorum uſum quia hæc omnia, utpotè oleoſa, ſulphurea, & reſinoſa cruoris attritas particulas ligant, atque intricant, ipſumque ſulphureis particulis deſtitutum redintegrant; poſtrema verò vigiliis ac inſomniis diabeticos divexantibus efficaciter medentur, ſed ſunt hæc veluti gladius in manu furioſi, niſi cautè admodum atque prudenter adhibeantur, virium namque abſumptio & ſpirituum animalium vitaliumque defectus ſomnifera ſemper & ubique ſuſpecta faciunt; viſcerum verò & totius corporis æſtus, atque ipſa febris ſulphurea, necnon calefacientia, ut ſunt prædicta ligna atque radices. Si ergo ad ea recurrere cogat neceſſitas, aliis potiſſimùm fruſtrà tentatis, quod tamen non ſine prudentia peculiari tentandum eſt, præſcribantur magis temperata & in minori doſi, aliiſque refrigerantibus, aut ipſis acidiuſculis, ne ſanguinem calefaciant aut diſſolvant, miſceantur. Eligantur pariter inter narcotica; ægro in primis adhuc ſatis vegente, quæ ſegnioris ſunt virtutis, ut ſyrupus de nymphæa, de papav. alb. laudan. opiat. pulveribus cardiac. temperatum, aut ſuccis acidis caſtratum, eaque tum parcius, tum rarius uſurpentur.

Cardiaca ad reficiendas diabeticorum vires neceſſaria, ſunt confect. hyacinthor. & alchermes, vinum rubrum, craſſum, auſterum, in parva doſi, aq. naphæ roſar. & cinnamom. an. partes æquales, elixir proprietatis, mixtura ſpiritalis, aliaque minus calefacientia aut refrigerantibus adſtringentibus atque acidis, ut de præcedentibus dictum eſt, moderata.

Quod ad evacuantia ſpectat huic morbo ob vim ſuam fuſoriam, & præcipitantem, vireſque ægrorum fractas non admodùm congruentia, ea rarius veniunt præſcribenda, & ex purgantium benigniorum, & minus atterentium aut calefacientium claſſe repetenda ſunt, qualia habentur caſſiæ & tamarindor. pulpa, manna, rhabar. ſal polycreſt. ſyrup. de cichor. comp. aut de flor. perſicor. infuſ. roſ. pallidar. aut flor. perſic. &c. duæ in decocto refrigerante infundi aut diſſolvi debent. Clyſteres verò quorum uſus ad refrigerium viſcerum magis frequens eſſe poteſt ex ſero lactis, oxycrato, aut refrigerante decocto parandi ſunt, additis quandoque caſſiæ medula, diapruno ſimplici, electuario lenitivo, ſale prunellæ, melle communi, violar. atque nenupharino, adhibitis etiam eodem tempore fotibus totius abdominis refrigerantibus quæ calidæ viſcerum, & totius corporis intemperiei non ſecus ac balnea opitulantur.

NOTA.

IN Diabete commendantur Succinata varia, opiata, martialia; boli ex conſerva rad. ſymph. radicib. adſtringentib. pulveriſatis, bolo armena &c. lac chalybeatum, aut in quo extincti ſint ſilices, non neglectis balſamicis atque viſcidioribus vulnerariis, quibus & ſtatui ſanguinis ad laxitatem degenerari, provideri, & renes defendi ec roborari queant.

PATHOLOGIÆ
CAPITIS ET THORACIS
LIBER SECUNDUS,
SIVE
TRACTATUS DE MORBIS
SUPERIORIS, ET MEDII VENTRIS.

Juxta Recentiorum tum Medicorum, tum Philoſophorum; & Anatomiæ atque Chymiæ principia conſcriptus.

CAPUT PRIMUM.

De Frigida Cerebri Intemperie.

Quemadmodum diximus (ubi de calida hepatis intemperie egimus) hepar accuſandum non eſſe, ex eo quòd calor in ipſo prædominans, imò, & calor aliarum quarumcunque partium, à ſanguine tantùm calido magis quàm par eſt, hoc eſt principiis activis, & bile acriori onuſto derivetur, qui motu ſuo circulari, ſimul & fermentativo, calorem in partibus, & producit & fovet, ac proinde verum calidum innatum dici meretur. Sic agentes de frigida cerebri intemperie, non in cerebrum rejicienda videtur culpa, utpote quòd ſeu frigidum ſit, ſeu calidum, hoc à ſeipſo non habet, ſed à ſanguine aut caliditate aut frigiditate peccante, non negamus, tamen cerebrum in naturali ſua conſtitutione magis frigidum, hoc eſt minus calidum eſſe, quàm multas alias corporis partes, cor putà, pulmones, hepar &c. ſed illud ſemper petitur ex ſanguine qui non ita copioſè, & per vaſa minora irrigat ipſum cerebrum quàm prædictas par-

partes, imò etiam hoc demum potest non solùm ex minori copia sanguinis & exiguitate vasorum, sed ex minori sanguinis per cerebrum quàm per alias partes motu; cerebrum enim utpote molliſſima totius corporis pars motum sanguinis magis retardat quàm aliæ partes utpote solidiores.

Quòd si Veteres cerebrum pituitæ metropolim dixerint, hoc non de alia ratione factum est nisi quia putabant pituitam omnem cum quæ per os tum, quæ par nares rejicitur ex illa parte & glandula pituitaria dicta descendere, & per palatum trajici aut per nervum olfactorium aut processus mammillares; quod cùm falsissimum sit, ut patet experientia anatomica, colligi potest quàm immeritò cerebrum pituitæ officinam putaverint, quod potius glandulis in toto corpore dispersis, & potissimùm circa collum, & fauces ac tunicam narium, convenit, quarum officium est serositates, aut lympham, quæ vera est Antiquorum pituita, secernere, & percolare.

Intemperies ergo frigida si quæ sit in membro, consectaria semper est intemperiei frigidæ ipsius sanguinis hoc est massæ sanguineæ activis suis principiis à quibus motum, & fermentationem habet, destitutæ, & phlegmate, & terra magis quàm par est onustæ; cujus sanguinis frigiditatis, quamvis signa se se prodant in toto corpore, utpote quod in omnibus suis partibus à sanguine perluitur, magis tamen in cerebro se exerit, utpote molliori & mollitie sua motum sanguinis ac proindè calorem minuente. Non est hìc ut immoremur divisioni intemperierum ab Antiquis propositæ, quæ intemperies dividit in simplices & compositas, immateriales hoc est sine materiæ affluxu, & materiales hoc est cum materia conjunctas: illa enim divisio vana est, & inutilis, quia impossibile est esse intemperiem in aliqua parte, quin materia seu sanguis, aut alius humor eam causans præsens sit, & prætereà sanguis nonnisi frigiditate, aut caliditate, visciditate, seu crassitie, aut liquiditate peccare possit.

Ad causas transeamus, frigidam ergo intemperiem producere apta sunt ea omnia quæ spiritibus sanguinem, & sulphure tenuiori orbare, & in ipso phlegmatis aut principiorum minùs activorum proventum facere possunt: hinc non mirum si in omnibus morbis ubi sanguis valdè aquosus, aut frigidus est; ut in cachexia, anasarca, chlorosi, &c. adsit frigida cerebri, & totius corporis intemperies, tales causæ sunt alimenta frigida, & humida, nimia eorum quantitas, exercitia à pastu, ortus ex parentibus temperamenti frigidi, ætas senilis, regio frigida & humida, somnus diuturnus, vita sedentaria, uno verbo, ea omnia ut jam dictum est, quæ principiorum minùs activorum in sanguine prædominium facere possunt.

Signa frigidæ cerebri intemperiei sunt primò, causæ jam allatæ prægressæ, deinde mens torpida, ingenium tardum, infelix memoria, ad somnum propensio, sensuum hebetudo, motus tarditas, paralysis, catarrhus, pituita per os & nares copiosiùs excreta, faciei pallor, capilli molles, & minimè crispi, tardior imò nunquam adveniens calvities, & alia multa quæ cachexiæ communia sunt symptomata.

Quoad prognosim, si intemperies cerebri à longo tempore contracta sit, difficiliùs curatur quàm si recens, & graviſſimos accersit capitis affectus, tum etiam difficilè curator, quæ hæreditaria est, & tempore hyberno non tam cedit remediis quàm æstivo.

Curatio istius affectus tota repetenda ex iis, quæ diximus ubi egimus de cachexia, anasarca, hydrope, melancholia hypochondriaca, &c. omnia enim, quæ calefaciunt, & attenuant, sanguini partes spirituosas, & sulphureas communicant, item & quæ humiditates consumunt, aut per sudores ut sudorifica, stuphæ, diaphoretica; aut per primas vias serositates deducunt, ut sunt purgantia paulò fortiora, hydragoga quoque hìc locum habent. Quoad usum sex nonnaturalium; aer debet esse calidus, & sic-

ćus, vitari debet nimius ſomnus, triſtitia, mœror; exercitia modica commendantur; alimenta debent eſſe attenuantia & ſpirituoſa, eupepta toties decantata, non verò frigida, immaturata, viſcoſa, indigeſta. Quia vero hic morbus fovetur à ſtomacho munio ſuo non defungente, poſt purgationes exhiberi debent pulveres digeſtivi ex coriandro, aniſo, nuce moſcata, cinnamomo, cum ſaccharo ad pondus omnium duplum; vel vinum abſynthites. Venæ ſectio locum non habet, benè tamen purgatio identidèm repetita, modò ex pilulis cochiis minoribus, aut majoribus, aut agarico, modò ex potione purgante vulgari cum jalapa, aut electuario diacarthani in decocto attenuante, & calefaciente; apozemata etiam quæ in morbis chronicis ſemper uſurpantur, hìc etiam exhiberi poſſunt ex radicibus, & corticibus attenuantibus, & calidis, imò & herbis, addita ſenna, polipodio, mechoacam, jalapa. Clyſteres quoque acriores identidem injiciendi ex decoctis attenuantibus cum diaphœnico, hiera picra, theriaca, confectione alkermes decoctum ſudorificum hìc etiam locum habet: Errhina verò ſternutatoria, apophlegmatiſmi ſeu maſticatoria, emplaſtra, ſuffumigia quæ uſurpat Riverius, hodie locum non habent, bene tamen cauſticum occipiti, aut alibi inuſtum; aquæ thermales tum epotæ, tum exterius uſurpatæ in formam embrocationis multaque alia apud auctores videnda.

NOTA.

ERrhinorum vulgatiſſimum, & præſtantiſſimum eſt tabaci pulvis, qui hodie ab omnibus, etiam ſine ulla neceſſitate uſurpatur, & videtur ſucceſſiſſe medicamentis illis fortioribus quibus ante ipſius Hippocratis tempora caput purgabant Medici. Ejuſdem etiam tabaci fumus, tubulo nullibi non hauſtus apophlegmatiſmorum locum abundè tenet, neque his efficacioria pituitæ educendæ, aut membranæ pituitariæ exſiccandæ medicamenta hactenus inventa ſunt; modò vitetur abuſus. Serum item ſuperfluum abſorbet potus caffè, cujus uſus non minus vulgatus.

CAPUT II.

De Comate Somnolento, & Caro.

EX iis quæ de Apoplexia nobis inferiùs dicenda ſunt, facile colligi poſſunt, naturæ, cauſæ, curatio iſtorum affectuum: omnes enim eandem ſedem habent eaſdem cauſas, iiſdemque remediis curantur, eſt autem coma ſeu cataphora, quod etiam Avicennæ, *Subeta* dicitur, affectus in quo adeſt quidem ſomnus profundus, à quo tamen æger excitatur, & excitatus reſpondet, & oculos aperit, mox in ſomnum relabitur idque ſine febre; Carus verò eſt gradus inter Coma, & Apoplexiam quaſi medius, adeſt ſiquidem in ipſo profundior, quam in comate ſomnus, à quo æger vix clamore, aut corporis concuſſione poteſt excitari, nec oculos aperire, nec reſpondere, vellicatus tamen ſentit, & integra manet reſpiratio, nulla ſimiliter præſente febre.

Hi duo affectus, ut ex definitione patet, maximè accedunt ad apoplexiam, magis tamen carus quàm coma, ita ut inter ſe non differant niſi ſecundum magis & minus, hoc eſt majorem, vel minorem ſubſtantiæ cerebri corticalis, aut medullaris obſtructionem, aggravationem, compreſſionem, imminutumque magis, & minus ſpirituum animalium motum, & influxum; idcircò cauſæ omnes quas apoplexiæ inducendæ aptas eſſe dicemus, in minori copia, gravitate atque intenſione, carum & coma inducere poſſunt, quas hìc non repetemus, ne actum agere videremur.

Diagnoſis illorum ex definitione patet: in comate enim excitantur, & reſpondent ſentiuntque vellicati, per quæ ſigna ſatis ab Apoplexia diſtinguntur in qua præterea reſpiratio difficilis eſt, quæ in prædictis affectibus integra manet.

NO-

NOTA.

VIde infra caput de Apoplexia.

CAPUT III.

De Lethargo.

LEthargus eſt affectus in quo adeſt ſomnus comati ſimilis, à quo tamen ægri excitantur, aut ſpontè, aut ab extrinſeco, & per illud tempus delirant; præterea adeſt etiam febris, eaque ad lentæ naturam accedens, atque etiam oblivio; quæ ſymptomata hunc effectum à prædictis diverſum faciunt, ac proindè diverſas cauſas agnoſcentem. Talis cauſa non eſt pituita putreſcens in cerebro; ut putabant Antiqui, ſed levis inflammatio, hoc eſt inflammatoria diſpoſitio in tota cerebri ſubſtantia, à ſanguine per ejus ſubſtantiam diſperſo, & extravaſato ortum ducens; Hinc enim facile deduci poſſunt cauſæ, phænomena, ſymptomata in hoc affectu apparentia, febris quidem ratione inflammationis, quæ ſemper febre ſtipatur, quo in præcedentibus explicuimus modo, quæ febris non magna eſt, ſed parva, & quaſi lenta propter inflammationis levitatem, atque parvitatem; quod delirium ſuſcitatis à ſomno ægris adveniens, illud pendet ex manipulo quodam ſpirituum inordinate in aliqua cerebri parte, hoc eſt prope inflammationem agitato, dum alii ad quietem compoſiti videntur, dico manipulo quodam, neque enim omnes ſpiritus commoventur, alioquin adeſſent vigiliæ & delirium, minimè verò ſomnus qui dependet ex ſpirituum animalium quiete, ſicut vigiliæ, & delirium ab intenſo, aut inordinato illorum motu; inordinatio autem illa in qua delirium conſiſtit, ut videbimus ubi de phrenitide, fit per miaſmata, aut particulas ab inflammatione deciduas & ſpiritibus vicinis occurrentes; ratione cujus occurſus commoventur plus ſolito, atque irregulariter in hanc, aut illam cerebri partem feruntur, aut hoc fieri poteſt per particulas heterogeneas à ſanguine ſuggeſtas ſpirituumque ataxias in aliqua cerebri parte cientes; ſomnus profundus ad quem etiam excitati proclives ſunt, procedit ex cerebri non omnimodo infarctu, ſic enim apoplexia ſequeretur, ſed aliquali, à ſanguine ſcilicet totam cerebri ſubſtantiam leviter inflammante, ac proinde aggravante, ſicque ſpirituum ad vigiliam per totum cerebrum requiſitum motum impediente.

Oblivio autem petitur ex variis phantaſmatis quibus dum vigilant ægri, mens eorum ſuſpenſa tenetur, quo fit ut ad neceſſaria non attendant, ſicque interdum matulam petentes mejere obliviſcantur, aut ex deſtructis per cerebri infarctum impreſſis olim characteribus.

NOTA.

VIde infra caput de Apoplexia.

CAPUT IV.

De Comate Vigili.

EST & alia morbi ſpecies, quam ad affectus ſoporoſos referunt auctores, qui Coma vigil dicitur ex eo quòd qui eo corripiuntur, clauſis oculis decumbentes dormire videantur, vigilent delirentque, & ſi tetigeris eos, aut compellaveris, aperiant oculos & reſpondeant, mox iterum in ſomnum relabi videantur, qui tamen deliramentis & imaginationibus variis perturbantur.

Cauſam hujus affectus putabant Antiqui eſſe pituitam bili permixtam, quæ in cerebro eryſipelas œdematoſum, aut œdema eryſipelatoſum excitabat credebant bilem delirium facere; pituitam verò ſomnum, aut propenſionem ad ſomnum: ſed malumus nos dicere fieri, quidem hunc morbum per aggravationem aliquam ipſius cerebri, ratione cujus propenſio ad ſomnum excitetur, ſed non ab humoribus imaginariis, imò potiùs

tiùs à sanguine ipso in cerebro propter laxitatem ejus aut obstructionem minùs bene circulante, aut serioſitatibus acribus per ejus substantiam expansis; quia verò aut sanguis ille aut seroſitates prava sunt & particulis spiritibus heterogeneis referta, hinc non mirum si spiritus à tali materia exagitentur, & propter heterogeneitatem commoveantur sufficienter ad impediendum ne somnus invadat, & ad varia deliramenta inducenda. Isti autem omnes affectus aut per se incipiunt & primarii dicuntur, vel ab aliis affectibus derivantur aut eis superveniunt, & secundarii appellantur, quorum diagnoſis ex illata descriptione haberi facilè potest.

Prognoſim quod spectat, ex omnibus morbis soporoſis minimè periculoſum est coma somnolentum, sicut apoplexia maximè periculoſa, carus verò medio modo se habet, lethargus etiam dici debet periculi plenus & quidem magis quàm coma vigil & somnolentum propter plura & graviora symptomata, uno verbo quo magis ad apoplexiam accedunt pejoris sunt ominis.

Præter remedia in curatione apoplexiæ præscripta & propoſita, quæ in his omnibus affectibus locum habent, putà phlebotomias ex brachiis, pedibus & jugulari celebratas, cucurbitulas scarificatas, vinum emeticum in clysteribus atque potionibus, spiritum salis armoniaci, purgationesque aut clysteres acriores, commendant auctores in hisce omnibus affectibus castoreum & ejus tincturam; pilorum avulsionem, suppoſitoria acriora, frictiones fortes, errhina fortiora ex euphorbio, elleboro albo, sulphure accenſo, aquas antiapoplecticas in variis pharmacopœis descriptas, aut aquam cœlestem vocatam, aliaque quæ passim apud auctores habetur. In lethargo non ita calefaciendum, imò identidem, refrigerandum propter febrem & inflammationem. Topica quod spectat, qualia sunt pulli columbini per medium secti, aut catelli, aut pulmo vervecis, item & inunctiones, vesicatoria, cauteria, sartago candens capiti adomata, minimè in his affectibus sunt energiæ, cauterium tamen à morbo præcavere potest.

NOTA.

Vide mox caput de Apoplexia.

CAPUT V.

De Apoplexia.

ARx Palladis, etsi ob solida quibus undique circumvallatur sepimenta, assiduamque sensuum excubias agentium vigilantiam, externis minùs pateat excursibus; internas tamen injurias quæ ipsi plures impendent, inteſtinumque sibi indictum bellum fugere plerumque non potest. Affectus autem inter omnes qui in illam hoſtiliter magis ferociunt, primas certè tenet apoplexia, ἀπὸ τῦ ἀποπλήττειν id est à percutiendo nomen sortita, ex eo quòd qui ea laborent, velut de cœlo percussi in terram subitò corruant. Definiri potest somnus præternaturalis cum omnimoda sensus & motus saltem manifesti privatione, uno excepto pulsu atque respiratione, quæ non nisi cum labore peragitur.

Duplicem eam statuit Hippocrates, & cum illo universa Medicorum familia; fortem unam quæ cum majori respirandi difficultate, majorique symptomatum vehementia hominem ad exitium præcipitat; debilem alteram in qua etsi non ita summa sint omnia, pauci tamen ab eadem convalescunt, quin aut paralysi universali, aut hemiplegia saltem afficiantur, facta scilicet varia materiæ morbum facientis in penitiorem nervorum substantiam metastasi.

Morbum hunc in cerebri ventriculis, sero, pituita, aut alio quovis humore oppletis tanquam in propria sede reponebant Antiqui, propterea quòd easdem cavitates spirituum animalium precipuorum sensus & motus instrumentorum, officinam reputabant, ex quorum infarctu aut spirituum impediretur generatio,

tio, aut eorumdem impediretur in partes influxus. Verùm quàm à ſcopo aberraverint, cuivis vel Anatomiæ principiis imbuto, ſatis patet: ventriculi enim cerebri, præterquàm quod humiditatibus ſæpe repleti inveniuntur, citra ullam ferè ſenſus & motus læſionem, ut plures teſtantur clariſſimi Vvepferi obſervationes, ii inſuper ſpirituum animalium generationi & à ſanguine ſecretioni minùs apti videntur, quæ nonniſi beneficio glandularum in cerebri cortice poſitarum, nerviſque omnibus originem præbentium peragi poteſt, ut optimè evincunt illuſtriſſimi & de Anatomia optimè meriti M. Malpighii elucubrationes; à Veterum igitur ſententia & partibus diſcedendum, & alibi quàm in cerebri ventriculis quærenda apoplexiæ ſedes, ea autem ex iis quæ modò innuimus ſatis colligi poteſt, glandulæ ſcilicet cerebri corticem conſtituentes & ſpirituum animalium colatoriorum inſtar à ſanguine ſecernentes; tum etiam funiculi nervei à qualibet glandula, velut vaſa excretoria ſpiritibus deferendis dicata, promanantes; quibus omnibus ſi obſtructio, compreſſio, aut quidquam aliud ſpirituum commeatum aut ſeparationem inhibens ſuperveniat, motus ſenſuſque abolitionem ſuccedere neceſſe eſt, ac proinde apoplexiam; functiones enim animales à recta ſpirituum generatione ac diſtributione pendere in confeſſo eſt apud omnes Medicos.

Cauſæ hujus affectus duplicis generis inſtituuntur; internæ aliæ, aliæ verò externæ. Internæ plures ſunt ac primò quidem lympha craſſior, aut poros glandularum obturans, ſic ſcilicet ſpirituum ſecretionem, aut nervorum inde prodeuntium imperceptibiles cavitates occupans, ſicque eorundem ſpirituum diſtributionem impediens; phlegmon aut alius quicumque tumor ſua mole & pondere canales nerveos comprimens, & ſpiritibus viam intercludens, ſeroſa colluvies cerebri ſubſtantiam inundans, ſanguis nimia quantitate ad cerebrum delatus per arterias aut idem minus ſegniuſvè per venas revectus, & utroque morbo cerebri ſubſtantiam & ductus aggravans, quibus omnibus cauſis internis, aliqui addunt acidum humorem latis imaginarium, qui in capite potiùs quàm in aliis partibus ſuas exerit vires, & ſanguinem inibi circulantem figit ac remoratur. Inter cauſas externas reponenda ſunt omnia illa quæ ſanguinis maſſam incraſſare, aut illius versùs caput fluxum promovere vel refluxum impedire, apta nata ſunt, item & quæ lymphæ viſciditatem & ſpiritibus narcoſim conciliare valent, quæ omnia non debitè uſurpatis ſex rebus nonnaturalibus vulgò adſcribuntur.

Diagnoſis apoplexiæ ex allata in ſuperioribus definitione planè innoteſcit, concidunt enim ſtatim qui apoplexia corripiuntur, ſenſu & motu omninò privati ob denegatum in partes nobiles ſenſileſque ſpirituum animalium influxum, per neceſſarium reſpirationis negotium obeunte quidem, ſed difficulter & laboriosè, quod provenit ab impedita ex parte, ſed non totaliter præcluſa ſpirituum in muſculos reſpirationi inſervientes diſpenſatione, cùm enim glandulæ cerebri, qualeſcunque illæ ſint, & nervi ſpiritus iſtis partibus dicatos ſeparantes, deferenteſque, poros habeant patentiores, ſintque ſpiritibus veluti trita & Regia via quam frequentius & copioſius terunt, ob repetitum ſæpius à nativitate reſpirandi actum, hinc fit ut non tam facilè ac alii ductus exiliores comprimantur obſtruanturve, aut ſi humor aliquis craſſior in eorum ſubſtantiam penetraverit, cum eorum cavitatem non tam promptè repleat, aliquem ſemper ſpiritibus permittat in partes quibus proſpiciunt commeatum, unde reſpiratio ſi ex parte non tamen omnino præpediri debet.

Supereſt quoque in apoplecticis cordis motus, qui typum ſuum modò ſervat, modò deperdit, pro majori aut minori nervorum cardiacorum obſtructione & inæquali ſpirituum & ſanguinis ad ipſum appulſu; hujus autem phænomeni explicatio, ex iis quæ de reſpiratione jam diximus facile colligi poteſt; cùm enim cor non à nativitate tantùm ut

reſpiratio, ſed multò ante, dum adhuc fœtus in uteri cancellis concluditur, ſyſtolem ſuam peragere certum ſit nervos quoque & glandulas cerebri huic muſculo ancillantes, hiantiores eſſe neceſſum eſt, ob perennem & nunquam intermiſſum per hujuſmodi partes ſpirituum animalium tranſitum; quapropter non ita facile cauſis obſtruentibus aut comprimentibus cedentes, liberam magis aut minus ſpiritibus viam relinquunt; utriuſque etiam functionis vitalis in hoc affectu ſuperſtitis ratio deſumi poteſt ex diverſo nervorum reſpirationi & pulſui inſervientium ortu, hi enim omnes non à cerebro, ut alii, ſed à cerebello, in Apoplexia ratione proprie denſitatis minus affecto, originem trahunt ſuam (ut accuratus nervorum ſcrutator teſtatur Vvilliſius) & ipſa etiam experientia compertum facit; quia cerebello è cranio exempto, aut eodem per factum in occipite foramen confuſo, turbatoque, animal jam adultum propter ſuppreſſam ſtatim reſpirationem, & cordis motum impeditum ſubitò interire conſtat, quæ tamen reſpirationis & pulſus ſuppreſſio, non ſequitur ablato prorſus per cranii anterioris aperturam cerebro, in quo caſu ad plures horas animal vitam protrahit, & functiones vitales dictas, dilucido exercet temporis intervallo; hinc non mirum ſi motu privatis aliis corporis partibus, quæ à cerebro ſuos accipiunt nervos, thorax & cor moveri non deſinant, aut ſaltem motus ipſorum prorſus non niſi apoplexia fortiſſima aboleatur, quæ propter affecta cerebrum, ſimul & cerebellum, functiones tum voluntarias tum ſpontaneas ſufflaminat, & hominem inſtanti temporis de medio tollit.

Cauſarum autem apoplexiam producentium ſigna petuntur ex temperamento, ætate, humoribus in corpore redundantibus, plethora; & ſi à phlegmone, aut alio quovis humore ortum ducat affectus, difficile admodum dignoſci poteſt & nonniſi apertis hoc morbo defunctorum craniis planè innoteſcit.

Prognoſis in Apoplexia inſtituenda hoc uno Hippocratis aphoriſmo comprehenditur. *Apoplexiam* (inquit) *fortem tollere impoſſibile, levem autem non facile*. Ex quibus divini ſenis verbis patet hunc morbum ſi ullum, maximum periculum protendere & difficillime curari poſſe.

Curationem quod attinet quandoquidem morbus urget iſque vehementiſſimus ad validiora remedia ſtatim confugere debet Medicus; extrema enim extremis optimè conveniunt. Ea autem vel à Chirurgia petuntur vel à Pharmacia; diæta enim in iſto affectu non ita ac in aliis morbis locum habet. Prioris ordinis ſuntcopioſæ phlebotomiæ ex brachiis, pedibus, imò etiam ex jugulari externa, quæ ratione rami venoſi quo cum interna communicat ſanguinem à partibus capitis internis revehente, cauſam morbificam facilius & promptius revellere & derivare potis eſt, præſertim ſi à ſanguine in cerebro ſtagnante ortum ducat affectus & corpore ſanguineo, aut plethorico reperiatur; venæ ſectiones ex chirurgicis ſequuntur, cucurbitulæ ſcarificatæ occipiti aut ſpinæ dorſi applicatæ, hirudines admotæ temporibus, & alia hujuſmodi quæ paſſim apud auctores deprædicantur. Parmacia verò non minoris notæ medicamenta ſuggerit qualia ſunt ſternutatoria vehementia, apophlegmatiſmi, vinum emeticum in clyſteribus atque potionibus, & alia plura, quæ ſopitum ægrum exſuſcitare & humores in cerebro hærentes commovere & attenuare apta ſunt, ſicque ſpiritus in priſtinam libertatem vindicare; ſi quod autem ſit remedium quod maximæ in hujus generis affectibus energiæ ſit, nullum aliud quærendum quàm ſpiritus ſalis armoniaci, ſi præſertim optimè rectificatus fuit, & tum à phlegmate ſuo, tum ab acido, quod à ſale marino mutuatur, rectè depuratus, tunc etenim particulis ſuis ſummè mobilibus, volatilibus, ſcilicet ſalibus, ab urina & fuligine quæ ſalis armoniaci compoſitionem ingrediuntur, depromptis,

cau-

cauſam morbificam cerebrum inundantem, comprimentem aut obſtruentem attenuat, diſcutit, aut circulationi remandat, ſpiritus commovet & exagitat, vias iiſdem præcluſas reſerat, uno verbo præcipuas in hoc morbo indicationes adimplet.

NOTA.

IN Apoplexiæ curatione nunquam negligenda venæ ſectio & quidem larga manu celebrata, ut rectè monet auctor clariſſimus, & tractatu peculiari, ea ſuper re edito, Doctiſs. Cornummius. Materia clyſterum ſint folia ſalviæ, majoranæ, bethonicæ, anthos, origan. centaturæ minor, radic. ellebori nigri, cyclaminis, pyretri, pulpa colocynthidos, fol. ſennæ. Horum decocto adde hieram diacolocynthidos, vinum emeticum, mel anthoſatum, caſtoreum, ſal gemmæ, olea diſtillata ſuccini, lavendulæ &c.

Emetica per os exhibita metuunt nonnulli Practici, quaſi ſcilicet ſuffocatio inde ſequi poſſit; verùm metus ille vanus eſt. Si quis eo teneatur purgantia per alvum vomitoriis ingerere feliciter poteſt. Sic tartarum emeticum, aut ſyrupus emeticus Glauberi vel oxyſaccharum Angeli Salæ facile decocto purganti adduntur, ut ſic fiat anceps medicamentum ſupra aut infra pro naturæ diſpoſitione agens. Quod ſi majorem liquoris doſim deglutire æger non poſſit, diſſolvitur extract. Panchymagog. Crolli in pauco ſpiritu ceraſorum.

Salia volatilia C. C. ſuccini, viperarum, &c. non uno nomine & hìc commendantur, ſed pauci ſunt Practici qui de his purgantibus medicamentis maritandis cogitaverint, quòd tamen tutò fieri poſſe experientia multiplici à Medicis quibuſdam Genevenſibus comprobatum eſt, inter quos obſervationis iſtius ſcriptor non ultimus, & forſan cum alio ſuo Collega & amico ſingulari, primus fuit.

Hac ratione torpidi ſpiritus, fibrarum ventriculi & inteſtinorum incolæ, potentiùs excitantur, & officii ſui, ut ita dicam, admoniti, purgantis medicamenti craſſiores aculeos citius percipientes dictas fibras, alioquin fermè inſenſibiles, contrahunt, & conſequenter totum nervorum ſyſtema commovent & concutiunt; quo fit ut obſtructiones aliquando reſerentur.

Eadem volatilia in forma pulveris, excitatorium eximium præbent, non modò naribus admota, ſed in eas inſufflata. Inter olea autem diſtillata palato & linguæ affricanda laudatur oleum cinnamomi ſincerum, nec, ut fieri ſolet, adulteratum. Aquarum apoplecticarum formulæ ſexcentæ videri poſſunt apud auctores; ſed his, in morbi inſultu, cautiùs utendum, ne vaſorum ſanguineorum ruptionem, quæ in hoc affectu ut plurimum contingit & mortem proximè accerſit, accelerent.

De Comate, Caro, Lethargia non eſt quod hìc multa addamus; curatio quippe iſtorum affectuum ab Apoplexiæ curatione non ita diverſa eſt. Hoc unum notandum quòd dicti affectus, potiſſimùm Coma & Lethargus, cùm febrium malignarum ſæpe conſectanei ſint, iisdem remediis quibus febris ipſa tollatur. Itaque ſi vel minima ſuſpicio ſit febris intermittentium naturam ſapientis, aut paroxyſmos ſenſibiles habentis, nunquam hìc negligendus Corticis Peruviani uſus, poſt præmiſſa, nimirum univerſalia vacuantia, quo in caſu, & volatilibus cortex iſte, optimè jungitur.

Nec item negligendus potus herbæ Thè, admixtis volatilibus.

Vide in ſequentibus caput de Paralyſi, in quo nonnulla de omnibus affectibus nervoſis in genere.

CAPUT VI.

De Catoche, ſeu Catalepſi.

INter magis præcipuos ſicut & magis mirandos affectus recenſetur morbus Catoche dictus, & alio nomine catalepſis à κατα-λαμβάνεσθαι ideſt prehendi, deſumpta etymologia, ex eo quod qui hoc morbo corripiuntur, quaſi prehenduntur derepente & prehenſi in eodem ſtatu permanent, quaſi à Gorgonei capitis aſpectu; Latinis congelatio dicitur propterea quod membra plerumque rigida & quaſi congelata ſint.

Morbus iſte rariſſimus eſt, ita ut Practici hunc rariùs in vita ſua obſervaverint, ejus hiſtoriam unicam proponit Galenus de condiſcipulo ſuo, ſtudio attentiùs incumbente, duas Fernelius, unam de ſcribente quodam, alteram de mortui ritu jacente, & figuram quæ ipſi data fuerat ſervante. Similes etiam hiſtorias videre eſt apud Skenkium, Rondeletium, Tulpium, Foreſtum alioſque obſervatores, qui tamen omnes ſibi in omnibus non conveniunt, propterea quòd morbus ægros in variis ſtatibus prehendere ſolet eoſdemque in eodem ſtatu & poſitione retinere. In hoc tamen omnes conveniunt, quòd eſſentia hujus morbi ſit ut ſubitò correpti ægri, & in eodem ſtatu detenti, apertis plerumque oculis atque immotis, (modò vidèntes audienteſque cùm non eſt totalis ſenſuum abolitio, modò iiſdem ſenſationibus privati, cùm omninò abolentur hujuſmodi ſenſus propter cauſæ gravitatem) cum membrorum rigiditate obſerventur, quæ tamen rigiditas ab extrinſeco vincitur, cùm adſtantes variè membra ægrorum flectere poſſint, & in varios ſitus movere. Reſpiratio interim atque pulſus ſalva manent. Ex his facilè intelligi poteſt quænam ſit ejuſmodi morbi natura ſeu definitio, quænam diagnoſis & quænam ejus ab aliis affectibus capitis differentia, hoc enim totum in jam allata catoches deſcriptione continetur.

Cauſas ejus quod ſpectat, non videtur admittenda pro ejus affectus cauſa, frigida & ſicca cerebri intemperies cum Galeno nervos conſtipans & condenſans, tanta enim frigiditas congelare & condenſare valens in corpore vivente reperiri non poteſt, nec etiam cerebrum utpote molle & humidum tanta ſiccitate citra mortem laborare valet, ut inde nervi adſtringantur & tenſi maneant ad hunc morbum producendum. Nec magis arridet ſpiritus congelans Sennerti, non ex frigida intemperie, ſed ex occulta qualitate ortus, quem ſpiritum illi analogum eſſe dicit, qui vel ex terræ motibus elevatur vel ex fulmine, cujus vis tanta eſt, ut homines inde congelari & immotos reddi plures teſtentur hiſtoriæ: ſpiritus enim ille præterquàm quòd obſcurus eſt & gratis admittitur, non videtur unde in corpore noſtro derivari poſſit, & quomodo tantam vim habere poſſit ad ſpiritus & muſculos congelandos; Sylvii hypotheſis explodenda quoque videtur, qui parem in ſpiritibus animalibus concipit coagulationem, illi, quæ ex ſpiritus vini & urinæ mixtione conſequitur, ſimiles ſiquidem liquores in corpore & cerebro non reperiuntur. Nec ſpiritus animales ſpiritus vini naturam redolent, ut ſupponit, hic quippe totus ſulphureus eſt, illi verò naturam habent ſalino-volatilem. Adde quòd ſpirituum coagulatio, denegatum eorumdem in partes influxum ſupponat, qui hoc in affectu concipi nequit, cùm pulſus & reſpiratio permaneant, imò & viſio plerumque & auditio, atque etiam membrorum motus ab extrinſeco ſeu adſtantibus.

Sunt quidam qui pro cauſa catalepſis ſtatuunt gelatinoſam & quaſi ceream humorum atque ſpirituum conſiſtentiam, ex qua impotentiam ad motum atque ſenſum qui à ſpirituum immobilitate dependent, deducunt, quæ tamen membrorum immobilitas rigiditaſque vinci poteſt ab extrinſeco, membraque variè flecti poſſunt propter muſculos facilè obſequentes ob ceream & gelatinoſam humorum & ſpirituum quibus infarciuntur,

tur, conſiſtentiam. Hanc ſententiam præter multas alias rationes infirmat iſta, quòd ſcilicet uno, & eodem inſtanti quo corripiuntur cataleptici, ſanguis & ſpiritus anteà ſubtiles, & volatiles ceream ſtatim & gelatinoſam conſiſtentiam non acquirant, adde quòd ſpiritus cerei & gelatinoſi in oculos, aures, cor, muſculos reſpirationi dicatos non facilè influerent, quod tamen contingere aliquando experientia teſtatur.

Sola ergo hypotheſis quæ nobis amplectenda reſtat, eſt animæ avocatio, ſeu ſtatus extaticus, aut fortiſſima ejus ad objectum aliquod applicatio, quæ quia ſpiritus omnes ad objectum illud dirigit & impedit, aut tota in illius contemplatione occupatur, ſpiritus in partes non determinat ad faciendos motus, nec impreſſiones ab extrinſeco factas percipit; hoc quàm verum ſit teſtantur melancholici, ſtudioſi, & cogitabundi qui fortiſſimam habent imaginandi vim; teſtatur etiam, & ſubita morbi invaſio, quæ nonniſi à fortiſſima ſe ſe offerente cogitatione ſpiritus avocante eorumque ſolitam diſpenſationem impediente dependere poteſt.

Teſtatur denique, & permanentia in eodem ſtatu in quo ægri correpti ſunt, quæ procedit ex ſpirituum determinatione versùs quaſdam partes facta, quæ determinatio remanet, quia nova non ſupervenit propter animam occupatam, niſi agentia extrinſeca, ſeu adſtantes animæ vice fungantur, & membra variè flectendo ſpiritibus qui ſemper in aliqua, quamvis inſufficienti quantitate influunt, viam in alios muſculos aperiant; relaxatio autem unius muſculi eſt occaſio ad antagoniſtæ contractionem. Pulſus, & reſpiratio remanent propterea quòd ſunt functiones ſpontaneæ ab animæ nutu non dependentes, unde quamvis illa occupata & avocata ſit, eodem ſemper tenore fiunt, vident verò audiuntque ægrotantes, quod tamen rariùs contingit, quando non eſt tanta animæ extaſis, & avocatio ut ſpirituum in oculos & aures totalem influxum refluxumque impediat.

Prognoſim quod ſpectat, ea non ita periculoſa inſtituenda quàm in apoplexia, periculi tamen non expers eſt talis morbus, & ſi diutiùs duret metus eſt ne mors ſubſequatur propter defectum ſpirituum in partibus, & ſubſequentem inde nutritionis, digeſtionis, reſpirationis, & cordis motus defectum.

Curatio hujus morbi in paroxyſmo quidem eadem eſt atque illa quam aliis ſoporoſis affectibus convenire diximus, quamque hìc non repetimus. Extra paroxyſmum remedia, quæ præſcribi debent, ſunt ea omnia quæ ſpiritibus, & ſanguini motum conciliant, nam quò mobiliores ſunt ſpiritus, & ſanguis, eò plurimis diſtrahimur cogitationibus, ac proinde non uni ſoli ſe applicat anima; talia ſunt præter purgationes & clyſteres paulò vehementiores identidem uſurpatos, apozemata aperientia & attenuantia, item & julepi, & confectiones calefacientes, & mercurialia chalybeata, ſpiritus & ſales volatiles, plantæ aromaticæ, victus ratio calefaciens, & attenuans, diaphoretica, decoctum ſudorificum, balneum, aquæ minerales, uno verbo ea omnia, quæ melancholiæ hujus morbi plerumque parenti conveniunt.

NOTA.

RAriſſimi hujuſce affectus curatio, à curatione affectuum ſoporoſorum non multùm variatur ab auctore obſervatum. Venæ ſectionem, & hìc convenire volunt Sennertus & Foreſtus, nec immertiò, hac ſiquidem vaſis depletis, liberior ſpiritibus commeatus præbetur.

CAPUT

CAPUT VII.

De Paralyſi.

PAralyſis eſt privatio motûs & ſenſus; (non ea quæ cerebrum oppletum, & infarctum conſequitur aliaſque functiones lædit, ſic enim eſt apoplexia, nec ea in qua membra rigida ſunt, & in varios ſitus facilè flexibilia ob animæ avocationem, ſic enim eſt catalepſis ut jam diximus) ſed ea quæ cerebro integro aut media ejus parte læſa, ſolet ſupervenire, propter impeditum, ab obſtructione aut compreſſione nervorum, ſpirituum animalium influxum. Variæ ſunt ejus differentiæ; ſi enim omnes partes inferiores quæ ſub capite ſunt, excepto illo, reſolvantur, paraplegia dicitur; ſi dimidia corporis pars à ſummo vertice ad calcem, hemiplegia vocatur; ſi unica tantùm pars, putà brachium, lingua, tibia, crus &c. paralyſis particularis appellatur. Ratione cauſarum magis, aut minùs gravium habet alias ſpecies paralyſis; alia nempe perfecta eſt in qua ſenſus & motus abolentur omninò; imperfecta altera quæ potiùs ſtupor, & torpor nominanda eſt, in qua ſenſus & motus non totaliter abolentur, ſed tantùm imminuuntur, quæ via eſt ad paralyſim perfectam; eſt & alia paralyſeos ſpecies quando ſcilicet illæſo ſenſu motus aboletur, aut propter minorem ſpirituum influxum ſenſui non motui perficiendo parem, aut propter fibroſæ nervorum, aut medulloſæ ſubſtantiæ, non verò membranoſæ à qua ſenſus dependet, infarctum, aut denique propter habitum corporis & cutim minùs humoribus ſenſum ejus impedientibus oppletam; à tali enim cauſa privatio ſenſus procedere poteſt, vel vice verſa ſenſus illæſo motu perit propter rationes contrarias quæ ex dictis facilè inferri poſſunt.

Cauſæ hujus affectus in genere ſunt, quæcumque ſpirituum animalium per quos ſenſum & motum fieri nemo dubitat, in partes influxum impedire poſſunt; quæ cauſæ ſi in media parte cerebri hoc eſt altero ejus limbo ſecundùm partem medulloſam illius, imo & ſpinæ medullaris ſe ſe prodant, hemiplegiam producunt, ſi non in principiis nervorum hæreant, ſed altiùs in totum genus nervoſum ſub capite deſcendant, paraplegiam inducunt; ſi domum in aliquo tantùm nervorum ramo, aut plexu particulari parti proſpiciente reperiantur paralyſim particularem invehunt. Tales cauſæ ſunt humores craſſi in nervos impacti viamque ſpiritibus præcludentes; qui humores vel filtrantur per glandulas cerebri laxiores & unà cum ſpiritibus in nerveos ductus penetrant, vel immediatè in vaſis ſanguineis per mediam nervorum ſubſtantiam ut experientia conſtat, excurrentibus hærent, & continentur, aut ex ipſis nimium oppletis tranſudant, ſicque nervos infarciendo, ſpirituum commeatum inhibent.

Nec hìc agitur an tales humores, bilioſi ſint, pituitoſi, melancholici, ſufficit dicere quòd craſſitie, & viſciditate peccent; atque interdum etiam copia; Narcotica medicamenta exhibita, vapores, & exhalationes narcoticæ, halitus item ex hydrargyro elevati, vinum copioſiùs repotum, morbum hunc inducere valent, propter corpuſcula ſulphurea ſpiritus ligantia eorumque motum inhibentia, quæ quia in nervos plerumque præ ſui tenuitate penetrant, eorum fluxum impedientia per has partes, flacceſcunt & laxantur; fieri poteſt ab illis cauſis, ut glandulæ cerebri laxiores ſpiritus animales puros non tranſcolent, ſed partibus craſſiuſculis immixtos, quæ deinde nervos obſtruunt. Tumores nervis adjiacentes, præciſio nervorum, luxatio vertebrarum, corpora frigidiſſima admota ut glacies, aer frigidus, & pallium madidum collo diutiùs obvolutum paralyſim manuum aliquando inducere ſolitum, ut dicit Galenus, quomodo morbo de quo agimus inducendo apta ſint, nullus eſt qui colligere non poſſit; quòd ſpectat ad intemperiem frigidam ſive materiam ſpiritus congelantem, & nervorum temperiem deſtruen-

ſtruentem, atque etiam nerveorum canalium exſiccationem nimiam quas inter cauſas paralyſeos recenſet Riverius, ea ſatis ex ſe concidunt nec indigent refutatione.

Diagnoſis hujus affectus facilis eſt, ex impotentia enim ad motum & ſenſum vel partis vel dimidii corporis paralyſis ſpecies innoteſcit; locus obſtructionis, aut compreſſionis nervorum aliquando facilè detegitur, dum ſcilicet à cauſa externa dependet, luxatione vertebræ, ictu, contuſione, ruptione &c. non ita facilè dum à cauſa interna; attamen ex anatomia nervorum patere, & innoteſcere poteſt; dum adeſt hemiplegia media pars cerebri, & ſpinæ dorſi laborat; dum crura ſola reſolvuntur, adeſt obſtructio, aut infarctus circa os ſacrum; dum brachia, & manus, circa vertebras ultimas colli, & primas thoracis exemplo Galeni, & ſic de cæteris, quod intelligendum eſt, ut plurimùm; nam tales paralyſes particulares oriri poſſunt ex obſtructione in principio nervorum & cerebro.

Cauſarum ſigna externarum nulla afferri debent, ut potè quod aut ſenſibus patent, aut ex ægrorum miniſtrorumque relatu cognoſcuntur; interna ſunt humores aquoſi, frigidi, craſſi, quorum diagnoſis habetur ex temperamento pituitoſo, melancholico, ætate ſenili, cauſis externis refrigerantibus, victu frigido & craſſo, obſtructionibus, apoplexia præcedente, quæ plerumque in paraplegiam, aut hemiplegiam degenerat; hinc innuendum in partibus paralyſi laborantibus nutritionem non fieri, ac ſenſim illas marceſcere, & contabeſcere, quia ſpiritus non minùs ad nutritionem contribuunt, quàm ſanguis, ſicut ſanguis non minùs ad motum quam ſpiritus, ſunt enim hi duo liquores comites, in omnibus functionibus inſeparabiles, & per conſequens in nutritione, ſpiritus motu ſuo non ſolùm poros dilatant, quibus humor alibilis apponatur, ſed etiam per fermentationem aliqualem, quam facit, & attenuationem in particulis ad nutritionem dicatis eas tali operi magis idoneas reddit.

Prognoſis paralyſeos mala ſemper eſt, & eo pejor quo plures corridit partes, unde particularis minùs periculoſa, quàm univerſalis, omnes tamen curatu difficiles ſunt propter contumaciam cauſæ, quæ difficile diſcutitur, atque profunditatem, & ſubſtantiam nervorum denſam, è qua humores divelli non poſſunt.

Tremor paralyſi ſuperveniens bonus, atrophia, aut frigiditas parti paralyticæ adveniens mali eſt ominis in ſenibus difficilius curatur morbus quàm in juvenibus.

Quoad curationem, quandoquidem morbus iſte ut plurimum ab humore frigido & craſſo dependet, remedia humorem illum attenuantia, & reſolventia ac proinde calidiora & aperientia præſcribi debent, inter univerſalia venæ ſectio nullum locum habet niſi forſan ratione plethoræ; purgatio vero identidem inſtitui debet per pilulas cochias minores, fœtidas, aut potionem ex decocto attenuante & calefaciente cum ſenna, ſale tartari, ſale prunellæ jalap. reſina, ſcammoneo ad aliquot grana cum aliqua conſerva, apozemata aperientia & purgantia; hìc autem habent locum chalybeata, mercurialia, decoctum ſudorificum, ſuffumigium, ſtuphæ quod ſuffumigium fieri debet ex aqua vitæ toto corpore exceptum, aut ex vino in quo lateres igniti injecti fuerunt. Aquæ etiam Thermales miros in hoc affectu præſtant effectus aut exterius aut interius etiam uſurpatæ; vomitoria etiam ex eo quòd potentius revellant & humores commoveant in paralyſi uſurpari poſſunt, ac proinde vinum emeticum aliæque antimoniales emeticæ præparationes ad eundem affectum, valent quoque aquæ ſpirituoſæ, ut theriacalis, Cœleſtis, Imperialis, cinnamomi, & ea antiparalytica cujus deſcriptionem tradit Riverius, nec minus conveniunt ſpiritus & ſales volatiles, ſales fixi & lixivioſi aromatici & acres & herbæ, radices aperientes. Quoad Topica conveniunt fotus

ex

ex aqua vitæ, Reginæ Hungariæ, vel ex decocto radicum & herbarum calidarum, item, & frictiones: linimenta verò, & emplastra non ita probantur, sudor etiam in parte affecta, aut toto corpore promoveri potest, decocto bardanæ in formam suffumigii, aut decocto ebuli, quod potentius operatur, aut pars affecta demittatur in vinacea statim atque vinum extractum ex iis est, & per aliquod tempus ibi detineatur. Chymici commendant elixir proprietatis, spiritum tartari, usurpata interius. Dum paralysis ex præcisione nervorum dependet incurabilis est, item & difficile curatur quæ ex luxatione, dum verò ab aliis causis procatarcticis refrigerantibus, contundentibus &c. iisdem jam recensitis remediis curatur, topicis præsertim insistendo aliisque ab auctoribus descriptis.

NOTA.

PAralysim frigore extremo aliquando fieri, experientia comprobatur. Hinc occasio data veteribus cogitandi aliquid frigori externo analogum in corpore reperiri cui paralysis ab interna causa proveniens natales suos debeat. Cum autem *pituita* frigidus humor eis audiretur, nulli alii humori adscribendam paralysim putarunt; idque ea potiori ratione quòd pituita non frigida modò; sed tenax simul & viscida sit, ac proinde obstructionem facere aptissima. Cùm præterea cerebrum, pituitæ, secundum Hippocratem, metropolis, nervis, qui motus & sensus auctores sunt, originem præbeat, humorem illum in nervorum orificia eo faciliùs influere posse credidêrunt.

A veterum sententia non ita alienus videtur Auctor noster dum crassitiei & visciditati humorum, qualescunque demum hi fuerint, obstructionem nervorum paralysim constituentem, primo loco acceptam refert. At quæ idem paulo post addit de corpusculis sulphureis spiritus ligantibus aliam & diversam hujusce morbi causam dari evincunt, quam & ipse admittit, sed, satis ut par erat, non explicat.

Bilem ipsam, cujus natura sulphureo-salina, narcoticam quandoque fieri, & similes *opio*, quocum pluribus ipsi convenit, effectus producere credidit Sylvius, eique non minimam partem in soporosis affectibus producendis adscribebat. Ego sanè non paucos & viros & mulieres temperamenti biliosо-melancholici, habitus sicci & strigosi, collique longioris, comate, caro, apoplexia, & paralysi ipsa correptos vidi; immò horum majorem numerum in morbos illos incurrere observavi, quàm pituitosorum aut obesorum, etsi non negaverim posteriores istos affectibus æquè subitis & pertinacibus sæpiùs utique è medio tolli, sed id plethoræ universalis, seu sanguinis & humorum omnium copiæ & moli circulationi ineptæ; ut & vasorum undique compressorum angustiæ, acceptum potius referrem, atque hosce casus ad catharrorum suffocantium classem revocarem.

Si & pituitam suam hìc symbolam conferre quis voluerit, non tam illius crassitiei aut visciditati attendat, quàm ad salia in humore isto glutinoso & lento nidulantia. Quæ quidem salia in acidorum classem redigi posse probat paralysis illa Austriæ & Moraviæ incolis familiaris, de qua Cl. Ethmullerus, & quam idem ex abusu vini, acore insigni præditi, provenire observat. Huic opinioni præterea favet paralysi seu paresis Colicæ, *Pictonum* dictæ succedens; posterior enim horum affectuum non aliunde procedere videtur quàm à metastasi seu decubitu materiæ quæ priorem faciebat, in medullam spinalem. Materiam autem illam sali acido acceptam ferendam evincunt dolores colici atrociissimi. At objiciat quis, in paralysi cum motu sensum etiam aboleri, quod non ita contingere deberet, si sal acidum prædominaretur? Verum impossibile fortassis non est ut acidum alio modo in membranas, & tunicas nervorum, alio in eorundem medullam agat; dolores dum illas pungit & crispat, inferat, dum verò in hanc intrusum est, spiritus tantummodò præ-

cipi-

cipitet, & peſſundet, & ſic motus, & ſenſus privationem inducat. Adde quòd dentur etiam *paralyſes dolorificæ*, in quibus per intervalla ægri doloris ſenſum in partibus reſolutis habeant, quod acido liqueſcenti & tunicas nervorum ſubinde imbuenti attribui poteſt.

Quid ſi ſal iſtud ſpiritus congelans nitroſum, aut nitro analogum dicamus? Certè hæc ſententia vel hoc nititur argumento, quòd nitri ope congelationes liquorum artificiales fieri quotidie videamus, & frigus ipſum, cauſa paralyſis evidens, aut exterior, particulis nitro-aereis fixioribus, & rigidioribus in athmoſphæra diſperſis, commodè adſcribi poſſit. Rationem hinc reddere in proclivi eſt cur Apoplexia, quæ nihil aliud eſt quam Paralyſis univerſalis, hiemis quàm æſtatis tempore frequentior ſit, illa ſcilicet tempeſtate aer particulis nitroſis craſſioribus, & copioſioribus onuſtus eſt, quibus per reſpirationem, & cutis poros intrò ſuſceptis humorum, ſucci nervei, & ipſorum adeo ſpirituum motus torpidior redditur, tandemque aut ex parte, aut in totum aboletur. Sed iſta duobus verbis tetigiſſe ſufficiat.

Ad Paralyſis ſpeciem *Beriberi* Indis dictam, de qua Bontius, quod attinet, etſi eam Cl. Ethmullerus meræ aeris humiditati nervos & tendines imbuenti, adſcribat, nihil impedit quo minus & ſal figens hic agnoſcamus. Haud abſimilem obſervavit olim Eraſiſtratus paralyſim, quam *paradoxon* vocat, in qua ſcilicet, ait ille, apud Cæl. Aurelianum, ambulantes repente ſiſtuntur, ut ambulare non poſſint, & tum rurſus ambulare ſinuntur. Hujus paralyſeos & nos unum, aut alterum exemplum in his regionibus vidimus.

Curatur paralyſis primo venæ ſectione, tum clyſteribus acrioribus, quibus additur therebinthina, exinde purgantibus iteratis, demum decoctis guajaci, ſalſæparillæ, & cæteris hujuſmodi, quibus & ipſa purgantia commodè infunduntur, & volatilia adduntur. Axungiæ taxi, cati, vulpis, anſeris, ciconiæ &c. hic locum habent. Ex his cum oleis aromaticis, & potiſſimum caſtoreo, parantur balſama utiliſſima. In paralyſi linguæ commendatur ſuccus ſalviæ in ore detentus. Hanc & nos largiori venæ ſectione, decoctis ſudorificis, mithridatio, caſtoreo, purgantibus frequenter iteratis, in juvene aliquando curavimus. De balneis & aquis medicatis, quæ ſacra hic audiuntur anchora ſatis auctor noſter.

CAPUT VIII.

De Convulſione, & Epilepſia.

UTrumque hunc affectum in hoc Capite tractamus propterea quòd maximam inter ſe affinitatem habente non ſolum ratione partis affectæ nempe muſculorum, ſed etiam ratione cauſæ quæ in utroque affectu eadem eſt ut infra videbimus, & ratione curationis quæ in convulſione & in epilepſia eadem ſemper eſſe debet. Eſt autem Convulſio, præternaturalis, durans, involuntariaque muſculorum cum dolore contractio, per quam membra aut partes variè flectuntur, extenduntur, aut in unam alteramque partem contorquentur, à quo ſtatu non prius dimoventur, quin cauſa morbum faciens diſcuſſa fuerit, aut ex muſculis in quibus accumulata eſt expulſa & eliminata aut medicamento alterata. Putabant Veteres hunc affectum ad nervos pertinere, ſed cùm nervi merè canales ſint, ſpiritus animales deferentes, nec contractione relaxationiſque capaces utpote, qui motus organa non ſunt ad muſculos potius motus animalis auctores, partiumque flexionem, extenſionem aliamque illarum poſituram, ſitum, facientes pertinere videtur, imò & convulſio propriè dicta, quæ eſt ut jam innuimus, involuntaria & durans partium muſculorum retractio ad eos tantum muſculos referri debet qui voluntatis imperio ſubditi ſunt, quique motus ſpontaneos dictos facere conſueverunt, alii enim muſculi aut muſculares fibræ motus naturales dictos eliciunt, hoc eſt voluntatis imperio non ſubditæ, ut ſunt, motus inteſtinorum, cordis ſtomachi, nunquam con-

convulſione ſeu ſpaſmo propriè dicto tentantur, ſed motibus tantùm convulſivis & ſpaſmodicis, qui à convulſione differunt, ut videbimus infra, ex eo quod illi motus interpolati ſint parteſque modò retrahantur, modò relaxentur, quod in ſpaſmo & convulſione non contingit, ubi membrum aut corpus immobile eſt & verſus unam partem ſemper retractum. Quoad autem partes quæ motus eliciunt non ſpontaneos & naturales, nonniſi motibus infeſtantur convulſivis præter experientiam, qua ventriculum & inteſtina conſtrictiones tantùm interpolatas, in vomitu, & catharſi facere conſtat, probat etiam & ratio quatenus fibræ muſculares inteſtina & ventriculum circumpoſitæ non ſunt ſatis fortes nec ſufficientem habent unquam ſpirituum & materiæ ſpaſmodicæ copiam, ad conatum illum maximum qui ad ventriculi contractionem convulſivam, ut de vomitu diximus, requiritur, ſubſtinendnm diutius præſertim cum in relaxatione ſemper aut ſaltem levi tantum conſtrictione ventriculus & inteſtina eſſe conſueverint, quod de aliis partibus convulſioni propriè dictæ obnoxiis dici non poteſt, quæ muſculos habent fortiores, utpote quorum fibræ omnes junguntur in unum muſculum & in unum deſinunt tendinem ac proinde fortiores ſunt, cui operi etiam convenit peculiaris partium ſtructura, quod in corde locum habere poteſt ex his quæ diximus ubi de ſyncope.

Convulſio dividitur in univerſalem, in qua non omnes corporis muſculi præternaturaliter conſtringuntur parteſque retrahunt, quibus annectuntur, quia hoc fieri non poteſt, ſed plurimi tantùm per totum corpus diſperſi; & in particularem, in qua membrum tantum aliquod aut pars involuntariè continuò per muſculi eam moventis contractionem præternaturalem retrahitur.

Primum convulſionis genus in triplicem dividunt ſpeciem auctores, aliam emproſtotonos dictam, in qua caput, cervix, brachia verſus anteriora violenter contrahuntur, aliam ipſi oppoſitam opiſtotonos appellatam, in qua eædem partes præſertim caput, cervix, brachia verſùs poſteriora convelluntur, aliam denique quæ tetanos ſeu motus tonicus appellatur, in qua partes rigidæ manent & inter flexionem atque extenſionem, aut inter duos motus oppoſitos quaſi in æquilibrio propter æqualem muſculorum antagoniſtarum contractionem. Duæ primæ ſpecies poſſibiles ſunt, quamvis rarò facile concipiantur, ultima vero ſeu Tetanos non ita facile concipitur, ſiquidem impoſſibile ut ex Anatomia conſtat duos muſculos antagoniſtas ſimul contrahi, cum unicus relaxatio ſit occaſio ad contractionem alterius, nam ſectio aut paralyſi laborante uno muſculo, ejus antagoniſta ſtatim partem verſus ſe retractum ſervat; quare dicendum cum ſanioribus, vel talem convulſionis ſpeciem non dari, vel eam pro eo corporis ſitu intelligendam eſſe in quo artus potiſſimum rectè, non verò incurve collocantur, per muſculos ſcilicet extenſores convulſionem patientes; particularis convulſionis plures ſunt ſpecies pro varietate partium affectarum varia nomina ſortientes, ſic enim in muſculis oculorum Strabiſmus, in muſculis mandibularum Triſmus, in muſculis oris Spaſmus cynicus appellari ſolent.

Pro cauſis convulſionis afferendis non eſt ut confugiamus cum Veteribus ad inanitionem, aut repletionem, ex quibus ſolis convulſionem dependere putabant, quam ſententiam confirmabant exemplo cordarum quæ duplici de cauſa decurtantur & contrahuntur, dum ſcilicet humore repelentur, vel dum evaporato eo nimis exareſcunt & inaniuntur, hæc enim hypotheſis præterquàm quòd veritatis avidum ſatiare nequit, ſupponit præterea convulſionem, ſeu retractionem fieri per nervos quæ nonniſi per muſculos fit ut cuilibet Anatomiæ gnaro compertum eſt, & partes corporis exareſcere atque exſiccare ita poſſe, ut membrorum ſequatur contractio, quam tamen ſiccitatem muſculis advenire nemo credat, atque quod in Veteribus indiſſolubilis enaſcitur difficultas quæ auctores in varias deduxit ſententias; cur ſcilicet

licet ille humor repletionem faciens in nervo ac proinde convulſionem in eorum opinione, paralyſim non inducat. In quo phænomeno explicando quamplurimi inutiliter inſudarunt; alii ejus ſolutionem non invenientes ab Hippocrate & Galeno deſciverunt: quod ſpectat ad inflammationem principii nervorum, ratione cujus ipſi tendantur ac contrahantur, quam proponit Galenus pro cauſa convulſionis à repletione, ſatis ex ſe concidit ut non indigeat refutatione.

Cauſæ ergo convulſionis veriſimiles afferendæ & quæ magis ſatisfaciunt, hæ autem non aliæ ſunt quàm quæ motum partium in ſtatu naturali elicere ſolent, ſcilicet ſpirituum animalium in fibris carnis muſculorum expanſio, fermentatio & exploſio per quam fibræ illæ utpote dilatatæ & tumefactæ abbreviantur, ſicque muſculum quem componunt decurtant partemque cui annectitur retrahunt, cum ea tamen differentia ut exploſio illa & fermentatio in convulſione, quæ ſtatus præternaturalis eſt, multò vehementior ſit ac multò diuturnior, nec per animæ nutum interrumpi & iterum fieri poſſit ut in motu naturali contingit; ſi verò quæratur quænam ſit illa materia quæ ſpiritus expandit in fibris muſcularibus eorumque motum fermentativum ciet tam in naturali quàm in præternaturali ſtatu, ſeu potiùs quomodo dilatentur fibræ muſculares muſculum componentes; Reſpondetur illud fieri in utroque ſtatu ab eadem cauſa, intenſiore tamen & graviore in convulſione quàm in motu qui ſecundum naturam fit. Talis autem cauſa eſt ſpiritus animalis qui quandiu in certo motu conſtituitur ab anima optimè regitur; & in partes in quas ſemper ſufficienter influit ad faciendam ſenſationem & nutritionem, copioſiùs quando neceſſe eſt ad motum ineundum determinatur, dum verò deſciſcit à tali moderato & naturali motu atque inordinatè & vehementiùs movetur in nervis & muſculis propter partes ſibi admixtas heterogeneas, quæ vel cum ipſo per glandulas cerebri laxiores tranſcolatæ ſunt, vel à ſanguine depravato & præternaturaliter ſe habente ſuggeſtæ, tunc ab anima regi non poteſt, motumque inordinatum & vehementem in muſculi ventre init & conſervat, donec aut partes heterogeneæ diſcuſſæ fuerunt aut alteratæ, aut non amplius à cerebro aut maſſa ſanguinis ſuppeditantur; quòd autem ſanguis materiam plerumque ſpiritibus tumultum excitantem afferat negare nemo poteſt, concurrit enim in motu qui in ſtatu naturali fit non minùs quàm ſpiritus animales, quatenus ſcilicet copulam quamdam ſeu materiam Vvilliſio elaſticam & exploſivam dictam ſuggerit, quam nitroſam & ab aere hauſtam & proinde acidam putamus ſpiritibus ſalino-volatilibus heterogeneam. Si ergo materia illa heterogeneitatem ſuam quam naturaliter habere debet ad ſpirituum mediocrem fermentationem & motum muſculi naturalem faciendum, ſi inquam heterogeneitatem auctam habuerit propter dyſcraſiam & vitium ſanguinis, aut acidum in ipſo prædominans, quod utplurimum convulſionum motuumque convulſivorum cauſa eſt, certè motus naturalis in convulſivum & præternaturalem mutari debet propter expanſionem fermentationemque ſpirituum in muſculo modum excedentem, quique facilè compeſci non poteſt etiam per animæ imperium, quæ materia prout in uno aut altero aut pleriſque muſculis deponitur, convulſiones univerſales aut particulares inferre ſolet.

Præter jam allatam convulſionis proximam cauſam, aliqui etiam aliam addunt, nempe irritationem partium nervoſarum & membranoſarum, quam convulſionem efficere volunt propter motum quem ſpiritibus conciliat; ſed profectò irritatio per ſe ſola convulſionem efficere nequit niſi adveniat ſpirituum expanſio ex mixtione illorum cum copula elaſtica, alioquin adeſſet convulſio omnibus in doloribus colicis, arthriticis, rehumaticis, ubi adſunt intenſiſſimi dolores ac proinde irritationes, quod plerumque non contingit, unde irritatio nervorum ſi convulſionem quandoque inducat,

hoc facit tantum occasionaliter non efficienter in quantum magis commovet spiritus, materiam heterogeneam in actum deducit, unde intimior illarum mixtio & major proinde explosio; adde quòd irritatio sæpiùs & ferè semper motus convulsivos tantùm non convulsionem propriè dictam excitare solet.

Causæ convulsionis externæ & procatarcticæ, sunt ea omnia quæ spiritibus materiam valde heterogenam suggerere apta sunt, sanguinemque ita vitiare, ut materiem plus solito elasticam aut copiosiorem suppeditet, aut materiam spirituum generationi requisitam non puram putam, sed partibus heterogeneis mixtam suggerat; talia sunt venena, helleborus albus, medicamenta vehementia, vigiliæ, evacuationes immodicæ, venus effrenata, aliaque ex sex nonnaturalibus petita, atque etiam febres malignæ, ardentes, colliquantes, convulsiones aut motus convulsivos inducentes ob sanguinis vel spirituum vitiatam texturam.

Diagnosis convulsionis ex his quæ diximus satis erui potest, sive universalis sive particularis fuerit, ejusque à motibus convulsivis differentia ex dictis satis colligi potest.

Quoad prognosim, convulsio nunquam periculo caret, quod periculum eò magis vel minùs dicendum quò plures aut pauciores invadit partes, aut nobiliores minusque nobiles; quæ à morbo maligno dependet, aut valdè aucta evacuationibus immodicis, veneno assumpto, aut venenati animalis morsu, aut punctura, aliisque gravibus causis pessimi semper est ominis.

Curationem convulsionis quod spectat, præter remedia quæ à causis è quibus oritur debentur, veneniſque assumptis venenati animalis morsui, evacuantibus immodicis, effrenatæ veneri, &c. aut febri pestilentiali, ardenti, aliisque acutis morbis, quæ remedia etiam ante proposita sunt ubi de syncope egimus; postulat ea quæ materiam heterogeneam evacuare & eradicare, spirituum animalium motum compescere apta sunt, tales sunt inter universalia clysteres validiùs purgantes, pilulæ & potiones purgantes fortiores, venæ sectio quoque si non sint contra indicationes spiritibus quietem conciliare aptę sunt; quod ad particulariam edicamenta spectat, castoreum ad grana aliquot aut ejus tinctura plurimum commendatur, item & aqua hirundinum, laudanum quoque & syrupi narcotici frequentiùs usurpati, balneum frigidum & sulphureum, decoctum sudorificum, modò illa contra nihil indicet: alkalia etiam omnia aliquando & aperientia conveniunt propterea quòd ut plurimum particulæ acidæ in sanguine abundant spiritibus maximè heterogeneis, uno verbo ea omnia quæ in curatione epilepsiæ convenire infrà dicemus.

Topica varia quæ præscribit Riverius, inunctiones nempe ex oleis aut emplastra, cataplasmata, aliaque commodum magnum præstare non videntur; pro potu ordinario uti potest hydromelite, vel boccheto ex guajaco & pœonia.

CAPUT IX.

De Epilepsia.

NOn solùm musculi convulsione propriè dicta affici solent, hoc est contractione durante & perpetua motum abolente, sed alio etiam affectu tentari possunt, motum partium depravante in quo quia partes & membra non continuò retracta manent, ut in convulsione dictum est, sed modò retracta, modò extensa, hoc est interpolata & per vices agitata, non convulsio propriè dicta dicitur sed motus convulsius. Particularis est alius membrum aliquod aut quendam tantùm musculum occupans; alius universalis in quo omnes ferè corporis partes variè agitantur; rursùs alius in quo partes internæ motus agunt spasmodicos, intestina nempe, ventriculus, uterus, pulmones, diaphragma, œsophagus, larynx, ut in hysterica & hypochondriaca affectione; alius in quo partes tantùm

tùm externæ & artus convulſivè moventur ; alius quoque primarius & eſſentialis , qui per ſe incipit citra alterum à quo dependeat morbum ; alius ſecundarius & ſymptomaticus dependens ſemper ab altero affectu, ut ſunt motus convulſivi, qui febri malignæ , peſtilentiali , variolis, morbiſque aliis acutis ſupervenire ſolent: alius quoque idiopathicus ex proprio cerebri vitio dependens, alius ſympathicus ex labe à ſanguine aut aliis partibus communicata ; omnes illas ſpecies percurrere inutile eſt , ex eo quòd una cognita facile detegi poteſt natura & curatio aliarum , neque enim diverſas agnoſcunt cauſas diverſiſque modis fiunt; quare tantùm in ea convulſivi motus ſpecie immorabimur , quæ veluti aliarum omnium prima & præcipua eſt, & omnes aut ſaltem quamplurimos corporis invadit muſculos . Epilepſiam intelligo quæ alio nomine morbus ſacer , Comitialis, herculeus &c. nominari conſuevit, morbus ignominioſus; definiri poteſt affectus in quo cum exercitio mentis & ſenſuum paroxyſmo durante ablato , adſunt in toto corpore , hoc eſt in artubus, oculis, maxillis , pectore , motus convulſivi partes illas omnes inordinato motu quatientes, cum ſpuma in ore præſertim ſub fine paroxyſmi accumulta, fęcumque interdum urinæ imò & ſeminis, dum paroxyſmus vehemens eſt, excretione; hic morbus hæreditarius quandoque ex vitio à parentibus in filios translato, aliquando acquiſitus hoc eſt ab hæreditaria diſpoſitione non dependens, ſemper tamen per periodos recurrere ſolet more februm intermittentium , quæ periodi aliquando citiùs aliquando tardiùs recurrunt , diutiùve , aut breviùs durant pro gravitate aut copia , & contumacia cauſæ morbum facientis ; extra paroxyſmum muniis ſuis defunguntur optimè epileptici , in paroxyſmo verò cadunt in terram, aut in lectum ſeſe conferunt ſi illius adventum ut quandoque accidit prævideant, ubi mente , & ſenſibus capti variè corporis partes agitant, & commovent ut ſuprà dictum . Notandum autem quod in definitione epilepſiæ jam allata eam tantùm intelligimus , quæ omnium vehementiſſima eſt , dantur enim alii epileptici affectus in quibus caput tantùm, brachium, femur, & dimidia corporis pars convellitur cum mentis ſenſuumque integritate aut ſaltem non totali abolitione ; item dantur alii in quibus mens non eſt totaliter læſa & in quibus partes tantùm internæ convelluntur.

Epilepſiæ cauſa interna & proxima non eſt dimidiata cerebri , ventriculorum & imperfecta obſtructio & repletio , ut putabant Veteres , quam ſententiam refutare non opus eſt , utpote quæ ex ſe concidat ſatis , neque etiam nervorum principiorum irritatio, nam ut ſuprà dictum non niſi occaſionaliter convulſionem accerſere valet , ſed inordinatus ſpirituum non ſolùm in tota cerebri ſubſtantia, medulla ſpinali , ſed nervis etiam atque muſculis expanſivus motus , qui non durat in muſculo ut de convulſione dictum eſt, ſed fit interpolatè propter inæqualem heterogenearum partium aut copulæ ſanguinis elaſticæ ſuppeditationem & ſpirituum influxum , aut quia materia illa quæ motum inordinatum & fermentativum ſpiritibus in fibris muſculorum carneis creat ; explo-ditur facilè & diſcutitur unde novæ affluxu opus eſt.

Cauſæ autem omnes in capite de convulſione recenſitæ tum externæ & procatarcticæ , tum internæ & conjunctæ efficientes atque occaſionales hìc etiam locum habent , maximam enim habent affinitatem convulſio & convulſivus motus , ac proinde non mirum ſi iiſdem cauſis producantur, ea tamen eſt inter utrumque affectuum differentia, ut præter debilem & laxam conſtitutionem cerebri quæ epilepticis communis eſt, materiæ morbificæ copia multò major ſit & copioſior in paroxyſmo, nec niſi certis temporibus accumulata in actum deducitur, diſſipantur autem per ipſos convulſivos epilepticoſque motus partes heterogeneæ ſpiritibus immixtæ, aut ſaltem ita alterantur ut aliquo deinde tempore opus ſit ad hoc ut de novo accumulentur

ad novum paroxyſmum faciendum.

Si verò quæratur quænam ſit in epilepticis ſanguinis conſtitutio huic affectui obnoxios faciens homines; ſanguis enim in hoc affectu ſemper in vitio eſt: reſpondeo ad acidum vergere quod motus convulſivos accerſere poteſt, ut teſtatur hyſterica, & hypochondriaca ſuffocatio, atque ſpirituum animalium natura ſalino-volatilis, quod quàm verum ſit teſtantur ſpecifica remedia, quæ ſunt alkalina, maxima epilepticorum pars qui temperamenti ſunt melancholici, unde Hippocrates, melancholici fiunt epileptici & vice verſa.

Quoad diagnoſim iſtius affectus, imminentem epilepſiam deſignant, animi conturbatio, capitis gravitas, cephalalgia, vertigo, vigiliæ, inſomnia turbulenta, mentis torpor, pavor, artuum gravitas, tremores membrorum, ſenſuum hebetudines, ſcintillæ oculis obverſantes, aut nubeculæ, & marmaryges, aurium tinnitus, oſcitatio, cordis palpitatio, pectoris conſtrictio, nauſea, cardialgia aliaque multa quæ non omnia omnibus ſe produnt, præſentem verò demonſtrant artuum, brachiorum, manuum, maxillarum, pectoris, oculorum, varia agitatio, mentis, & ſenſuum læſio, ſtridor dentium, ſpuma in ore, ſeminis, urinæ fœcumque excretio.

Cauſarum ſigna eadem ſunt, quæ in convulſione, quæ hìc repetere inutile eſſet, an verò idiopathica ſit an ſymphatica, & ex aliis partibus derivata, hoc ex ſymptomatis in cerebro, aut aliis partibus primò ſe ſe prodentibus manifeſtabitur.

Prognoſim quòd ſpectat, affectus hic contumaciſſimus eſt, & ſi hæreditarius, aut habitualis factus incurabilis, rarò perimit ægrotantes, niſi juvenes admodum ſint, aut ſenes, aut imbecilles, & paroxyſmus fortiſſimus; quæ epilepſia hæreditaria non eſt, nec confirmata curationem poteſt recipere, item & aliquando curatur ante pubertatem, poſt illam verò, curationem non recipit.

Curatio epilepſiæ duplex inſtituitur; alia in paroxyſmo, extra paroxyſmum altera; ad curationem paroxyſmi rarò vocantur Medici, niſi aut primus ſit, aut fortior atque vehementior, in his autem caſibus quandoquidem exſuſcitandus eſt æger, materia morbifica è cerebro revellenda, præſcribenda ea omnia quæ tum ſoporoſis affectibus convenire diximus, quæ hìc repetere non opus eſt, aut etiam narcotica, & laudanum, ſyrupi narcotici, camphora, caſtoreum &c. extra paroxyſmum ad corrigendam acidam ſanguinis conſtitutionem, & materias heterogeneas eliminandas, conveniunt apozemata aperientia, attenuantia, atque purgatio toties à nobis propoſita, decoctum ſudorificum, alkalia omnia, ſales volatiles, & fixi, liquores ſpirituoſi, & ſulphurei, purgationes item celebratæ ex pilulis cum extracto hellebori, aut potionibus, imò & vomitoria antimonialia, interdum propinata, vinum helleboratum, chalybeata, mercurialia, balneum, aquæ thermales hauſtæ, & acidulæ quoque; ſpecifica dicuntur ſal vitrioli, radix, & ſemen pœoniæ maris, flores tiliæ, viſcus quercinus, tiliaceus, corylinus, ungula alces, juli corylini, radix valerianæ ſilveſtris, magiſteria cranii humani, oculorum cancri, pulvis coralinus, margaritæ, cinnabarum antimonii, aut nativum, oleum ex ligno coryli extractum; inter compoſita verò recenſentur variæ aquæ deſtillatæ epilepticæ dictæ, quæ inveniuntur apud Schrœderum & alios; item & elixiria, mixturæ apud eoſdem auctores deſcriptæ, atque etiam pulvis de Gutteta dictus, pulvis Marchionis &c. Topica nihil præſtant niſi ſetaceum, aut cauterium præſertim in pueris; interim non omittantur clyſteres paulo fortiùs acres quando opus videbitur.

NOTA

NOTA.

INter evacuantia quæ in Epilepſiæ curationis principio uſurpanda neceſſario ſunt, poſt venæ ſectionem, exhibendus mercurius vitæ ad grana tria, quatuor, quinque, & plura, pro ægri ætate, & viribus, cum extracti panchymagogi, aut extract. cochior. minor. gr. xv. aut ſcrupulo uno. Datur & utiliter mercurius dulcis cum pauco mercurio vitæ, ſupra prophyritem tritus. Sed de emeticis aut fortiùs purgantibus notandum quod non diutiùs iis inſiſtendum, ne humor Epilepſiam faciens, aut ipſi ſpiritus jam ſatis ſuperque efferati, & ad minimam occaſionem tumultuantes, plus quàm par eſt agitentur; imò catharticis maximo cum fructu, anodyna intermiſcentur, quale eſt laudanum, aut ſolum, aut cum ſpecificis alcalicis junctum & hora ſomni exhibitum. Enemata ipſi fortiora rarius uſurpari debent, ſed alvus levioribus ſollicitanda, ut pulpa caſſiæ in juſculo vitulino diſſoluta, quod remedii genus & per os exhiberi poteſt. Si menſes ſuppreſſi fuerint, vena malleoli ſecetur. Si hæmorrhoides pro more, non fluant, aut tubercula ano appareant, applicentur hirudines.

Specificorum myriades hìc proponuntur, ſed, proh dolor! quorum maxima pars effectu raro commendatur. Inter mercurialia, magnis laudibus efferuntur cinnabaris nativa & antimonii, quæ epilepſiæ magnes audiunt. Sulphur vitrioli anodynum, ut & aliæ vitrioli præparationes à Paracelſo laudatæ, ſicubi proſtant, hìc locum etiam habent. Inter volatilia, ſpiritus & ſal ſanguinis humani, cornu cervi, ſuccini, ab oleo ſuo fœtido optimè depurata, magni erunt uſus, ſive ſola ſive alkalicis fixis maritata, qualia ſexcenta ſunt. Hujus cenſus eſt & liquor cornu cervi ſuccinatus, aqua typhorum cervi, & plures aquæ compoſitæ. Sterçus pavonis & ejus aqua diſtillata aut ſpiritus, pro ſecretò eſt, ut & coccinella ad gr. aliquot ex aq. appropriata exhibita. Neque hìc caſtoreum omitti debet.

River. Riform.

De Amuletis verba non facio; horum periculum impunè qui volet faciat. Externa quod ſpectat, præter cauteria & ſetaceos, in ea Epilepſiæ ſpecie in qua vapor paroxyſmi prænuncius à parte quapiam aſcendit veſicantia, parti illi applicata utilia ſunt. Circa Diætam, obſervandum vino penitus & venere abſtinendum hìc eſſe. Cætera mitto.

CAPUT X.

De Vertigine.

INordinatio ſpirituum animalium ſeu motus illorum præternaturalis varius eſt, prout in variis ſe ſe prodit partibus varios quoque ſolet inducere morbos, epilepſiam ſcilicet, convulſiones, phrenitidem, delirium, maniam, melancholiam, affectiones hypochondriacas, hyſtericas atque etiam vertiginem de qua in hoc capite incumbit agendum; eſt autem vertigo quæ alio nomine ſcotoma, aut ſcotinos ſolet nuncupari, affectus ad nervos aut thalamos opticos potiſſimùm pertinens, in quo objecta circumrotari & circumagi videntur cum titubatione & corporis vacillatione conjuncta, conſtante tamen integra nec ullatenus læſa ratiocinatione.

Duas ejus faciunt differentias Auctores, quæ tantùm ſecundùm magis & minus, hoc eſt ſecundùm majorem vel minorem cauſæ morbificæ intentionem inter ſe differunt; alia enim eſt in qua quamvis viſio depravetur repræſentando objecta mota & gyrantia, quamvis reipſa immota & quieta ſint, non tamen imminutè fit, hoc eſt obverſantibus oculis tenebris; atque illa ſimpliciter Vertigo, Latinè, Grecè δῖνος nominatur, altera, quæ propriè ſcotoma aut ſcotinos dicitur illa eſt cui viſio ſimul imminuitur & depravatur, hoc eſt cum gyrantium objectorum repræſentatione, caligo & tenebræ oculis obverſantur iiſque velut umbra, fumus, aut nubes offertur.

Cauſam hujus affectus immediatam & proximam eruere difficile non eſt, ſi ad ſymptomata quæ inferre ſolet paululum

attenuatur, & in primis ad viſionis ſenſum in hoc morbo propriè affectum. Indè tamen colligere facilè poteſt quivis, morbi ſedem in thalamis, nerviſque opticis eſſe, ut ſuprà innuimus, propterea quod illæ partes inter eas quæ ad viſibilium perceptionem conferunt primum & præcipuum locum teneant, & aliunde nullum oculi affecti ſignum adeſt, quod verò talium partium officium & meatus immediatè perturbat, nihil aliud eſt quàm immodica ſeu præternaturalis ſpirituum animalium inibi hoſpitantium commotio & inordinatio, unde fit ut dum concutiuntur ſucceſſivè fibrillæ thalamum opticum conſtituentes in quo viſio ultimò fit, non diverſa emergat perceptio atque illa quæ ex motis reverà circa ægrotantem objectis adſtantibus exurgeret; ſiquidem in illo caſu ob varias objectorum proportiones variæ fibrillæ retinæ commoventur motuſque proinde ille ſeu ſpirituum animalium regreſſus ad diverſas thalamorum opticorum partes propagaretur objectaque viſibilia in variis ſucceſſivè locis ac proindè gyrantia repræſentaret.

Cauſæ quæ agitationem illam & tumultum ſpiritibus in thalamis nerviſque opticis inducere ſolent, ſunt duplicis generis, internæ nempe & externæ aut procatarcticæ; ab intrinſeco producitur vertigo, dum particulæ heterogeneæ à maſſa ſanguinis plus minus vitiata ſuppeditatæ non in toto cerebro accumulantur, ſic enim propter inordinationem omnibus cerebri ſpiritibus conciliatam delirium inducerent, ſed in ea cerebri parte quæ à thalamis occupatur aut nervis opticis, idque ob peculiarem talis partis diſpoſitionem particularum illarum heterogenearum accumulationi idoneam, plerumque enim congeruntur humores in illa non in alia parte propter earundem laxam compagem aliamve diſpoſitionem, cujus verò materiæ ſint illæ particulæ ſpiritus ob heterogeneitatem ſuam vehementiùs commoventes ex iis quæ diximus de convulſione & convulſivis motibus colligi poteſt.

Cauſæ verò externæ & procatarcticæ plures ſunt, navigatio, deſpectus ab alto, aquarum præcipiti curſu labentium intuitus, corporis circumgyratio, rotarum aut rerum in gyrum ſe moventium diuturnus aſpectus, quæ omnia ſpiritus thalamorum opticorum & nervorum hoſpites plus æquo commovent propter aut copioſos radios, aut fortiores varias retinæ fibrillas agitantes, qui motus quia ſæpiùs renovatur, tandem uſque ad cerebri meditullium propagatur, nec facilè deinde compeſci poteſt, cui quoque operi plerumque concurrunt particulæ heterogeneæ in ſanguine ſemper latentes & à tali motu in actum deductæ, idem præſtare poſſunt ictus capitis, & cranii depreſſio, propter motum vehementem ſpiritibus communicatum, Solis ardor propter eandem rationem, vinum, ſpiritus vini & liquores ſpirituoſi aſſumpti, prava alimenta, venena, propterea quod particulas heterogenas aut ſummè mobiles ſuppeditant.

Juvantium verò cauſarum loco ſunt auſtrina conſtitutio, exercitia immodica, evacuationes ſuppreſſæ, ira, exercitia immoderata, vigiliæ, inedia &c. quia hæc omnia corpus calefaciunt & ſpiritus agitant. Ex dictis multa colligi poſſunt; primò cur aliquando tenebræ oculis obverſentur, aliquando non: hoc autem pendet ex majori aut minori ſpirituum conturbatione; item cur in hoc affectu ratio non lædatur, illud nempe fit propterea quòd non ſpiritus omnes, ſed tantùm manipuli quidam & viſorii potiſſimum afficiantur. Interea anima aliis uti poteſt qui ipſi tanquam conditiones, aut occaſiones ſunt ad ratiocinandum ut perceptionis falſitatem corrigat; hinc etiam inferri poteſt cur titubent & vacillent ægri, ita ut niſi propinquis adminiculis niterentur, in terram caderent; hoc autem jam ex ſpirituum perturbato motu in cerebro pendet, ratione cujus in muſculos & artus directè fluere non poſſint propterea quòd ſpiritus tantùm viſorii artuum motibus non dicati inordinationem patiantur, & quia inſuper vertigine laborantes dum ſuſtinentur,

tur, aut in lecto decumbunt, fortes artuum motus inire poſſunt: ſed illud magis procedit ex falſa circumrotarorum objectorum & loci in quo eſt vertiginoſus, repræſentatione; ratione cujus idem ex mechanica corporis conſtitutione, quam ratio pleramque vincere non poteſt, idem prorſus ægro contingit, ac ſi reipſa cubiculum, aut locus in quo eſt in gyrum moveretur, in quo caſu propter loci ab ipſo occupati agitationem vix ſe continere poſſit. Sunt qui vertiginem in idiopathicam, & ſymphaticam, primam à vitio cerebri, ſecundam ex vitio aliarum partium dependentem, dividunt, ſed non magni videtur momenti diviſio illa ex eo quòd ſemper vitium in cerebro, & nervis atque thalamis opticis ſe ſe prodere debeat ad morbum hunc inducendum, unde meliùs divideretur in primariam eſſentialem, quæ per ſe incipit, accumulata primariò in cerebro materia morbum faciente, & ſymptomaticam, ſeu ſecundariam, quæ conſequenter ad alios affectus, putà febres varii generis, dolorem capitis, ſuppreſſionem menſtruorum, melancholiam hypochondriacam &c. excitatur ſanguinis vitio aliarumve partium ſpiritibus nervorum opticorum hoſpitibus communicato.

Diagnoſis tum morbi tum partis affectæ, tum cauſarum internarum, externarumque ex iis quæ jam diximus facillimè haberi poteſt, aut ex ægri miniſtrorumve relatu, ut eam hìc proponere prorſus inutile ſit.

Quoad prognoſim, morbus ille ſi recens fuerit, & à rebus procatarcticis inductus, atque externis, levior eſt, & curatu facilior quàm ſi inveteratus, hæreditarius & à cauſis internis ortus; in ſenibus magis periculoſus quàm in juvenibus ob cerebri debilitatem, item, & quando tenebricoſus eſt ægerque ſtatim in terram cadit, propter ſcilicet cauſæ majorem vehementiam, cùm vertigo à ſpirituum inordinato dependeat motu, non abſimilis illi curatio debetur, quàm ea quæ in epilepſia & convulſione tradita eſt; attamen quia vertigo levior, non tanto indiget remediorum apparatu; conveniunt itaque clyſteres acriores, venæ ſectio, emetica antimonialia ſi vires ferant, qualia ſunt pulvis algaroth. vinum antimon. croci metallorum, purgationes identidem celebratæ, apozemata attenuantia, & paululum calefacientia, ſudorifica, narcotica ſæpius uſurpata, balneum, aquæ minerales, uno verbo ea omnia quæ in curatione epilepſiæ præſcripſimus, cauterium occipiti inuſtum ab hoc morbo præcavet, ſicut & ab aliis pleriſque capitis affectibus, aliquibus conſerva florum calendulæ ſpecifica huic morbo creditur.

NOTA.

IN vertigine poſt venæ ſectionem, ex brachio, aut malleolo, aut utraque ſucceſſivè celebrata, purgatio lenis exhibeatur ex infuſ. ſennæ, & rhei, cum pulpa caſſiæ, & ſyrupo roſarum compoſito; niſi mavis à leviori emetico incipere. Tum poſt uſurpatum balneum, aut ſemicupium, & iterata purgatione hirudines marginibus ani applicantur, non neglectis interea pulveribus, & aquis ſpecificis in epilepſia præſcriptis. Stercus pavonis, de quo ibidem, præcipuè hìc locum habet. Cauterium tibiæ inuſtum prodeſt. Diætæ magna habeatur ratio. Ventriculo, ſæpenumerò hìc laboranti proſpiciatur. Vinum quibuſdam concedendum, aliis denegandum, aut multa aqua dilutum propinandum. Martialia in opiatis, aut tabellis roborantibus, ſummè proſunt. Inter aromatica laudatur cardamomum minus, & piper longum. Alvus ſervetur libera, uſu pilularum de ſuccino Cratonis, pauco ſcammonio quandoque acuendarum. Aliàs per morbi decurſum, purgantibus propriè dictis, abſtinendum, & clyſteribus acrioribus.

CAPUT XI.

De Tremore.

AD inordinatum ſpirituum animalium motum eorumque defectum, & inopiam refertur quoque alius morbus, qui tremor Latinis τρόμος Græcis dicitur; definiri poteſt motus partium depravatus, quo artus membra, aut partes elevantur ſucceſſivè, & deprimuntur, aut flectuntur, & per vices extenduntur; dicitur motus depravatus ex eo quòd non fiat eo modo quo fieri debet, & quamvis quidam, imò & ipſe Galenus tremorem inter motus imminutos collocet propter facultatis debilitatem, ſi tamen ratio ſimpliciter habeatur ad ipſum motum partium tremore laborantium, is non imminutus propriè ſed depravatus dicendus eſt, qui enim motus partium imminutè fit, tremendo non peragitur, ſed lentè & languidè, hoc eſt per minorem minuſque fortem muſculorum contractionem: antequam ad cauſas tremoris accedamus duplex ejus afferenda eſt differentia; alius eſt qui verè convulſivus eſt, quique fieri ſolet à leviori muſculorum antagoniſtarum & reciproca contractione, iſque in pleriſque morbis acutis aut malignis advenire ſolet, aut etiam citra ipſos ex inordinato, minùs vegeto tamen, ſpirituum animalium in fibris carneis muſculorum antagoniſtarum motu; alius eſt ad paralyſim potius imperfectam quàm ad convulſionem accedens, qui ex defectu ſpirituum, eorumque deficiente motu, & volatilitate pendet, iſque ſenibus aut diuturno morbo labefactatis, atque etiam ad paralyſim propendentibus familiaris eſt.

Prima Tremoris ſpecies non alias cauſas agnoſcit quàm eas quæ motus convulſivos inducere aptæ ſunt; eſt enim talis Tremor reipſa convulſivus motus imminutus ex eo quòd flectantur paululum & extendantur membra, ſed non ſufficienter, aut tam ſubitò, ut eſt in propriè dicto & vehementiori motu convulſivo. Agnoſcit ergo is affectus pro cauſa ſua particulas heterogeneas ſpiritibus immixtas, aut copulam elaſticam continuò à ſanguine ſuppeditatam, quæ copula, aut particulæ, quia ſunt in parva copia aut non multùm heterogeneæ, lenes tantùm ſpirituum expanſiones ac proinde muſculorum antagoniſtarum ſucceſſivas contractiones efficiunt.

Altera Tremoris ſpecies quæ ſenibus & morbis diuturnis labefactatis communis eſt, non à ſpirituum inordinato motu dependet, ſed ut jam innuimus, ex eorumdem defectu & inopia: quem ſpirituum motum & inopiam Antiqui facultatis debilitatem appellabant; fit enim ut per deficientes aut copia aut motu ſpiritus animales, brachium, verbi gratia, caput, pes, manus elevata, diu ſaltem ſervari non poſſint, aliquis enim ad hoc muſculorum requiritur niſus, qui à ſpiritibus paucioribus & languidis inſtitui non poteſt, unde membri gravitas, ſpirituum prævalet actioni, & quia deindè novi affluunt ſpiritus, quamvis ſemper in minori copia & motu, hinc eſt quòd pars donec requieſcat ſupra aliquid, relevetur modo paululum, à ſpirituum modico influxu, modo deſcendat à propria partis gravitate, idque ſucceſſivè contingat, pro prædominante ſpirituum influxu aut membri pondere. Quæ ſpiritibus motum inordinatum pro prima tremoris ſpecie inducenda conciliare apta ſunt externæ & procatarcticæ cauſæ ex his quæ diximus de ſyncope aut paralyſi depromi etiam poſſunt, ne toti ſimus in repetitionibus. Affectus per ſe ſatis dignoſcitur.

Signa cauſarum non ſolùm haberi poſſunt ex his quæ præceſſerunt, ſpirituum motum augentibus, aut eorum motum, & copiam minuentibus, quæ omnia in præcedentibus morbis relata ſunt: ſed etiam haberi poſſunt ex diverſo ſtatu in quo membrum quieſcens reperitur; ſi enim brachium verbi gratia ſupra tabulam, aut lectum collocatum, moveri, & concuti non deſinat, hoc denotat tremorem illum convulſivum eſſe, & ab inordinato ſpirituum motu procedere, contra vero ſi membrum in ſtatu quie-

tis

tis collocatum tremere & moveri desinat; hoc est signum accusandum esse spirituum defectum.

Quoad prognosim, Tremor per se periculosus non est, sed inclinante ætate adveniens ad mortem comitatur, per accidens tamen lethalis esse potest, si nempe illi paralysis aut apoplexia superveniat.

Curatio hujus affectus hìc tradenda non videtur; si enim Tremor convulsivus fit, eadem prorsus remedia usurpari debent quæ in convulsionis curatione & epilepsiæ recensuimus; si vero à spirituum defectu, & languore proveniat, non alia adhibenda medicamenta, quàm quæ in syncopes & paralyseos curatione retulimus; si morbus ille ex ætate senili dependeat, nulla ei debetur, utpote quæ in illo casu succedere prosperè non potest, comitatur enim tremor senes ad mortem.

CAPUT XII.

De Mania.

INter præcipuos rationem turbare & lædere solitos morbos recensetur mania, à verbo Græco μαίνεσθαι id est insanire nomen habens, qui morbus Latinis furor & insania nuncupari consuevit; definiri potest delirium intermissionis expers cum furore & audacia conjunctum, nullaque febre stipatum, quicunque enim hoc morbo corripiuntur insaniunt continuò, feroces sunt, & effrenes, & nisi vinculis cohibeantur vestimenta propria dilacerant, & in obvios quosque belluarum immanium instar, dentibus, unguibus, pugnis, impetum plerumque faciunt, nec sibi ipsis parcunt, vigilant pertinaciſſimè, stupendum adest corporis robur. Dum dicimus morbum hunc febre non stipari, hoc ita intelligendum ut febris necessariò & essentialiter maniam non comitetur, nam fuerunt plures imò ferè omnes maniaci febre carentes, quòd si interdum maniæ conjungatur, hoc fit per accidens & tunc verè morborum complicatio dici potest, propterea quòd à diversis omnino pendeat causis Maniæ plures dantur gradus, remissiores nempè atque intensiores, neque enim qui hoc affectu tentantur eandem semper habent furoris & ferociæ vehementiam, sed modò majorem, modò minorem pro causæ morbum facientis gravitate; adest tamen semper in omnibus desipientia; continuo furore magno, aut parvo stipata.

Ut causam recensitis phænomenis & symptomatis producendis idoneam statuamus, non est ut afferamus cum Galeno calidam & siccam cerebri intemperiem ab humore atrabilario oriundam; hæc enim causa præterquam merà hypothetica est, & humores adustos supponit, incineratos ac proinde imaginarios, atque etiam intemperiem siccam in sanguine & cerebro quæ facilè concipi non potest, gravissimis insuper, ut ipse Riverius innuit, difficultatibus urgetur. Quare enim febris non adest ubi humores aduruntur, quare similiter non est aut somnus, aut ad somnum propensio ut in comate vigili, propter aggravationem cerebri ab atrabilario humore in toto corpore producente calidam & siccam intemperiem: hæ difficultates Platero indissolubiles visæ, aliquid aliud supra calidam & siccam intemperiem, pro causa maniæ addendi præbuerunt occasionem; putat namque prædictus auctor adesse malignam ac venenatam qualitatem quæ sit præcipua delirii causa, ut in furore uterino, hydrophobia; morsu tarantulæ, esu solani maniaci dicti, in quibus similiter utpote maniæ speciebus malignam qualitatem adesse arbitratur. Sed etiamsi consideremus malignum aliquid latere in prædictis morbis atque in mania, explicandum illud est quod reipsa sit, nec ipsum malignitatis nomen ignorantiæ plerumque azylus pro ratione afferri debet, unde ad alias causas magis probabiles deveniendum est.

Illæ autem non aliæ esse possunt quàm vehemens spirituum animalium in cerebro commota inordinatio, ratione cujus à recto tramite deflectentes, nec

amplius ſub animæ regimine verſantes, dum huc & illuc impingunt, variaſque & inſolitas ſibi cudunt vias, varia animæ repræſentant phantaſmata, quæ malè componuntur aut dividuntur ut in phrenitide dictum eſt, ſicque ratio quæ moderato, recto, & ab anima directo ſpirituum motu, & excurſu exercetur, è ſede ſua ejicitur, unde delirium. Quia verò ſpiritus animales non ſolùm motu peccant, ſed etiam conſiſtentia, ſunt enim in hoc morbo paulo craſſiores in ſua mole atque etiam qualitate; ſunt enim, ut puto, magis acres & alkalini, hinc fit ut propter vehementiores quas ineunt cum particulis heterogeneis à ſanguine ſuppeditatis, effervescentias & inordinationes, fortiores in cerebro convulſiones faciant, validioreſque in muſculis contractiones eò magis quò ſpiritus ſic conſtituti, ita facilè diſſipari non poſſunt, unde derivari debent furor & audacia atque robur, quo pluribus plerumque hominibus reſiſtunt vinculaque etiam fortia perfringunt; ferocia autem illa & immanitas quam plerumque in obſtantes exercent, non malè deſumitur ex errore mentis, quo obſtantes omnes, imò & amicos, & cognatos ſub hoſtium & inimicorum ſpecie repræſentari veriſimile eſt, aut ſi adhuc ab ægro cognoſcantur aliquid contra ſe, vitam ſuam, aut bona machinari exiſtimat maniacus; à ratione non directi in obvios quoſque impetum faciunt aut de ſuo optato deſperantes ſibi ipſis manus inferunt violentas, ſeque interdum dant per feneſtra præcipites & illud belluarum ferocium more per motus merè mechanicos efficiunt. Quod autem plerique ex maniacis frigus externum plerumque non ſentiant & ad tactum calidi deprehendantur, hoc non ſolùm ex cordis validioribus ſyſtolis à ſpiritibus minùs tenuibus ſanguinem fortiùs ac proinde calorem ad habitum propellentibus duci debet; verùm etiam ex ſpirituum in partibus motu & influxu qui ratione modi ſubſtantiæ, hoc eſt conſiſtentiæ craſſioris fortiores faciunt impreſſiones, ſicque calorem nativum augent; ne quid dicam de anima à phantaſmatum varietate occupata, ratione cujus frigus neque multa alia percipere poteſt: particulæ verò illæ heterogeneæ intenſam ſpiritibus in cerebro inordinationem facientes, petuntur ſemper ex ſanguine vitiato, nec alterius naturæ ſunt quàm eſſe diximus in phrenitide, epilepſia, vertigine.

Febris in mania non adeſt ex eo quòd maſſa ſanguinea & ſpiritus ſint diverſi liquoris; unde non mirum ſi etiamſi inordinatio ſit in ſpiritibus in ſanguine non ſe prodat; particulæ ſiquidem illæ quæ heterogeneæ ſunt ſpiritibus, homogeneæ ſanguini reperiuntur, ſicque febrem excitare non poſſunt.

Imminentem hunc morbum, præter ætatem, ſexum, anni tempus ad hunc diſponenda, plerumque oſtendunt capitis dolor, vigiliæ contumaces, ſomni leviſſimi & interturbati, curæ, ſolicitudines, ſplendor oculis obverſans, aurium tinnitus, riſus immodicus aut taciturnitas, ſed ea ſigna dubia ſunt, & aliis affectibus communia.

Præſentem verò deſignant ea quæ in definitione ſunt prolata, hoc eſt delirium ſine ulla febre cum furore & audacia conjunctum, quod delirium ſicut & furor ut ſupra innuimus varia ſunt in variis ægrotantibus pro majori cauſæ vehementia, magiſque aut minùs ad iram prono temperamento.

Prognoſim quod attinet, mania graviſſimus eſt affectus & plerumque contumaciſſimus, durat enim non ſolùm per menſes & annos, ſed ad mortem plerumque comitatur, difficile admodum curatur propterea quòd ægri Medicis facilè non obtemperent, quæ hæreditaria eſt curationem non accipit: faciliùs etiam curatur illa maniæ ſpecies in qua minor eſt furor & delirium, quam ubi magis ſæviunt illa ſymptomata.

Ad hujus morbi curationem plura requiruntur remedia, quæ quia plerumque reſpuit maniacus, aut per vim aut per aſtutiam exhiberi aut celebrari debent; primo ſanguinis miſſio hìc propriè locum

cum habet eaque copioſius, & ſæpius repetita è brachio, pede, jugularique, cucurbitulæ autem ſcapulis, & dorſo applicatæ cum ſcarificatione plurimum conveniunt; clyſteres cum emetico, & ſuppoſitoria acriora hìc etiam locum habent ad revellendam à capite materiam morboſam.

Quoad purgationes eæ identidem ſunt inſtituendæ ex pilulis diagridatis cum extracto ellebori nigri, aut pulveribus purgantibus ex reſina jalapæ, diagridio, pulvere diacarthani cum panatella, conſerva, aut pulpa pomi cocti exhibitis, vel ex præparationibus antimonialibus emeticis, quæ hìc etiam multum commendantur, croco metallorum, vitro, regulo antimonii, ſulphure, & floribus &c. antimonii etiam decoctum cum aliis diaphoreticis guajaco, ſaſſafras huic morbo medentur, ſed præſertim vinum elleboratum, quod ſpecificum reputatur. Narcotica vitari non debent imò ſæpius, ac repetitis vicibus uſurpari. Balneum aquæ tepidæ, atque etiam ferociente nimiùm morbo, frigidæ, aut ſaltem ſenſim per affuſionem frigefactæ, præſtantiſſimi eſt uſus, imò & embrocatio ex aqua frigida ſi robuſtus ſit æger, julepi juſcula, apozemata, opiatæ &c. ſi præſcribantur attenuantia temperata eſſe debent, aperientia & ſulphurea atque etiam roborantia, ita tamen ut admodum calida non ſint, metus enim eſt ne ſpiritus magis ac magis excandeſcant, unde vitandi ſales volatiles & nimis ſpirituoſi liquores; imò aliquando refrigerantia & acida præſcribi poſſunt, cùm ſcilicet ſpirituum motus valde intenſus & furor magnus, magnus aquæ potus commendatur. Topica multa à Riverio præſcripta non probantur.

NOTA.

VIde notam Capitis ſequentis calci aditam.

CAPUT XIII.

De Melancholia.

EST alterum morbi genus prædicto oppoſitum, in quo delirant quidem ægrotantes ſine febre, ſed ſine furore, & audacia, imò potius cum metu & triſtitia, qui morbus melancholia ſimpliciter dicitur, & differt à melancholia hypochondriaca dicta per innumera ſymptomata, quæ melancholiam hypochondriacam ſequi ſolent, quæque in iſto morbo, ſaltem ſi ſolus ſit, & cum altero non complicetur, non ſeſe produnt, propterea differt etiam à mania per mœrorem, à phrenitide per febris carentiam, quæ ſi aliquando adveniat merè accidentalis eſt, ut in mania jam dictum eſt. Notandum autem in melancholia contra quod accidit in phrenitide non circa omnia delirare ægrotantes, ſed circa unum tantum, aut pauciora, quod cum varietate pluribus propter diverſitatem temperamenti, aut idearum ante impreſſarum, innumera quoque emergunt deliriorum melancholicorum genera, unde alii ſe Reges, Vates alii, Canes, Lupos, Cuniculos, vitrum, gipſum, teſtas, ceram, grana tritici, mortuos, imò aliquando Angelos, & Deos eſſe exiſtimant, & pro variis quibus detinentur phantaſmatis variarum quoque rerum timore afficiuntur, verbi gratia qui ſe cuniculum putat, canes formidat, qui ceram, Solem & calorem, qui granum tritici, gallinas, qui gipſum, aquam & ſic proportionaliter de aliis dicendum.

Cauſa hujus morbi immediata & proxima malè à Veteribus dicitur eſſe ſpiritus animalis tenebricoſus, & niger triſtitiæ inducendæ aptus, ut perſpicuus, & tenuis hilaritatem inducere creditur, qualitates enim illæ ſupra corpus inſenſile, ut ſunt ſpiritus animales cadere non poſſunt. Humor verò melancholicus craſſitie ſua, opacitate, & colore nigro præditus ſpiritus animales inficiens, & tenebricoſos reddens, quem pro cauſa imme-

immediata ſtatuebant Antiqui, quatenus frigiditate ſua ſpiritus figebat, & denſabat, ſicque metum inducebat, non magis ſolidis ſtabilitur fundamentis ut quiſque ſanioris particeps doctrinæ, atque anatomiæ facile judicare poteſt.

Melancholiæ ergo cauſa vera & legitima ſymptomatis ejus producendis apta eſt, ut in omnibus deliriis, inordinatio ſpirituum animalium, in ea enim conſiſtit delirium quodcumque ſit, quæ inordinatio omnes non afficit ſpiritus cerebri incolas, ſed manipulos quoſdam tantum, qui versùs unam tantum cerebri partem motum ſuum inordinatum deferunt, fibrillaſque varias concutiendo, rerum duarum aut plurium ideas conjungunt, quæ conjungi non deberent, aut ſeparant quæ conjungenda ſunt; in hoc enim rationis læſio ſita eſt. Non mirum igitur ſi uni eidemque cogitationi addicti deprehendantur melancholici, non mirum etiam ſi diſtracti ad alia bene plerumque ratiocinentur; inordinatio enim illa verſus omnes cerebri partes non ſe exerit; ſed verſus unam tantum; eo magis quo ſpiritus, in illo morbo magis, ut ita loquar, fixi ſunt & minus volatiles, ac proinde non ita apti huc illuc faciles excurrere. Quod autem alii ſe Lupos credant, alii Reges, alii teſtas, hoc dependet à variis phantaſmatis menti propoſitis, quibus occaſionem dederunt ideæ antea fortiter impreſſæ; aut veſtigia altius in cerebro inſculpta, aut aliæ cauſæ minus evidentes, quæ faciunt, adveniente tali morbo, ut ſpiritus inordinati magis versùs unam quàm versùs aliam partem cerebri excurrant, ſicque ad unum potiùs quam ad aliud ſuſcipiendum phantaſma diſponant? ſanguinis in hoc affectu conſtitutio non niſi craſſa, & acido abundans eſſe poteſt, ex qua ſcilicet materia ſpiritibus generandis apta, non niſi ejuſdem indolis & per conſequens minùs volatilis ſuppeditari poteſt; quam quod verum ſit teſtantur omnes ii qui tali morbo laborant, aut illi obnoxii ſunt in quibus acidi humoris in corpore redundantis ſigna ſe ſe produnt, ſputatio nempe copioſa, ſitis carentia, appetitus auctus, color niger, macilentia, ructus acidi, tumores in hypochondriis præſertim cum melancholia jam dicta cum ea, quæ hypochondriaca dicitur complicatur.

Diagnoſis melancholiæ ex dictis ſatis ſuperque innoteſcit. Antiqui eam à variis provenire putant corporis partibus, utero nempe, hepate, liene, ventriculo, toto corpore, ſed omnes illæ diviſiones inutiles ſunt quandoquidem nonniſi à ſanguine procedere poteſt hujuſmodi morbus, qui particulas heterogeneas ſpiritibus in cerebro ſuggerit, & ſpiritus variè inordinat.

Quoad prognoſim morbus hic chronicus eſt, & valde contumax, præſertim dum inveteratus eſt, aut hæreditarius, humor enim acidus vim medicamentorum eludit præſertim purgantium, nec niſi longo tempore, & per varia remedia corrigi poteſt, unde flagellum, & opprobrium Medicorum nominari conſuevit; recens & à cauſis procatarcticis facilius curatur.

Ad curandum hunc morbum non parva requiritur Medici, aut adſtantium ſolertia, plerumque enim melancholici omnia quæcumque ſint medicamenta reſpuunt, & non ſolum medicamenta, ſed etiam cibos, & potum dum ſe mortuos eſſe putant, aut gipſum; quare decipiendi ſunt in illorum uſu.

Remedia quæ hìc uſurpari debent ne jam dicta repetamus, eadem prorſus ſunt atque ea quæ præſcripſimus in curatione melancholiæ hypochondriacæ, eò magis quò illæ duæ melancholiæ ſpecies plerumque inter ſe junguntur, videantur ergo medicamenta in capite de melancholia hypochondriaca recenſita, unum addo, quòd vinum elleboratum in hoc affectu ſit ſpecificum.

NOTA

NOTA.

MAniam non differre radice à reliquis melancholiis & deliriorum melancholicorum ſpeciebus, exiſtimat Cl. Ettmullerus, qui omninò, ſuper hoc argumento conſulendus. Remedia quod ſpectat, venæ ſectio magis convenit maniacis quàm melancholicis; prioribus ſanguis larga manu mitti debet è variis corporis partibus, ut ex ratione ſi morbi cauſa proprie non proſpicitur, ſpiritibus depauperatis, & viribus, quæ nimiæ videntur, ſucciſis, furor, pro tempore ſaltem, compeſcatur. Melancholicorum verò ſanguini parcendum, aut in hirudinum marginibus ani applicatarum uſu ſubſiſtendum. Præſtantiſſima remedia & quæ cauſam proprie reſpiciunt, cùm à ſanguinis craſſitie, & acida fœculentia in utroque affectu æqualiter indicentur, eadem etiam eſſe debent: Hinc tartarea, nitrata, & martialia, ſcorbuto & affectioni hypochondriacæ dicata, utramque hìc implent paginam. Maniacis in ſpecie narcotica tutius dantur & majori doſi, quàm melancholicis, propter rationem ſupra allatam cum de venæ ſectione actum eſt; quanquam & his anodyna moderata utilia eſſe poſſint. Balneum aquæ frigidæ maniacis non alia etiam ratione proficuum eſt, quàm ſpiritus compeſcendo, quod idem venæ ſectio præſtat.

In mania ſimili de cauſa, commendatur camphora, ſed in eo affectu ſpecificè præterea laudatur cerebrum catellorum ſeu juniorum canum; & liquor inde diſtillatione abſtractus, cum vitriolo imbutus, & iterum per retortam diſtillatus, cujus doſis ad ſcrupulum unum. Item ſanguis aſini arterioſus linteo exceptus, quod poſtmodum in vino aut cereviſia infunditur. Cauterium ſuturæ coronali à quibuſdam inuritur, quidam & ad caſtrationem deveniunt. Hartmannus caput fovet decocto herbarum cephalicarum, quibus addit baccas lauri, & radices ellebori nigri in magna copia, ſicque caput & ipſam etiam alvum purgari aſſerit. Anagallis flore purpureo, & hypericum mirè & hìc laudantur.

Fumaria, Borrago, Nymphæa, Meliſſa, Ceterach. ſerum lactis, aqua lactis diſtillata melancoliæ potius ſunt remedia, aut ſaltem utrique affectui communia.

CAPUT XIV.

De Phrenitide.

QUemadmodum à recta via multipliciter deflecti poteſt, licèt unica & ſimplex ſit ad terminum recta tendendi ratio, ita mens humana à directo ratiocinationis tramite pluribus diverſiſque modis aberrare potis eſt; unde variæ exurgunt deliriorum ſpecies, mania ſcilicet, melancholia, moroſis, delirium ſimplex, phrenitis &c. quas omnes in prava cerebri aut ſpirituum animalium diſpoſitione conſiſtere nemo ſanæ mentis negare audeat, præ cæteris verò omnibus rationem è ſede ſua frequentiùs dejicere ſolet Phrenitis, quæ à delirio ſimplici non niſi ſecundum magis & minus diſcrepat, quatenus iſtud homines inducit tantum, ut ad breve tempus, aut etiam minus abſurda cogitent, loquantur, aut agant, illa autem utpote deſipientia continua, febris ferè ſemper comes, incongruas magis & à ratione alienas cogitationes, loquelam, aut rationes ægris invehit, atque etiam ad dilucidum magis temporis intervallum propagatur.

Phreneſeos cauſam non in meningum aut cerebri inflammatione cum Antiquis ſtatuimus, utpote quæ & in apertis phreneſi defunctorum craniis nulla plerumque reperitur, & quæ cephalalgiam potius aut ſoporoſum affectum induceret, ſed eam cum Neotericis in motu ſpirituum inordinato ſeu præternaturali ac liquoris ſpiritus animales conſtituentis fermentatione reponimus, quæ in cerebri meditullio ſuas potiſſimum ludit tragœdias, ſpiritus enim qui naturæ ſuæ ſalino-volatilis ſi particulis, hete-

heterogeneis, acidis putà à ſanguine ſuppeditatis, humoribus admiſceantur, aut aliis quibuſcumque particulis cum ipſis non facilè ſociabilibus, vel maximo motu donatis, in maximas & veluti febriles efferveſcentias concitari non improbabile eſt, quo fit ut iidem mobilioris facti atque indomiti, huc illuc ſine ullo regimine in varia corporis calloſi diverticula impetuoſius inordinatiuſque ferantur, atque fibrillas nerveas modò unam modò plures ſimul (quæ alias ab objectorum præſentia agitatæ ſunt) commovendo impreſſas multo ante ideas, quæ deinde variæ inter ſe congrue conjunguntur diſtinguunturvè, prout iidem in diverſas ſimul aut ſigillatim impingunt, medullaris ſubſtantiæ partes variaſque & inſolitas vias affectant. Ex dictis explodenda videtur phrenitis in legitimam, & ſpuriam ſeu paraphrenitidem diviſio; quamvis enim non negemus affectum hunc plerumque ſymptomaticum eſſe, pluribuſque morbis, acutis potiſſimum, ſupervenire, nunquam tamen cerebrum phreneſi tentari cenſemus: niſi materia ſpiritus inordinatè movere valens in capite primo colligatur atque accumuletur, unde idiopathicus, tantum exurget affectus, adde quod paraphrenitis κατ' ἐξοχὴν dicta à diaphragmatis inflammatione proveniens, mera chimæra eſt merumque figmentum, obſervationibus anatomicis cadaverumque apertioni omninò repugnans, quæ eroſum à puré aut etiam inflammatum pluries fuiſſe ſeptum transverſum docent, abſque eo quod ullum delirium ullave deſipientia ſecuta ſint.

Cauſas phrenitidis externas, quales ſunt aer fervidus, inſolatio, vini generoſi & liquorum ardentium potus, ira, venena aſſumpta, aliaque multa non eſt ut fuſiùs explicemus, ea etenim quomodo cauſam internam in actum deducere poſſint, attendenti cuilibet ſatis manifeſtum evadet.

Phrenitidis ſigna, alia imminentem prænuntiant, alia præſentem teſtantur; primi ordinis ſunt vigiliæ, ſomni turbulenti, ſermo immodicus, capitis dolor, oculorum immutatio, urina è craſſa in tenuem & diaphanam vergens, ea etenim omnia aggeri in cerebro, aut in caput deferri materiam morbificam deſignant; ſecundò delirium continuum ex ſuperiùs dictis ſatis intelligibile, vigiliæ immodicæ, ex turbulento ſpirituum motu dependentes, oblivio, ſitis abſentia, reſpiratio rara & magna, quæ ſymptomata ex variis multiſque quibus mens diſtinetur phantaſmatis proſapiam ducunt ſuam, ſpiritus enim iiſdem cudendis exprimendiſque ferè toti impenſi, & anima contemplandis iis ſpeculandiſque perpetuò occupata, debitum, ſolitumque non permittunt in muſculos reſpirationi ſervientes influxum, nec ſufficientem ad eas quæ jam in mente efformatæ ſunt ideas, aut humores qui in œſophagum gutturve ſuas exerunt vires, attentionem, unde reſpirationem alterari, memoriam lædi, cauſamque ſitis, etſi intenſam minimè percipi neceſſe eſt.

De febre pulſuſque mutatione hìc non loquimur, quæ peculiares à phreneſi cauſas agnoſcunt, quæque non tam phrenitidis effecta ſunt, quam ejuſdem cauſæ, ea verò à cerebri aut meningum inflammatione nequaquam dependent, utpote quæ nulla, (ut ſupra innuimus) in phreniticis reperitur, ſed à corpuſculis heterogeneis ſanguineæ maſſæ confuſis & propter figuræ ſuæ irregularitatem non facilè miſcibilibus, ortum ducunt. Periculi plenam eſſe phrenitidem omnes unanimiter docent auctores, non ſolùm ex eo quòd cerebrum atque ſpiritus nobiliſſimæ corporis partes afficiantur, verùm etiam propter graviores qui huic affectui (ſi nimis protrahatur) ſupervenire ſolent, morbos, apoplexiam puta, cerebri inflammationem, convulſiones, ſyncopem; ſpes ergo ſalutis ſi quæ affulgeat, ea in conſtantia virium, minorique ſymptomatum & morbi vehementia reponenda eſt, quæ ſi abfuerint, de ægri convaleſcentia deſperandum.

Ad iſtius affectus curationem non uni-

co

co ſed diverſis opus eſt medicamentis, qualia ſunt in primis, venæ ſectio, ex brachio, pede, imò & jugulari, celebrata, quæ ſanguinem refrigerando, ſpirituum etiam motum cohibet; cucurbitulæ ſcarificatæ, clyſteres, acres, purgatio ſatis valida, quæ aut materiam morbificam educunt, aut irritatione & dolore quem inferunt ſpirituum in cerebro tumultum ſedant, julepi demum, emulſiones refrigerantes, quibus ſanguinis & ſpirituum motus optimè temperatur; iis verò omnibus addenda ſunt tanquam ſacra anchora, remedia Narcotica dicta, ut ſunt ſyrupus de Nymphæa, de papavere albo, diacodium, laudanum &c. quæ quia aut frigiditate ſua ſpiritus conſopire maximè apta ſunt, aut ſulphure quo abundant craſſo & viſcido ſanguinis & ſpirituum particulas irretire, ſicque eorumdem motum coercere, non mirum ſi in phrenitide præ cateris omnibus commendentur.

NOTA.

IN Phrenitide poſt iteratas, pro viribus ægri, venæ ſectiones, & exhibita cathartica, inter quæ leniora, ex ſenn. in ſero lactis, ſi modo æger admittere velit, copioſo infuſa, ad hirudines temporibus aut ponè aures applicatas deveniendum; imò ſi per Chirurgi ſolertiam, & laborantis moroſitatem, aut potiùs furorem liceat, hirudines applicabuntur internis naribus, & hirudinibus delapſis ſanguinem in ſufficienti quantitate fluere ſinemus; quo remedio plures phreneticos delirio intra horam unam aut alteram liberatos, & reſtitutos incantamenti inſtar, non ſemel vidimus.

Nec topica, quæ parvi facere ſolet Auctor clariſſimus, & quorum hìc non meminit, interea negligemus. De fotu capitis, antea raſi, loquor, qui fiet ex herbis refrigerantibus, additis papaveris capitibus recentibus aut ſiccis, contuſis, & in aq. ſ. q. incoctis.

CAPUT XV.

De Catarrho.

CAtarrhus qui Latinis deſtillatio dicitur, ſi in lata ſua ſignificatione uſurpetur, omnem quaſcumque in partes ſeroſorum humorum decubitum ſignificat, ſive is fiat in aures, ſive in oculos, nares, maxillas, os, fauces, pulmones, tracheam; latera, brachia, lumbos, coxendicem, rura, humeros, renes, inteſtina, unde varii exurgunt morbi, ſurditates nempe, ophthalmiæ, cecitates, epiphora, ſeu lacrimarum involuntarius fluxus, tumores varii & ulcera, anginæ, tuſſis, raucedines, phthiſis, aſthmata, nephritici, arthritici, rheumatici, colici, iſchiadici dolores, torporet, paralyſes &c. Si ſtrictiùs verò ſumatur catarrhi nomen non quamlibet humoris ſeroſi in omnes jam dictas partes fluxum deſignat, ſed in eas tantùm quæ capiti & cerebro viciniores ſunt, ut ſunt oculi, nares, fauces, genæ, maxillæ, trachea arteria, & pulmones; propriè enim tunc catarrhus ab auctoribus nuncupatur, qui etiam prout in varias jam dictas partes decumbit, varia quoque nomina ſortitur, ſi enim in pectus fiat κατ' ἐξοχήν & per excellentiam catarrhus vocatur; ſi in tracheam, rheuma, ſeu, raucedo; ſi ad fauces, bronchus; ſi ad oculos, epiphora; ſi ad nares, coryza.

Rurſus aliæ proponuntur ab auctoribus catarrhi differentiæ, prout ſcilicet humores in partes decumbentes qualitate & quantitate: peccant aut à cauſa communi ortum habet morbus; alius enim ferinus dicitur, quando ſcilicet ſeroſitates acres valde ſunt & ſalinæ, acrimonia ſua ulcerantes & phthiſim, aut tabem inducentes, aut eroſiones; alius ſuffocans, dum nempe humores in magna copia & confertim in bronchia pulmonum irruunt, aut in laryngem aut pharyngem, ſic enim impedita aeri inſpirando via ſuffocatio & quaſi ſtrangulatio ſupervenit; alius demum epidemicus ab aeris frigiditate ut plurimum aut alia cauſa ortum ha-

habens, tunc enim populariter grassatur & maximam partem hominum invadit.

Hypotheſim Antiquorum circa catarrhi generationem tueri non poſſumus, in hoc præſertim ſeculo in quo Anatomia ad columnas herculeas deducta ferè videtur; putabant nempe illi pituitam omnem utpote in cerebro ejuſdem metropoli generatam, vaporeſque omnes ab inferioribus partibus elevatos & in aquam denſatos in capite, non ſecus ac in alembico, depluere in varias corporis noſtri partes, pluviæ ad inſtar, ſicque varias catarrhi & deſtillationis ſpecies efficere, unde in omni catarrho partem mandantem cerebrum ſemper eſſe arbitrabantur; vias verò quas aſſignabant pro humoris depluentis tranſitu, dicebant eſſe foramina in palato per quæ ſeroſitates è ventriculis cerebri, infundibulo, glandula pituitaria, in os, fauces, pectuſque penetrarent, vel nervos, arterias & venas, vel denique interſtitia carnium, muſculorum atque membranarum per quę jam prædicti humores, in maxillas, humeros, brachia, lumbos decumberent, quem humorum decubitum, tunc præcipuè, magiſque fieri exiſtimabant, quando cerebrum pituita copioſa refertum erat propter eam in corpore ab intemperie hepatis hæmatoſeos, ut putabant officinæ, copioſiùs generatam, aut quando idem cerebrum intemperie frigida laborans propter coctricis facultatis defectum, pituitam ad ſe copioſiùs delatam ſibi aſſimilare non poterat; putabant enim cerebrum pituita nutriri; hæc autem Veterum ſententia quàm falſis nitatur fundamentis quivis facilè judicare poteſt, qui hocce tempore Medicinam & Anatomiam vel ex ipſo, ut ajunt, limine ſalutaverit? cerebrum enim nec pituita imaginaria nutritur, nec ejus in cerebro fit generatio, nec viæ ſunt à glandula pituitaria ad palatum, nec cerebro ad alias partes, nec humores ex faucibus ad pulmones citra ſuffocationem ferri poſſunt; quod nervos, venas, & arterias ſpectat, certè per tales canales à cerebro humores pituitoſi & ſeroſi ferri non poſſunt in partes; arteriæ enim ferunt ſanguinem ad cerebrum, venæ referunt ad ipſum cor juxta leges circulationis, nervi verò ſpiritum animalem liquorum tenuiſſimum diſpenſant per totum corpus, ac proinde per ipſos humor ſero-pituitoſus utpote craſſior deferri non poteſt, qui etiam potiùs paralyſim induceret. Alia igitur paulò magis Anatomiæ congrua tradenda venit catarrhi ætiologia; conſentimus itaque Antiquis dicentibus catarrhum eſſe humorum ſeroſorum, quos ipſi pituitoſos vocant, decubitum in partes, ſed vias & partem mandantem rejicimus, alia enim pars mandans in corpore nulla eſt in quocumque humorum fluxu quàm ipſum cor, quod repetitis ſuis contractionibus, ſanguinem & humores versùs omnes corporis partes protrudit; imò & ſæpiſſimè fit humorum ſeroſorum aliorumve in partes decubitus, ſeu potiùs accumulatio, quæ tamen parti mandanti imputari non debet, ſed potiùs recipienti in qua deficit tonus proprius & relaxatio fit, aliqua adeſt obſtructio ſanguinis circuitum remorans ſicque ſanguinis aut ſeroſi humoris extravaſationes & expanſiones efficiens.

Fit itaque catarrhus cùm ſeroſus humor exilit ex vaſis ſanguineis ſeu extremitatibus arteriarum, id eſt in veſiculis arterioſis, aut mediantibus glandulis in partes expuitur, ut ita dicam, & in partium ſubſtantiam effunditur; unde ut videtis non alia humori catarrhum efficienti patet via quàm per arterias ſeroſitates una cum ſanguine deferentes, quæ ſeroſitates prout ſalinæ ſunt, vel copioſæ, vel in partium variarum ſubſtantiam aut carnium, muſculorum, membranarumque interſtitia decumbunt, varias inducunt catarrhi ſpecies, ferinum, ſuffocantem, epidemicum, brochum, coryzam, raucedinem lumborum dolorem.

Cauſæ autem quæ tali ſeroſi humoris extravaſationi & expanſioni occaſionem præberè poſſunt, præter ſeroſam ſanguinis conſtitutionem à ſex nonnaturalibus inductam, præter etiam laxitatem partium, obſtructionem, flaccitiem, ſunt inſolatio, auſtrina tempeſtas, tegumenta co-

copiosa & densa capit contra consuetudinem applicata ? illa enim aut sanguinem fundunt, aut transpirationem impediunt, sicque humores serosos ad extravasationem disponunt, causa verò frequentissima & usitatissima est frigus susceptum capite nudo, pedibus nudis, aut aliis corporis partibus vel minùs vestibus tectis, quatenus scilicèt per talem causam constipantur pori sive meatus per quos fieri solet transpiratio, quæ quanta sit testatur Sanctorius libro de *Statica Medicina*; ex qua constipatione ac fuliginum retentione paulo major in sanguine turgescentia & vasorum plenitudo oritur; hæc autem causæ seu refrigeratio multò efficaciùs agunt si corpus ante refrigerationem aut frigus susceptum excalefactum sit, aut ab exercitio aut ab alia causa; tunc enim sanguis jam fermentescens & plus solito agitatus per advenientem pororum obstructionem ac proinde fuliginum retentionem magis vasa dilatat & replet; unde serositates faciliùs in partes pro data occasione fluunt, quin etiam per dilatationem partium fit quædam in poris apertio præsertim in partibus laxioribus ex natura sua; hinc non mirum si tempestatum inæqualitates, hoc est tempestates ex calidis subitò frigidæ factæ hunc morbum inducere solitæ sunt; non mirum quoque si dum frigus admodum sævit, catarrhus epidemicus, sit, & præsertim dum subitò advenit; non mirum denique, si qui sunt serosioris constitutionis, huic affectui maximè obnoxii sint, atque illi item qui texturæ nimis densæ sunt, aut etiam nimis raræ.

Signa catharri manifesta satis sunt quàm ut referantur, humor enim depluens in partem vel manifestè percipitur dum è naribus extillat, aut oculis, faucibus; vel manifestatur satis per tumores, dolores, raucedines, tusses, ulcera & dolores quos inducit; adest præterea plerumque capitis gravitas, sensuum hebetudo ad somnum propensio, emunctio frequens narium, sputa continua &c.

Quo ad prognosim, morbus hic lethalis non est, nisi ferinus aut suffocans & in pulmones depluat, secus enim citra mortis periculum accedit ægro; si in nares destillat, lene est, si in fauces, pejus, si in pectus, pessimum, ut ait Cornelius Celsus; periculosus quoque si copiosus humor decumbens & pro majori, aut minori partium in quas ruit dignitate, aut nobilitate pejoris, aut minoris, ominis est, in senibus difficiliùs curatur quàm in juvenibus, quia senes minus digerunt quàm juvenes & pessimum faciunt sanguinem.

Ad curandum catarrhum plurima eaque varia conferunt remedia; venæ sectio in hoc morbo semper locum habere debet, quæ pro virium robore & ætate copiosior esse debet, aut frequentiùs repetita : Purgationes quoque frequenter utiurpandæ compositæ ex his quæ hydragoga dicuntur, aut per pilulas de agarico, arthriticas, cochias minores, aut resinam jalapæ, aut pulverem jalapæ, electuarium & pulverem diacarthami in formam boli aut potionis : Vomitoria quoque locum habere debent, si catarrhus sit contumax, quia potentiùs humores eradicant & in illas vias determinant : Clysteres verò iique fortiores præscribantur, quoties alvus pigra erit, & necessitas videbitur ad humorem in partes fluentem revellendum. Præscribunt Antiqui errhina, masticatoria, suffumigia, sed ea valde non sunt magni effectus; vesicatoria verò, setacea & cauteria majus commodum præstare possunt : Si catarrhus ferinus sit & salsus, ea omnia quæ humorum acrimoniam mitigant præscribenda erunt, lac, emulsiones, decoctum sudorificum, mucilago seminum psyllii, cydoniorum, althææ & herbarum anodinarum decoctum, cassia, balneum, & alia quæ in præcedentibus ad humorum acrimoniam præscripsimus. Si catarrhus ad tracheam aut pulmones destillat, remediis in hæmoptoe, & phthisi propositis curabitur; si in articulos remediis in arthritide asferendis; si in guttur eadem adhibetur curatio ut in angina dictum est, & sic de cæteris. In omnibus tamen catharri speciebus

bus conveniunt ſudorifica, quia humiditates conſumunt; item ſuffitus aquæ vitæ aut vini in quo lateres igniti projecti ſunt, ſtuphæ etiam, ſeu hypocauſta atque præ primis narcotica, ut ſunt laudanum, ſyrupus de papavere albo & de nyphæa; interim roborandus ſemper ſtomachus qui plerumque in vitio eſt, vinum abſynthii, opiata corroborans, pulveres digeſtivi: Quoad potum, julepos, victus rationem, excalefacere plus minus vel refrigerare debent pro febris abſentia, aut præſentia, attamen quia febris rarò adeſt & catarrhus ſemper fit à ſeroſo humore, ſatiùs eſt attenuantia, diaphoreſim promoventia & ſulphurea præſcribere quàm frigida, quæ tamen temperari poterunt ſi neceſſitas poſtulat & pro varietate ſymptomatum.

NOTA.

IN his quæ de catarrhi cauſis in clariſ. auctoris textu referuntur, menda occurrunt quæ omnia corrigere non quiti ſumus, ſuper hoc argumento annotaſſe ſufficiat catarrho lymphæ ſeparationi in glandulis, ut par eſt, non peractæ, ortum ſuum debere, atque ita lympham aciditate aut acredine & ſalfugine ut & copia peccantem, catarrhorum eſſe materiam, eorumque fontes eſſe glandulas; quæ cùm in locis cerebro vicinis; collo, facibus, naribus, ore, aſpera arteria &c. copioſiores & grandiores cum patentibus vaſis excretoriis, videantur, nihil mirum ſi partes iſtæ catarrhorum propriè dictorum ſedes ſint.

Curationem quod ſpectat, obſervandum magna cautione opus eſſe in purgantibus exhibendis; ea enim ſi in catarrhi principio, & dum humores crudi, aut maximè acres, & tenues ſunt, propinentur, humores, aut lympham magis commovent & exagitant, unde fluxio pertinacior, & in maximum periculum æger conjicitur, pro catarrhi natura, aut ſede.

Notandum ſecundò narcotica ſeu anodyna, pilulas, v. g. de ſtyrace etiamſi utiliter à prudenti Medico ad demulcendos humores, dari poſſint imò & debeant, in fluxionibus pulmones gravantibus, ſi præproperè & intempeſtivè præſcribantur, priuſquam ſcilicet imminuta ſit plethora, ſuffocationis periculum imminere.

Cæterùm in catarrho conducunt ſuccinata omnia, & primò quidem Succini oleum verticis capitis illitum aut ad guttulam unam vel alteram inſtillatum prodeſt. Juvat & ejuſdem aut maſtiches ſuffumigium pileo aut aliis capitis integumentis exceptum. Nec minus commendatur ſal volatile ſuccini aut liquor C. C. ſuccinatus; item ſulphuris flores cum ſuccino mixti & cum extracto helenii in pilulas redacti. Laudantur item ol. majoranæ & maſtiches ſyncipiti illita. Applicatur etiam emplaſtrum de tacamahaca ol. ſuccini illitum, nec non balſamus verus & gummi caranna. Inter ſpecifica excellit, ſerpillum, è cujus ſummitatibus cum vino per plures diſtillationes cohibendo paratur ſpiritus elegantiſſimus, quo extrahitur demum tinctura ligni ſaſſafras raſpati & ut par eſt infuſi. Doſis hujus tincturæ ad cochleare unum in aſſuetis. Probantur etiam decoctum ligni lentiſcini, caryophyllatæ, & acori aquatici radices, ut & cortex tamariſci, myrrha, ſperma ceti &c.

Folia tabaci cum ſemine aniſi aut pulvere ſuccini & cardamomi fumum præbent utilem.

In catarrho ſuffocante, ſperma ceti à ℈. j. ad ij. ex aq. hyſſopi, cum ſyr. de hedera terreſtri aut marrub. Conducit & radix ari, caſtoreum &c. Vomitus à perito Medico procurari poteſt.

CA-

CAPUT XVI.

De Dolore Capitis.

CAput duplicis generis dolore affici poteſt, inveterato ſcilicet habituali qui cephalæa dicitur, & recenti qui cephalalgia nominatur, daturque & alia doloris ſpecies in qua quia non niſi media pars cerebri dolet, hemicrania nuncupatur.

Præter jam dictas doloris capitis differentias, aliæ ab auctoribus afferuntur, ſiquidem alius dolor internus eſt, ſedem habens in membranis cerebri; alius externus ſedem habens in pericranio aut cute, alius idiopathicus & eſſentialis per ſe primò incipiens & ex cerebri vitio dependens; alius ſympathicus & ſymptomaticus, affectus aliarum partium aut totius corporis conſequi ſolitus; ſimiliter & alius eſt pungitivus ex vellicatione; alius tenſivus, ex tenſione membranarum; alius gravativus ex cerebri ſubſtantia affecta dependens.

Cauſæ doloris capitis plures ſunt, quæcumque ſcilicet vellicationem, diſtenſionem, eroſionem, uno verbo continui ſolutionem efficere apta ſunt, quæ prout in diverſis capitis partibus vim ſuam exerunt, varias doloris capitis pariunt ſpecies, hemicraniam nempe, ſi in alterum tantùm cerebri limbum agant, aut peculiarem ejus diſpoſitionem pervertant; dolorem externum, ſi in pericranium aut cutem; internum ſi in meningibus; pungitivum ſi in membranas; gravativum ſi in ſubſtantiam cerebri; denique cephalæam ſi diutiùs retineantur, nec evaneſcant; talia ergo ſunt ſanguis acrior, hoc eſt ſero ſalino nimis onuſtus; ſanguis item turgenſcens nimis, & nimia copia in cerebrum & caput delatus; talia ſunt oſſis cranii fruſtula meninges pungentia; tales ſunt interdùm vermes in cerebro geniti, talis eſt humor in cerebro, membranis aut pericranio & cute congeſtus; talis item cranii nimis denſa textura, aut futuræ nimis ſtrictè unitæ, quo fit tranſpiratio non bene fiat, ſicque illæ fuligines in cerebro retentæ ſanguis turgeſcentiam ac proinde diſtenſionem augeant.

Diagnoſis morbi innoteſcit ſatis per ægrorum queſtus, cauſa verò difficiliùs detegi poteſt; qui perpetuus eſt & indeſinens capitis dolor aut humores aut vermes pro cauſa agnoſcit, aut in membranis ulcerationem excitatam, aut cranii denſam texturam.

Si humor morbum creaverit prout aut in meningibus aut ſubſtantia cerebri, producit majorem dolorem, præterea aderit ſomnus, aut ad ſomnum propenſio; ſi exulceratio meningum capitis dolorem invehat, dolor intenſiſſimus erit: vermes autem plerumque non innoteſcunt, niſi per cranii aperturam, ſi dolor continuus non ſit, ſed recens aut interpolatè rariuſve recurrere ſoleat, tunc producitur ab humorum copia in cerebro delata & vaſa diſtendente, quod dignoſcitur ex plethora, febre, arteriarum temporum pulſatione, capitis caliditate, quæ ſigna ſi abſint, ſanguinis eſt accuſanda acrimonia, ſi præſertim alia ejus ſigna adſint, qualis eſt macies totius corporis, temperamentum biliоſum, aliaque acrimoniam indicantia; materia meninges comprimens & pungens, ex ictu & fractura cranii dignoſcetur; externus dolor, ex eo quòd manus compreſſionem nec pilorum inverſionem poſſit ferre ægrotans; nec ad oculorum radices pertingat, internus è contrà ex eo quod capitis externam compreſſionem facillimè ferant & pilorum inverſionem & ad radices oculorum protendatur dolor · quòd ſi nimis denſa oſſium cranii ſtructura aut futurarum coalitio cephalææ dederit originem, id difficillimè detegi poteſt, nec id ſuſpicatur Medicus, niſi per abſentiam omnium cauſarum aliarum.

Prognoſis doloris capitis eſt quod plerumque periculoſus & lethalis non eſt, dum ſcilicet recens eſt & rariùs affligit; item ille qui à levioribus cauſis procatarcticis excitatur, inſolatione ſcilicet, ebrietate, exercitio, non mali eſt ominis, contrà verò qui perpetuus eſt & nunquam deſinens, periculi plenus eſt: ſecun-

dùm gravitatem cauſæ à qua dependet; externus interno minus periculoſus; ſymptomaticus autem pro natura morbi à quo dependet ipſiuſque intenſione melior aut pejor dici debet.

Curationem quod ſpectat ea nunquam ſuccedit ſi à vermibus, tumore, abſceſſu, ulcere ſaltem magno dependeat, quando depreſſio & fractura cranii locum dat, celebranda trepani operatio & auferenda propriis inſtrumentis oſſium fruſtula meninges pungentia, celebratis ſemper univerſalibus, ſaphenæ ſectione & narcoticis, trepanum quoque convenit iis qui ob nimis denſam cranii texturam aut ſtrictam ſuturarum commiſſuram hoc morbo affliguntur. Quòd ſi ab humorum acrimonia pendeat aut eorum turgeſcentia in caput cum impetu ruentium, præmiſſis plebotomiis ex brachio, pede, in caſu hoc demulcentia præſcribuntur, ſerum lactis aut lac. balneum, hordeata, amygdalata, narcotica, decoct. ſudorif. aut acida & refrigerantia, ſi bilis cauſa morbi reputetur. In ſecundo caſu, humorum ſcilicet turgeſcentia vaſa cerebri diſtendente, frequentius ex dictis locis celebrari debet phlebotomia, vitato balneo; propinanda acida, narcotica, refrigerantia, vitanda ea omnia quæ calefacere poſſunt, purgandi identidem egri tum per potiones aut pilulas ſine quibus: Clyſteres fortiores imò & vomitoria conveniunt; cauterium occipiti inuſtum juvat ad morbi curationem & præcautionem, ſi inveteratus ſit aut frequentiùs recurrens. Sunt qui commendant ſectionem venæ frontis, arteriotomiam in temporibus celebratam, pulmonem vervecinum aut alia capiti applicata; cauterium futuræ coronali inuſtum aut inter pollicem & indicem, Oxyrrhodina varia, cucuphas, ſed ea videntur nullius utilitatis & hodiè obſoleverunt; magis conveniunt aquæ Thermales aut acidulæ pro natura cauſæ morbum facientis; plerumque huic morbo dat occaſionem obſtructio & menſium aut hæmorrhoidum ſuppreſſio, tunc autem ad aperientia deveniendum; ſi dolor capitis ab aliis morbis dependeat per propria remedia iis occurrendum. Plurima alia ſunt remedia ab auctoribus propoſita circa dolorem capitis quæ brevitatis cauſa omitto, upote quæ in eorum operibus videri poſſunt.

NOTA.

CEphalalgiæ ſpecies Hemicrania inter contumaciſſimos affectus poſita, ortum ſuum ſæpius debet humori viſcido & mordaci tunicam interiorem ventriculi illinenti. Hinc nauſeæ & vomitus doloris illius ut plurimùm comites. Hinc fit etiam ut exhibito emetico, quale eſt ſyrupus aut oxyſaccharum Angeli Salæ à ʒj. ad vj. vel ampliùs, ex pauco juſculo, ægri meliùs habeant, nec tam citò iidem dolores periodici recurrant, aut longiores inducias concedant.

Arteriotomia, ſive ſectio arteriarum temporalium, quæ auctori noſtro inter remedia obſoleta numeratur, poſt alias peractas generales evacuationes, mira præſtitiſſe, mihi & omnibus Medicis noſtratibus, non ſemel viſa eſt; ſed fieri debet potiſſimum in dolore capitis pulſatorio, & quando pulſatio magis moleſta eſt aut ſenſibilis, arteriam ſecando tranſverſaliter in duas partes.

Topica etiam nullatenus explodenda, ut pote quæ ſaltem ad tempus juvent. Commendantur unguenta alabaſtrinum, populeum, quibus addi poteſt opii portiuncula, cum requiſita cautione.

Multa ſimplicia, & à Medicis & à mulierculis capiti quotidie applicari ſolitaricula itidem non ſunt, inter quæ verbena roſæ, hedera terreſtris, ſerpillum, polygonum, philantropum &c: quibus igne maceratis acetum jungitur.

Levamen præſens in cephalalgiæ paroxyſmo præbere ſolet potus caffè & thè, nullibi non hodie uſurpatus. Sed hujus abuſus aut frequentior uſus, iis potiſſimùm metuendus, qui ſunt habitus ſiccioris, ne ſcilicet hic nervorum genus patiatur, nervos quippe lædit potus ille, largiori copia aut frequentiùs hauſtus, ut multiplici experientia comprobatum eſt.

CA-

CAPUT XVII.

De Angina.

SI morbi ex neceſſariarum maximè ad vitam functionum læſione, magni dicantur; certè angina in qua reſpiratio & deglutitio ſimul, ſine quibus homo vivere non poteſt, læduntur, non infimum inter illos locum obtinere dicendum eſt; ea autem in genere ſumpta omnem faucium & gutturis ſignificat affectionem ab ἀγχω id eſt ſtrangulo, quæ ſcilicet nullo in pulmonibus, aſpera arteria, aut thorace exiſtente vitio, & reſpirandi, ac modò ſolida, modò liquida alimenta, modò utraque deglutiendi tollit facultatem, & eſt Riverii ratio; verùm quia talis affectus interdum à diverſis omninò dependet cauſis; interdum varias quamquam ſibi proximas infeſtat partes; diverſas quoque pro ratione cauſarum aut partis affectæ patitur diviſiones, ſi enim angina febris expers ſit, & ab humore pituitoſo in pharyngem aut partes laryngis vicinas, glandulas puta delabente excitatur, vel etiam quod aliquando contingere poteſt à vertebra cervicis aliqua intrò luxata & principium œſophagi & tracheæ arteriæ comprimente, ſpuria tunc & notha vocatur; ſi autem non ab alterutra cauſa jam dicta, ſed ab inflammatione cum febre conjuncta dependeat, legitima nominari conſuevit, cujus alterius quatuor ſpecies proponunt Veteres; aliam Cynanchem dictam, dum phlogoſis muſculos laryngis internos occupat; aliam paracynanchem, dum externi tantùm ejuſdem muſculi afficiuntur: Synanchem alteram dum interiores faucium muſculi inflammatione tentantur; & demùm paraſynanchem ſi exteriores ſolùm pharyngis partes ſeu muſculi colli eodem affectu laboraverint; ſpuriæ anginæ cauſas ex dictis poteſt colligere quiſquis; quæ autem legitimam inducere poſſunt non aliæ veniunt quàm quæ inflammationem in aliis quibuſcumque partibus corporis producere apta ſunt, ſanguis nempe in guttur & fauces ex arteriis caroticis copioſiùs effluens, ibique aut ob partis laxitiem, aut propter aliam quamcumque cauſam, quantitatem, effervescentiam, viſciditatem ſanguinis in cor refluxum retardantem hærens & reſtagnans, quo fit ut idem per continuum arteriarum pulſum in partium harumce ſubſtantiam extravaſatus & effuſus, fermentetur tandem & putreſcat, atque per ſuggeſta ſanguini in vicinis partibus circulanti corpuſcula ex inflammatione decidua, febrem tanquam anginæ ſymptoma accerſat, licèt eadem interdum eſſentialis anginam pro ſymptomate agnoſcere ſoleat.

Cauſæ hujuſmodi externæ ſunt, auſtrina aeris conſtitutio, tempeſtatum inæqualitates, ſubita refrigeratio, frigidi potus, inſolatio, nùdidi capitis ad aerem frigidum expoſitio, vociferatio nimia, & alia ex ſex rebus nonnaturalibus deprompta.

Diagnoſis anginæ quæ ſpuria dicitur ex febris abſentia, aut iis quæ oſtendunt vertebram luxatam deſumenda eſt, quæ verò legitima vocatur præter reſpirationem & deglutitionem difficilem, quam cum notha habet communem, febrem, dolorem, & calorem in parte atque etiam aliquando ruborem extrinſecus apparentem infert, quibus omnibus à prædicta diſtingui poteſt. An autem inflammatio partem laryngis aut pharyngis, internam aut externam occupet, totum illud ex majori aut minori reſpirandi aut deglutiendi difficultate innoteſcit, aut etiam ex dolore magis aut minùs profundo, & rubore in collo plus minus ſe manifeſtante.

Quod prognoſim attinet, anginam periculoſam eſſe docet reſpirandi & ſumendi cibos inevitabilis neceſſitas; cùm enim intercipiatur in hoc affectu & aeris ad ſanguinem in pulmonibus perficiendum deſtinati; & alimentorum ad ſanguinis in partium nutritionem aſſumpti reſarciendum, inſtitutorum via, nonniſi maximum inde detrimentum, pulmonum nempè infarctus, peripneumonia, ſuffocatio aut mors ipſa procedere poteſt, quod tamen in ſpuria angina minùs

formidandum dum ab humore pituitoſo ortum habet, quàm dum à vertebræ luxatione; in legitima verò dum inflammatio magis ad exteriora quàm ad interiora vergit minuſque aeri & cibis viam præcludit.

Curatio hujus morbi eadem ferè eſt, quæ omnium aliarum inflammationum, ſanguis nempe in gutture aut faucibus accumulatus, aut effuſus, revellendus eſt & derivandus per venæ ſectiones & in brachio & in pede, imò etiam & in collo & in jugulari celebratas; clyſteres initio purgantes validè, ad cauſæ morbificæ portionem per inferiora educendam præſcribi debent, deinde nutrientes, ſi præſertim æger per os ſufficienter aſſumere non valeat, cui etiam & eo modo occurritur per uſum cannulæ incurvæ, cui ſyringa ad propellendum in œſophagum juſculum, aut alium liquorem nutrientem adaptatur; victus tenuis eſſe debet & refrigerans, ægri decubitus ſublimi capite & erecta cervice.

Purgatio demum eaque ſatis valida, quia morbus urget, quàm citò fieri poteſt, celebranda, imò ex vino emetico, ut ex Riverii obſervationibus; tum ut cauſa morbum faciens potentiùs eradicetur, tum ut purgationis tempus (per auctam à morbo deglutitionis difficultatem) non prætermittatur, ea tamen inſtitui non debet niſi præceſſerint aliquæ, ut ſuprà diximus phlebotomiæ, quæ vaſorum depletionem faciunt, & purgantibus, ut ita dicam, ſternunt viam, & ſanguinis in partibus extravaſati & reſtagnantis in vaſa & cor regreſſum promovent; veſicatoria & cucurbitulæ ſub mento non probantur, item nec frictiones, nec ranularum ſectio aut ligaturæ. Locum autem habent omnia remedia quæ in aliis inflammationibus propoſuimus. Inter topica conveniunt initio gargariſmata & fotus repellentes ex oxycrato aut decocto aſtringente, deindè addendo reſolventia, quæ omnia videri poſſunt apud Riverium; aut emollientes & ſuppurantes ſi tumor in ſuppurationem vergat, qua facta rumpi debet abſceſſus, aut digito ungue acuto munito, aut ſcapello parvo incurvo ad id fabrefacto & manubrio ligneo inſtituto quod inter digitos duos conditur; aut ſi tumor videri non poſſit utendum ſpeculo oris aut inſtrumento linguam deprimente; dum remotus eſt abſceſſus utendum cuſpide ferrea acuta in ſummitate ligni longioris infixa; ſi tumor extrinſecus feratur versùs collum, utendum emollientibus & ſuppurantibus, & deinde ferro aut cauterio potentiali; qui tumor deinde curatur ut alia ulcera; laryngotomia rarò celebratur, convenire tamen poteſt. Spuria angina quæ à luxatione vertebræ dependet incurabilis eſt; alia faciliùs curatur reſolventibus topicis.

NOTA.

RAnularum ſectio ab auctore clariſs. improbata aut inutilis judicata, poſt præmiſſas majorum vaſorum apertiones, magni ſæpe eſt effectus, ſed inde aliquando ſequitur hæmorrhagia nimia, quæ adſtringentibus vix ſiſti poteſt. Gargariſmis in principio additur ſuccus ſeu rob nucum cum melle paratum.

Parantur alii gargariſmi ex ſucco cancrorum fluviatilium, & ſempervivi majotis, quibus additur, ſi pars dolens id ferre poſſit, ſalis armoniaci, vel nitri fixi, aut ſalium volatilium momentum. Utile eſt & decoctum liguſtricum pauco aceto in angina notha ſeu alba. Communia ſunt cataplaſmata collo applicata, ex nido hirundinis pulverato & ſetaceo trajecto, cum aqua aut lacte cocto, addendo mellis q. ſ. aut camomill. & roſas rubras, imò & axungiam porci cum albo græco, ſeu ſtercore canis ſiccato, quod ultimum medicamentum etjam per os ad ʒj. ex ol. amyg. dulc. exhibetur à quibuſdam. Fiunt & cataplaſmata ex cæpis ſub cineribus coctis. Laudatur ſpiritus nitri dulcis in potionibus ex aq. appropriatis. Purgatio cum cautionibus ab auctore notatis utilis eſt. At nollem viro doctiſs. aſſentiri in damnandis veſicatoriis, quæ in anginis pituitoſis, poſt generales evacuationes, magnæ ſunt efficaciæ; fundendo, ſcilicet, & edu-

educendo portionem lymphæ tenacioris à glandulis eructatam.

CAPUT XVIII.

De Aſthmate.

INevitabilem reſpirandi difficultatem quæ per aeris in veſiculoſam pulmonum ſubſtantiam ingreſſum egreſſumque abſolvitur ; tot modis interturbari conſtat , quot ſunt morbi , non modò medium corporis ventrem occupare ſoliti , ſed plures etiam ſupremum atque infimum vulgò infeſtantes ; non levem autem læſionem patitur in eo affectu qui aſthma dicitur ad ἀσθμαίνειν id eſt anhelare nomen habens , in quo propterea quòd pulmo præcipuum reſpirationis organum idiopathice & primariò afficitur, difficilè , cerebro cum ſumma thoracis contentione , (ſine febre tamen) reſpirant ægrotantes , verùm quandoquidem morbus hic plures habet intentionis atque remiſſionis gradus , in varias quoque ſpecies diſtribuitur , quarum prima dyſpnœa dicta , crebram quidem denſamque ſpiritus tractionem infert , omnium tamen leviſſima eſt ob minorem cauſæ morbificæ copiam aut vehementiam ; altera aſthmatis propriè dicti donata nomine multò majorem producit reſpirandi conatum , in ea ſiquidem diaphragma , muſculi intercoſtales, imò etiam & abdominis violenter moventur , & propter obſtructos atque magis oppletos pulmonis tracheales ductus ad aere inter inſpirandum expirandumque materiæ obſtruenti alliſo , ſtertor & ſibilus excitatur . Altera verò & prima cui nomen eſt orthopnœæ , maximam omnium & fere præfocantem invehit ſpirandi difficultatem ; ita ut ob intenſiſſimam cauſæ morbum facientis vim nonniſi ſedentes & erecta cervice reſpirare poſſint ægri , & non ſolùm prædicti muſculi , ſed etiam pectoris & ſcapularum vehementiùs moveantur . Præter allatam aſthmatis diviſionem , alia fit ejuſdem in pneumonicum , & convulſivum diſtributio ; illud ad pulmones propriè pertinet , cujus bronchia compreſſa , aut obſtructa ſolitam aeris copiam non admittunt ad ſanguinis attenuationem inſtituti : hæc verò ad partes thoracem moventes ſpectat , muſculos ſcilicet reſpirationi inſervientes , fibras bronchiorum muſculares , nervos hiſce omnibus proſpicientes ; ſi enim ſpiritus ad thoracis muſculos , fibraſque tracheæ arteriæ carneas ſolita copia non influant , propter nervorum obſtructionem , aut quòd iidem ab humore ipſis heterogeneo in motum præternaturalem agantur (qualem excitandæ convulſioni parem eſſe cenſemus) difficulter ut & nonniſi cum maximo labore alici reſpirationem neceſſe eſt, ſicque aſthmaticum affectum neceſſario ſubſequi . Hæc autem ultima aſthmatis ſpecies , quia rariſſimè ſola homines invadit, alteriuſque ferè ſemper morbi comes eſt , apoplexiæ putà , incubi , paſſionis hyſtericæ , ac hypochondriacæ &c. ideo illam hìc libenter prætermittimus , ad affectus pneumonici dicti cauſas properantes .

Illæ igitur ad duas potiſſimum claſſes referuntur , obſtruentes ſcilicet ſive internam bronchiorum cavitatem occupantes & comprimentes , ſeu trachealium ductuum parietes exrrinſecus coarctantes . Obſtruuntur bronchia potiſſimùm ab humore viſcido non à capite in pulmones delabente (ut placuit Antiquis) cum nulla à cerebro ad pectus via pareat , ſed à glandulis internam tracheæ arteriæ ſuperficia occupantibus exundante , aut per extrema arteriarum in ejuſdem tracheæ canalem hiantium orificia eructato ; cùm enim aſpera arteria ejuſque in pulmones divaricati rami continuò humore aliquo a glandulis per totum ejus ductum diſſeminatis & in magnis animalibus , elephante , bove , equo conſpicuis deciduo irrigentur ; is ſi vaſcidior quàm par eſt evaſerit per tenuium partium à calore factam evaporationem , vel etiam à ſanguine ſeroſo & tenaci , atque talis per dictas glandulas ſecernatur , poterit vel in majori vel minori copia aggeſtus , fiſtuliſque pulmonum im-

pactus, aeri ingreſſum, exitumque plus minus præcludere, majoremque ſubinde aut minorem reſpirandi difficultatem inducere, quod præſtare poteſt à latice ſeroſo è vaſis ſanguiferis in bronchia per viam catarrhi, depluente, qui ſimiliter copia ſua & viſciditate, quam per moram acquirere potis eſt, eorundem parietibus adhærendo, reſpirationis negotium interturbare valet, comprimunt exteriùs tracheæ ramos, non ſolùm ſanguis, in arteria & vena pulmonali dimiùm efferveſcens aut majori copia accumulatus, ſed etiam tubercula ſi quæ ſint in pulmonum ſubſtantia genita, aut ſcirrhi lappillivè per eorumdem parenchyma diſperſi, ea namque corpora mole ſua aut duritie bronchiorum, quibus adjacent, cavitatem anguſtare maximè valent, ac proinde aeris intercludendo viam, laborioſam & difficilem reſpirationem afficere.

Cauſas aſthmatis externas colligere facilè quiſque poteſt, ex malè uſurpatis ſex rebus nonnaturalibus, mentorum ſcilicet craſſorum, & viſcidorum uſu nimio; aere craſſo & nebuloſo, ſomno, quiete, vita ſedentaria, triſtitia, mœrore, & aliis ſanguini viſciditatem & craſſitiem inducere aptis, quæ omnia quomodo ſanguineæ maſſæ diatheſim immutare & pervertere poſint, lippis & tonſoribus notum eſt.

Diagnoſis hujus affectus & ſpecierum illius ex allata ſuperiùs cujuslibet deſcriptione omninò innoteſecit; cauſarum verò obſtruentium, aut comprimentium ſigna ex majori aut minori ſtertore, vel omnimoda ejuſdem abſentia deſumuntur.

Prognoſim autem aliter inſtituere non poteſt Medicus niſi maximum ſemper periculum præſagiendo, quod tamen minus erit in dyſpnœa quam in eſthmate, & in iſto quàm in orthopnœa, item ſi bronchiorum canales à materia in ipſis contenta obturentur, multo minor affulget ſalutis ſpes, quàm ſi iidem à cauſa aliqua extrinſecus comprimente anguſtentur; uno verbo aſthma quodlibet propter functionis vitalis læſionem graviſſimoſque ipſi ſuccedentes affectus, cachexiam ſcilicet, hydropem, catarrhum ſuffocantem, phthiſim, pleuritidem, peripneumoniam mali ſemper ominis eſſe ſolet.

Curationem quod attinet, quandoquidem morbus iſte exacerbationes paritur & veluti periodos à variis cauſis excitatas, duplex quoque inſtituenda eſt, alia in paroxyſmo, alia extra paroxyſmum; in paroxyſmo ſtatim vena ſecanda, clyſteres acres injiciendi purgans phlegmagogum dictum exhibendum, imo & vomitoria, quæ pluries conduxiſſe, frequens experientia comprobavit; quibus omnibus attenuantia medicamenta, qualia ſunt ſalia volatilia, ſpiritus vini, ſalis armoniaci, aqua cinnamomi, theriacalis, aqua vitæ Matthioli &c. ſuccedere debent, & tandem expectorantia, ſeu humores craſſos, ſi qui ſint in bronchiis incidentia, quæ in formam looch, aut ſuffitus ore & naribus excepti uſurpari poſſunt.

Extra paroxyſmum verò quia dantur induciæ ſenſim ſine ſenſu corrigenda eſt maſſa ſanguinis, & lymphæ, aut humoris ſeroſi craſſities attenuanda, quod per multiplicis generis remedia perficitur, qualia ſunt apozemata aperientia, julepi & juſcula ex herbis aromaticis parata, & ſalibus tum volatilibus tum fixis nobilitata, enemata ſatis validè purgantia, cathartica identidem propinata, quibus remediis venæ ſectio ſemper adjici debet, quæ cùm vaſa ſanguinea per totam pulmonum ſubſtantiam copioſiùs diſperſa depleat, & ſanguinis craſſioris, viſcidioriſque circularem motum, qui anteà lentus erat, promoveat, & majus quo ſe dilatent, ſpatium bronchiis relinquendo, liberiorem aeri inſpirando expirandoque viam paret, ſic difficilem alioquin reſpirationem non parum juvat.

Itaque remedia aſthmati appropriata præter univerſalia, qualia ſunt vomitoria, vinum emeticum, pilulæ aut potiones validiùs purgantes, clyſteres &c. erunt ſuccus ireos noſtratis cum vino hippocratico mixtus, aqua cinnamomi cum ſaccharo, aut ſyrupo violaceo ex cochlea-

chleari, crocus cum vino exhibitus, aqua vitæ ſaccharo dulcorata, aqua tuſſilaginis deſtillata, looch ex ſyrupo de praſſio albo, de tuſſilagine cum ſucco liquiritiæ & oximelite, fumus nicotianæ, tuſſilaginis, pertubulum hauſtus, fumus aquæ vitæ calefactæ ore & naribus exceptus. Errhina, ſternutatoria, & veſicatoria non probantur, imò nec multùm ſuffitus, quamquam illos præſcribant auctores, pilulæ etiam ad hunc affectum accommodatæ præſcribi poſſunt ex aloe, gummi ammoniaco, floribus ſulphuris, croci, etiam addito diagridio ſi magis purgare neceſſe eſt, aqua bryoniæ deſtillata, ſyrupus de peto Quercetani, millepedes in vino macerati, decoctum ex radicibus & herbis attenuantibns, hyſſopus, praſſium album, enula campana, ſatureia, iris Florentiæ, paſſul. & liquirit. cum ſyrup. appropriato, terebinthina aut ejus ſpiritus, flores ſalis armoniaci flores benzoin, decoctum galli veteris cum radicibus & herbis aperientibus & attenuantibus. Præter jam dicta conveniunt chalybeata, mercurialia, ſales fixi & volatiles, uno verbo ſpirituoſa, attenuantia & aperientia, ſub variis identidem formulis propinata.

Nota tamen ſupra dicta remedia parcè uſurpanda eſſe, ne ſanguinem nimis excalefaciant.

NOTA.

COmmodè dividitur Aſthma in humidum & ſiccum. Prior ſpecies à materia vitioſa fovetur, cujus excretione ceſſat. Poſterior, citra præſentiam talis materiæ fit convulſione muſculorum thoracem moventium, in ſpecie diaphragmatis. Aſthmatis humida meteria, craſſi, videlicet, viſcidi & mucilaginoſi ſucci, in pulmone ſolo non reperitur, ſed etiam, imò ſæpius in ventriculo, ex ſententia Clariſſ. Etmulleri, qui omnino videatur. Cauſas convulſionis diaphragmatis aut muſculorum pectoralium, alteram aſthmatis ſpeciem conſtituentis, quod ſpectat; eæ non diveriæ ſunt à cauſis aliarum convulſionum.

In Aſthmate ex quacunque cauſa orto confert venæ ſectio. In humido poſtmodum ad vomitorium deveniendum, cujus varia eſt materia; ſyrupus nicotianæ huc facit, ſed ritè parari debet. Materiam viſcidam incidunt enula campana, hìc imprimis commendata, marrubium, hedera terreſtris, hyſſopus, tuſſilago, ſcabioſa, pulegium, calamintha, cardus benedictus, ſatureia, veronica montana, carthamus, crocus, iris Florentina & noſtras, urtica, naſturtium, capillaria omnia, polypodium, gummi ammoniacum &c.

Confert præterea aqua florum raporum, cum pauco croco; aqua ſeu ſuccus raphani, decoct. ligni ſaſſafras cum paſſulis, & cætera; aqua ireos Florent. cum croco ſpirit. vini parata.

Prodeſt etiam radix ari ſicca, & priuſquam ſiccetur, aceto macerata, è qua fit pulvis cujus doſis ad ʒ. j. ex vino aut juſculo. Item ſperma ceti in hauſtu calido vel aqua hyſſopia ad ʒ. ss.

Fit linctus ex aſellis præparatis, cum melle, & pauco gummi ammoniaco. Parantur & ex aſellis recentibus in vino lotis & ſuffocatis, emulſiones cum paucis piſtaciis & pineis contuſis, affundendo aq. diſtillat. cancrorum fluviatilium, & ſyrupum, hederæ terreſtris.

Quidam laudant therebintinam ovi vitello ſolutam affuſa aqua inſ. q. item balſam. ſulphuris; & hæc in aſthmate humido.

In ſicco conferunt caſtoreum, aſelli, lumbrici, ſalia volatilia, ſpiritus ſanguinis humani, laudanum, & litus ex ol. nervinis addit. caſtoreo.

CAPUT XIX.

De Empyemate.

Empyema in genere vi nominis omnem ſuppurationem, hoc eſt puris in quacumque parte corporis collectionem ſignificat. πύον enim Græce idem eſt quod pus Latinè, unde ἔμπύημα ſeu puris accumulatio. Attamen invaluit uſus apud Medicos, ut empyema pro ea tantùm puris collectione accipiatur quæ in thoracis capacitate fieri ſolet, quæ puris collectio à pluribus cauſis ortum habere poteſt; vel enim conſequitur ipſa ad pleuritidem & peripneumoniam hoc eſt ad inflammationem interioris aut exterioris pulmonum ſubſtantiæ, quatenus ſcilicet ſanguis in ſubſtantia pulmonum aut extima ejus ſuperficie extravaſatus & inflammationem efficiens, ſuppuratur ſucceſſu temporis & in abſceſſum degenerat, quo rupto per puris acrimoniam, aut à centro pulmonis ſenſim ad ejus ambitum perducto, pus exilit & in thoracis cavum, modò in parte dextra, modò in ſiniſtra modò in utraque ſimul effunditur prout abſceſſus in lobis pulmonis dextris, aut ſiniſtris, aut ut utriſque exiſtit atque rumpitur; eſt enim membrana mediaſtinum dicta, thoracis cavitatem in duas partes dividens ſicut & pulmones, ne vitio in una parte exiſtente, facile ad aliud communicetur. Altera cauſa quæ empymati occaſionem præbere poteſt eſt ſanguinis effluxus in thoracis cavitatem, rupto ſcilicet aliquo vaſe ſanguifero, aut in parte externa pulmonis per ulcus ibi excitatum ab humoribus acribus, aut per conatum aliquem, aut etiam per extravaſationem factam à vaſis ſanguiferis in pleura quæcunque de cauſa, hoc eſt per ictum, caſum, contuſionem, ruptionem, vel denique per vulnus in thoracem inflictum pleuram & pulmones penetrans, in omnibus enim hiſce caſibus cùm ſanguis in capacitatem thoracis effluat, deperdito ſic motu ſuo circulationis, principia à ſe invicem ſecedunt, unde putreſcere, ipſumque corrumpi, uno verbo ſuppurari neceſſe eſt, ſicque empyema producere. Aliæ cauſæ huic morbo occaſionem præbentes afferuntur à Veteribus, ſcilicet, pituita ſalſa per diſtillationem a cerebro depluens, aut pus ab inflammatione laringis, aut pharingis, hoc eſt, per harumce partium abſceſſum ruptum in thoracis capacitatem effuſum: ſed qui anatomiam ritè callebit, non laborabit in refutanda ejuſmodi ſententia; nulla enim via eſt à cerebro ad pulmones, niſi per ſanguinis circulationem; pus verò præterquam quod in tracheam deſcendendo ſuffocaret ęgrum, non poteſt in thoracem effundi niſi totum pulmonem exederit, unde mors ante empyema ſequitur.

Signa empyematis ſeu puris in thorace collecti ſunt, primo ſi pleuritide & peripneumonia non expurgata febris intenſior fiat, & deinde remittat, tunc enim ſignum eſt fieri ſuppurationem, ſecundò rigor adeſt propter puris acrimoniam membranam pulmonis, diaphragma, & per conſenſum alias membranas vellicantem: tertiò pondus & ſenſus gravitatis in parte hoc eſt incavitate thoracis, præſertim ſi pus ſit in magna copia: quartò fluctuans ſenſus maximè dum ex uno latere in aliud æger ſe convertit, tunc enim pus in cavitate commovetur & fluctationem illam efficit; quintò difficilis magis & minus reſpiratio prout cavitas magis vel minùs pure repleta eſt, & hoc propter impeditam debitam pulmonum expanſionem, aut etiam eorumdem cum pleura agglutinationem, aut propter pulmonum infarctum à peripneumonia & pleuritide productum; tandem aliquando etiam purulentum fit ſputum, propterea quod pulmones non ſolùm pure fluctuant imbibantur per partem ſcilicet laceratam, (pus enim per membranam tranſire non poteſt) ſed etiam ulcus plerumque in pulmone poſt ruptum abſceſſum perſeveret, quod rejectam puris copiam ſuppeditat. Diuturniorem & confirmatum affectum, poſt ſigna ſupradicta deſignant, febris lenta quæ noctu exacerbatur, quæ febris à par-

particulis purulentis ſanguini communicatis, ipſiſque heterogeneis ortum habet, ſicut & exacerbatio à frigore noctis quo fuligines retinentur, ſudores verò noctu venientes auctam tunc temporis efferveſcentiam pro cauſa agnoſcunt, tuſſis irritationem bronchiorum è pure in pulmone contento, aut imbibito procauſa agnoſcit, oculi concavi fiunt, macie laborat totum corpus, ob ſanguinis diſcraſiam partibus nutriendis ineptam: an verò dextrum, ſiniſtrum, aut utrumque latus afficiatur, dignoſcetur non ſolùm ex inflammatione prægreſſa in ſiniſtris aut dextris, ſed etiam ex calore, pondere, fluctuatione, item & applicatione lintei madidi quod in parte affecta ſtatim exſiccatur. Ultimum ſignum quod Riverius proponit eſt tumor œdematoſus extra ſe prodens in latere affecto, qui excitatur à partibus puris tennuioribus, tranſudantibus & in muſculos intercoſtales & cutem imbibitis, quod certam poſt alia ſigna diagnoſim facit, & lateris apertionem tutò fieri poſſe inſinuat. Quando ab ulcere in parte pulmonis externa ab humoribus acribus excitato pendebit morbus, aut ab ictu in coſtas vulnere in thorace inflicto, illud dignoſcetur ex ſignis phthiſeos (aut ſenſibus, ægrorumque relatu notum fiet. Signa empyema ab hydrope pectoris diſtinguentia non afferimus, quia ex ſignis in hydrope pectoris referendis hæc differentia ſatis colligi poterit.

Prognoſim empyematis quod ſpectat, ſi illud conſequenter ad pleuritidem, vel peripneumoniam ulcus fiat, malum eſt & eò pejus quò gravioribus ſtipatur ſymptomatis, febre lenta ſcilicet, maraſmo, & pro quantitate puris coacervati; & tota prognoſis continetur textu. Hippocratis ſecundo prognoſticorum, titulo 63. quem legere poteris apud Riverium: dum verò morbus ab ictu, vulnere, aliiſque cauſis extrinſecis dependet, faciliùs curatur, præſertim ſi vulnus profundè in pulmones non penetravit. Dicunt auctores nonnulli pus eorum qui empyi ſunt poſſe evacuari per urinas, ſed quiſquis in Anatomia verſatus erit, de hoc ſemper dubitavit.

Remedia quæ in hoc morbo præſcribi poſſunt, ſunt decocta vulneraria, ex ſanicula, bugula, agrimonia, piloſella, veronica, hiperico, roſis rubris, hydromelite, hydroſaccharo: terebinthina, ejus ſpiritus balſamum ſulphuris terebinthinatum, balſamum peruvianum, decoctum antimonii crudi cum aliis ſudorificis initio. Cataplaſmata verò emollientia & emplaſtra applicata exteriùs non video quid commodi afferant. Interim clyſteres identidem præſcribi poterunt emollientes, purgantes, item & purgationes; non ita convenit venæ ſectio, ſed quia is non cedit morbus, ad operationem deveniendum ut fiat puris evacuatio, aperitur autem thorax tribus digitis tranſverſis ſub angulo Omoplatæ immediatè ſupra coſtam, quia in inferiore parte immediatè adſunt nervi, venæ & arteriæ, apertio autem fit aut primo applicando cauterium, quod ſenſim corrodit uſque ad pleuram, quo facto introducitur Cannula ad hoc opus fabrefacta aut ſimpliciter inſtrumento pungente aut ſcalpello ad aperiendum latus &c. pus extrahitur per vices, ne fiat ſpirituum diſſipatio, reclinato corpore, atque identidem fiunt injectiones cum parva ſyringua in thoracem ex aquis vulnerariis ad ℥ ij. vel iij. commovendo paulò corpus ut thoracis cavitas eluatur, quo facto in ſupino ſtatu collocatur æger, ut puris & injectionis evacuatio promoveatur. Si à vulnere per enſem, aut aliud inſtrumentum perforatus ſit thorax & ſuſpicio ſit extravaſati ſanguinis, tunc ſi ipſum vulnus ſeu foramen fuerit in ea parte per quam materia extravaſata effluere facile poſſit cannula eo loco inſerenda & injectiones per tale foramen injiciendæ, ſecus aperiendum latus, ut ſupra diximus tribus digitis tranſverſis ſub angulo Omoplatæ. Sunt quibus conſequenter ad vulnus pus in thoracem continuò ſuppeditatur, & ii geſtare ſemper debent cannulam argenteam per quam ſingulis diebus excernatur pus in thorace contentum.

NO-

NOTA.

Vide notam ſequenti capiti annexam.

CAPUT XX.

De Hydrope Pectoris.

EMpyemati ſimillimus & maximè congener affectus eſt, hydrops pectoris, ita ut difficillimè abi ſo diſtinguatur, fit ille per ſeroſi humoris in cavo pectoris accumulationem, aut ipſius in veſiculis per totam pulmonum ſuperficiem diſperſis collectionem, ut aliquando obſervarunt Practici; rarò ſolus eſt, & ut plurimum cum aliis hydropis ſpeciebus complicatur, cujus naturam, cauſas, & fiendi modum non eſt, ut hic fuſiùs exponam, repeti enim illa omnia poſſunt ex his quæ de hydrope in genere diximus, imò etiam & curatio; remedia enim non alia in hoc morbo præſcribi debent, additis roborantibus, quàm ea quæ in hydrope præſcripſimus, niſi forſan apertio lateris ad evacuandas aquas, quæ tamen non faciliorem ut plurimum habet exitum quàm paracenteſis in abdomine celebrata, propterea quod ut diximus in hydrope, tanta copia aquar. in thorace aut abdomine contineri & extravaſari nequit, quin maximum ſit in ſanguine & in viſceribus vitium, quod facilè corrigi non poteſt etiam evacuatis aquis, talem autem apertionem aliqui faciunt in coſtarum carneo interſtitio, alii in ipſa coſta, trepano perforante, ut faciliùs aquarum fluxus fiat, & cohibeatur quando neceſſe eſt; nihil igitur reſtat de hydrope pectoris agentibus quàm ut diagnoſim ejus quantum fieri poteſt proponamus. Eam tradit graphice Hippocrates lib. 2. *de Morbis* ſub nomine hydropis pulmonum, cujus verba legi poſſunt apud Riverium, adeſt primò major initio fluctuationis ſenſus quam in empyemate, propterea quòd aqua dum commovetur, quia magis liquida, majorem ſonum facit, quæ fluctuatio ceſſat præſertim dum reſpiratio difficilior ſit; quando ſcilicet tota cavitas repletur & non eſt locus ſeroſi humoris commotioni. Reſpirationis difficultas major eſt quàm in empyemate, quia rarò pus totam cavitatem replet, ut plurimum verò aqua; alterum hydropis ſignum eſt quando pleuritis, peripneumonia, aliaque puris accumulationem in thorace facientia non præceſſerunt, quando etiam non adfuit rigor ille qui omnem ſuppurationem conſequi ſolet; præterea hydropem pectoris conſequitur pedum intumeſcentia & aliquando abdominis, majus quoque ſuffocationis eſt periculum, major ponderis ſenſus in hydrope quàm in empyemate propter majorem humorum copiam; inſuper adſunt vel adfuerunt ſigna obſtructionum, vel ſanguinis aquoſi vel ſeroſi; adeſt aliquando tuſſis propter ſeroſitates ſalinas bronchia irritantes; quibus omnibus Riverius dixit ſupervenire interdum brachii & humeri dolorem imò & paralyſim, quod ſi fiat, hoc pendet à ſeroſitatibus penetrantibus in hujuſcemodi partes aut nervos his partibus deſtinatos, vellicantibus, infarcientibus, aut comprimentibus.

Prognoſis hujus affectus mala ſemper ferenda, imò pejor quàm in aſcite, propterea quod cavitas affecta utpote partes vitales continens nobilior ſit, & metus ſit ne pulmonis aut cordis officium interrumpatur, ſi ſuffocatio aut ſyncope ſubſequatur; adde quod in his morbis calor nativus valde debilis eſt, vires languidæ, ſanguis in ſua craſi valde vitiatus, labefactata viſcera difficilis aquarum evacuatio, quæ omnia inveterato præſertim morbo, ſpem omnem curationis tollunt; unde ſi huic morbo remedia quidquam proficere poſſunt, hoc tantùm incipiente morbo præſtare poſſunt, curationem ſumemus in deſcriptione trium hydropis ſpecierum.

NO-

NOTA.

UNica ratio evacuandi ſive puris ſive ſeri intra pectus collecti, videtur eſſe paracenteſis ſeu punctio thoracis; ſed ea differenter admodùm in duobus his affectibus ſuccedit. In priori, ſeu empyemate, ſi modo tempeſtivè, & ut par eſt operatio illa inſtituatur; plerique ægri evadunt; in hydrope verò pectoris, ut ut ſecundum leges artis ea fiat, omnes intereunt, & quidem intra paucos dies, ſuperſtitum ſaltem aut hoc remedio perfectè curatorum exempla per quam rara ſunt; imò longè rariora exemplis aſciticorum eadem ratione reſtitutorum, quanquam & hæc inter ſingularia artis numerentur.

De pure per urinas empycorum reddito nihil unquam vidi; aſſerere tamen poſſum plurimos, hydrope pectoris laborare viſos; apertis in cruribus ulcuſculis ſeu hydatidibus, longè faciliùs, imò ſine ullo negotio ſupinos jacentes reſpiraſſe, quod utique contingere non poteſt, niſi maxima portio ſeri intra cavitatem thoracis collecti à vaſis reſorpta fuerit. At hinc etiam nonniſi temporarium ut plurimùm levamen.

CAPUT XXI.

De Hæmoptyſi ſeu Sanguinis Sputo.

HÆmoptyſis ſeu ſanguinis ſputum, vel hæmoptoe in genere ſumpta & vi nominis, omnem ex quacunque parte proveniat, ſanguinis per os excretionem ſignificat: attamen Medici dum de hæmoptoe ſimpliciter agunt, non aliam intelligunt ſanguinis per os rejectionem quàm quæ à pulmone aut aſpera arteria procedit citra inflammationem, atque in hoc tantum ſenſu à nobis de affectibus pectoris agentibus conſideratur; ſanguis autem per os excretus nonniſi à vaſis ſanguineis ruptis, eroſis, aut apertis prodire poteſt, hoc eſt per vaſorum rixim, diabroſim, & anaſtomoſim.

Diapedeſis enim ſeu ſanguinis per tunicas tranſudatio quam ſtatuunt Antiqui, impoſſibilis eſt nec concipi poteſt, imò & anaſtomoſis ſeu extremitatum vaſorum à ſanguinis quantitate aut effervescentia, apertio, rariſſimè ſputi ſanguinei cauſa eſt, & in iis tantum locum habet qui à ſuppreſſione hæmorrhoidum aut menſtruorum talem affectum innoxiè patiuntur. Sola ergo venarum & arteriarum ruptio, aut eroſio hæmoptoes cauſa frequentiſſima eſt; qua facta, ſanguis in bronchia pulmonum exilit, atque inde per majorem aut minorem conatum, hoc eſt expectorationem cum aere fortius expirato rejicitur & ſputo immiſcetur, prout vas ruptum aut eroſum majus & minus eſt, aut bronchia in quæ ſanguis inſtillatur majora aut minora, hoc eſt magis aut minus à trunco aſperæ arteriæ recedentia rumpuntur, vaſa in pulmone aut trachea arteria à ſanguinis quantitate nimia, item & ejuſdem tumeſcentia vaſa nimium diſtendendo rumpuntur, item à vulnere, ictu, & à vociferatione nimia, ponderis geſtatione, aliiſque corporis conatibus aut vehementibus exercitiis, in quibus propter maximè concuſſos & agitatos pulmones aut veſiculas ejus nimium diſtentas ab aere retento, vaſis in pulmone ruptio ſupervenit; eroduntur verò eadem vaſa ſanguinem deferentia ab humoribus acribus & ſale nimium imprægnatis, non à capite ad pulmones per viam catarrhi delabentibus, ut Antiquis placitum eſt, nulla enim via eſt à capite ad pulmones ſicut nec ex aliis partibus, ſed ab arteriis in pulmonum, ſubſtantiam diſperſis ſuppeditatis, & modò in tracheam modò in veſiculas decumbentibus, & maxima qua pollent corrodendi & exedendi vi partes illas exedentibus, unde ſanguinis effuſio, ejus per ſputum evacuatio; eandemque eroſionem præſtare poteſt pus in pulmone accumulatum, ſed hic potius morbus phthiſis aut peripneumonia dicitur quàm hæmoptoe. Cauſas externas humorum acrimoniam

indu-

inducentes, aut ſanguinis turgeſcentiam & quantitatem facientes, referre opus non eſt, hæ enim facilè colligi poſſunt ex pravo ſex rerum nonnaturalium uſu, ſcilicet ex cibis acrioribus, ſalſis, calidis, vigiliis, diverſiſque aeris mutationibus & animi pathematis.

Ad diagnoſim hujus affectus ſtatuendam, quærenda non eſt pars mandans cum Antiquis, nulla enim alia eſt præter ipſum cor, an verò ſanguis ex pulmone, trachea, faucibus, aut ventriculo prodeat, dignoſcitur ex vario ſpuendi modo: dum enim à pulmone procedit, ſanguis nonniſi tuſſiendo, & per maximum conatum expectorando rejicitur, dum verò à tracheæ canali, expectorando quidem emittitur, ſed non per tantum conatum: Qui à ventriculo procedit ſanguis, non tuſſiendo aut fortiter expuendo rejicitur, ſed vomendo ſimpliciter, quod per maximam ſtomachi ſubverſionem & contractionem facilè innoteſcere poteſt, dum denique à faucibus, dentibus, palato, naribus, ſanguis perfluit, hoc dignoſcitur ex eo quod ſola expuitione vel tantum cum ſputo evacuetur, ne quid dicam de aliis ſignis vaſorum apertionem in his partibus indicantibus, hæmorrhagia ſcilicet procedentibus ex naribus &c. præterea in hæmoptyſi adſunt alia ſigna pulmones affectos aut tracheam deſignantia, quando nimirum ſanguis ſpumoſus & floridus propter aeris mixtionem, quando tuſſi ſtipatur, quæ à ſanguinis acrimonia partem bronchiorum externam vellicante deducitur; quando denique adeſt dolor fixus & perdurans in regione pectoris ob ſolutionem continui, item & raucedo à ſanguine acriori tracheam exaſperante orta, ſi humorum abundantia, conatus, exercitia, ictu, vulnus, aut efferveſcentia immodica hunc affectum per vaſorum ruptionem induxerint, ſine ullo labore dignoſci poterit, aut ex ægri relatu manifeſtabitur: ſi verò humorum acrimonia hæmoptoes cauſa ſit, notum fiet tum ex abſentia aliarum cauſarum, tum ex conſtitutione ægrotantis gracili & facie malè colorata, tum ex prægreſſis cauſis ſanguinis acrimoniam conciliantibus.

Quoad prognoſim, morbus hic periculoſus valdè, quando præſertim vas ruptum aut eroſum conſpicuum eſt & magnum, unde non ſine ratione Hippocrates, ſanguinem ſuperne efferri malum, quod de thorace intelligendum; addit etiam idem à ſanguinis ſputo, puris ſputum, à puris ſputo, tabes, & deinde mors, plerumque enim ſputum ſanguinis in phtiſim degenerat.

Curatur hæmoptoe phlebotomiis ſæpiùs celebratis, præſertim dum adeſt plethora aut ſanguinis turgeſcentia, primò ex brachiis, deinde ex malleolo curatur utendo cucurbitulis, frictionibus, ligaturas hodie non probant Medici, deinde præſcribendi julepi refrigerantes & adſtringentes ex aqua plantaginis, roſarum aut decocto adſtringente cum ſale prunellæ, ſyrupo de roſis ſiccis, addendo etiam corallos, margaritas, trochiſc. de bol. de terra ſigillat. ſang. dracon. vel ex iiſdem cum conſervis ſymphyt. roſar. cynorrhod. opiata adſtringens parari poteſt: ſuccus cydoniorum, millefol. portulacæ, plantaginis & urticæ in juſculo, ſeu julepo; miſceri etiam poſſunt Trochiſc. de Karabe, oleum etiam ejus chymicè extractum ad guttas ii. commendatur. Item & ſyrup. ex ſymphyt. Fernel. & tinctur. corallor. aqua contra hæmoptoem Quercetani, cujus deſcriptio habetur etiam apud Riverium. Eclegmata præſcribi debent ad hoc ut faciliùs expuant ægri & ſic morbus non exaſperetur, ex ſyrup. violac. mirthin. & papaver. alb. vel ex ſucco portulac. cum ſacchar. & amyl. ſine calce parato; Trochiſcos alkekengi cum opio in lacte exhibito laudat Platerus, Trallianus lapidem hæmatitem, Antonius Valerius pulverem adſtringentem ex ſpod. roſ. rubr. bol. ter. ſigill. aliiſque ſupradictis. Interim clyſteres præſertim pigræ alvo injiciendi emollientes primò deinde refrigerantes. Purgatio præſcribitur ex caſſia, manna, tamarind. rheo, myrobalan. ſyrup. de cichoreo in decocto adſtringente & refrigerante. Bal-

neum

neum in hoc affectu convenit, præſertim in humorum acrimonia, item emulſio, laudan. narcotic. lac, victus incraſſans, amygdalat. oryzat. decoct. extremitatum animalium, & pro potu ordinario decoct. radic. ſymphyt. & foliorum millefolii, cauterium brachio, aut tibiæ inuſtum præcavet ab hoc morbo.

NOTA.

IN hæmoptyſi ſpecifica eſt radix lappæ. Idem præſtat ſemen urticæ, quod illius viſciditati adſcripſerim; chamædrys verò à Cratone commendata, amariſſima cum ſit, hoc nomine nimium acris aut detergens videri poteſt. Quidam etiam laudant ſtercus muris à ℥. ss. ad ℥. j. cſm ſucco plantag. & ſaccharo. Utilia unt poma cotonea immatura in lamellas conſciſſa, & in aqua decocta, ita ut eorum ſuccus, & decoctum ſaccharo cando edulcorentur & frequenter exhibeantur ex cochleari. Idem pomum cotoneum excavatur, thuris pulveris ℥. j. impletur & cum ſ. q. ſacchari comeditur. Laudantur flores bellidis, & in primis papaveris rhœados cujus tinctura cum aqua bulliente, & pauciſſimo ſpir. vitriol. vel ſulphur. extracta & ſaccharo edulcorata, pro potu datur. Utiliſſimè etiam propinatur decoctum hordei paſſulatum. Magni & uſus vulneraria agri Genevenſis pyrola, ſanicula, alkimilla, angelica, & veronica montana, pes cati, hepatica ſtellata, vinca pervinca &c.

Neque inutilia erunt ſaccharum ſaturni julepis, aut opiatis parva doſi admixtum, terra catechu, ſanguis draconis verus, mumia, gummi arabicum, maſtiche, thus, myrrha, nitrum depuratum &c. Purgantia leniora, ſi ſerum abundantius ſanguinem fluxiliorem faciat, ſæpius repeti debent.

CAPUT XXII.

De Phthiſi.

QUamquam phthiſis marcorem tantùm, & corporis conſumptionem ſignificet, κατ' ἐξοχὴν tamen pro ea macie apud Medicos & atrophia uſurpatur, quæ ulcus, aut ſcirrhoſam pulmonum conſtitutionem conſequitur, addo ſcirrhoſam pulmonum conſtitutionem, propterea quod phthiſis non ſolum ab ulcere pulmonum dependet, ſed plerumque etiam, ut ex diſſectione phthiſicorum patet, à ſcirrhis & lapillis generatis in pulmone, quibus ſenſim exareſcit pulmo, & minuitur. Ad iſtum affectum accedit quidam alter quem Auctores tabem dorſalem appellant; in quo ſimiliter totum corpus emaciatur, ſed quia ab ulcere, aut ſcirrhoſa pulmonum conſtitutione non dependet, ſed potius ab immodica, & ſæpius iterata ſeminis effuſione, aut ſpinæ medullaris infarctu, & obſtructione, hìc cum phthiſi eum confundere nolumus, utpote diverſam requirentem curationem, ejus natura, & cauſæ diverſæ videri poſſunt apud Riverium eaque de phthiſi, ſicut & aliæ tabis ſpecies quas proponit, quæ ad affectum de quo agimus minimè ſpectant.

Ulcus itaque quod phthiſim conſtituit non aliam cauſam agnoſcit, quam eas quas in hæmoptyſi vaſa rumpere, aut corrodere apta eſſe diximus, quaſque hìc repetere inutile foret. Ulcus enim nonniſi his duobus modis in quacumque corporis parte excitari poteſt, atque hinc eſt quod hæmoptoe in phtiſim ut plurimum degeneret, atque etiam peripneumoniam; in quibus extravaſatus ſanguis & non evacuatus, ſuppuratur tandem & ulcus in pulmone generat.

Vomica etiam pulmonis, quæ nihil aliud eſt, quam prius collectio in veſicula quadam pulmonis dum rumpitur, in ulcus & phthiſim definit, talis vomica plerumque citra damnum per longum tempus manet in pulmonibus, plerum-

que

que rupto abſceſſu ſuffocatur æger aut ſaltem ulcus inducitur.

Cauſæ externæ ad hujuſmodi ulcus diſponentes ſunt, primò contagium ſeu miaſmata ex ulcere manantia & per reſpirationem unà cum aere expirato rejecta, quæ ſi ab altero cum phthiſico quodam decumbente aut colloquente per inſpirationem excipiantur, ſimilem in illo morbum generant, quia corroſiva ſunt & contagioſa præſertim conſanguineis, fratribus, ſororibus, propter non valdè diverſam humorum & pulmonis conſtitutionem. Aeris quoque certa conſtitutio calidior puta aut craſſior, aut inæqualis, hoc eſt modò frigida, modò calida ad phthiſim ex ulcere diſponere poteſt; idque propterea quod ſanguis, defectu particularum nitro-aerearum vel non attenuatur, vel animatur; unde vitiatus in ſua craſi hæret in pulmonibus aut acrior fit, ſicque ulcus inducit; omnes denique ſex res nonnaturales acrimoniam ſanguini conciliantes, aut ejus in pulmonibus extravaſationem, promoventes, inter cauſas phthiſeos recenſeri debent; Quæ omnes caueſæ melius effectum ſuum exerunt in diſpoſitis, hoc eſt iis in quibus adeſt hæreditaria ad hunc morbum propenſio, aut qui habent pectus anguſtum, ſcapulas latas & prominentes, collum oblongum, & totum corpus gracile.

Altera phthiſeos ſpecies quàm à ſcirrhoſa pulmonum conſtitutione pendere diximus, humores acres pro cauſa interna non agnoſcit, ſed humores craſſos, viſcidos & glutinoſos, ſanguinem lympha viſcida onuſtum, qui tumores duros & ſcirrhoſos in pulmone excitare aptus eſt. Pro externis vero cauſis agnoſcit ea omnia quæ ſanguini viſciditatem & craſſitiem conciliare poſſunt, quas in præcedentibus morbis retulimus.

Signa phthiſeos ſunt tuſſi, ſputum ſalſum, acre, imò cruentum & ſucceſſu temporis purulentum, pallor faciei cum rubore genarum, febris lenta noctu exacerbari ſolita & dolor in thorace, corporis extenuatiò, halitus fœtor, ſudores nocturni; quibus omnibus ſignis addenda ſunt ætas juvenilis magis ad phthiſim propenſa quàm puerilis aut ſenilis, mala pectoris conformatio, hæreditaria diſpoſitio: hæc autem ſymptomata, ſi magis intenſa ſint, atque aliis gravioribus ſtipentur, confirmatæ phthiſeos ſigna erunt, ſi adſit alvi fluxus, difficilis reſpiratio, facies hippocratica &c. certior autem diagnoſis erit ſi hæmoptoe præceſſerit, aut peripneumonia in longum protenſa; in altera phthiſeos ſpecie, quæ à pulmonibus lapillis refertis & exareſcentibus, duxit proſapiam, non omnia ſupra allata nec eadem ſigna adſunt, adeſt quidem gravitas in pulmone, ſed non dolor, tuſſis, ſed non ſputum cruentum aut purulentum, corporis extenuatio, difficilis reſpiratio, febris lenta faciei pallor cum genis rubris, ſed non halitus fœtor, imò talis affectus non eſt ita contagioſus.

Prognoſis phthiſeos duabus lineis comprehendi poteſt, ſi namque incipiens ſit, periculoſa & non facile curabilis; ſi confirmata, & à diſpoſitione hæreditaria pendeat incurabilis & lathalis exiſtit.

Curatio phthiſeos dum ab ulcere dependet, lenientibus, detergentibus & conſolidantibus perficitur, qualia ſunt potiones ex herbis vulnerariis, terebinthina aſſumpta, flores ſulphuris & ejus magiſter. balſam. ſulphur. therebinthinatus, aut peruvianus, ſuccus heder. terreſtr. ſacchar. dulcorat. hydroſacch. hydromel. decoct. hord. liquirit. & paſſular. flor. hyperic. ſyrup. de ſymphyr. conſerv. roſar. ſacchar. roſatum, decoctum ſudorific. ex antimon. ligno ſancto, china, ſalſaparill. ad plures dies decoct. ſantal. antimon. diaphoret. ſuffumig. ex thure, maſtiche? Balneum, lac præſertim aſininum ad plures dies, emulſion. narcotic. & laudanum opiaticum, decoctum extremitatum animalium, amygdalata, orizata, avenata, juſcula reſtaurantia ad corpus macie confectum reſtaurandum: optimæ carnes, cibi eupepti, vitando ſemper piperata & ſalſa, aeris mutatio; uno verbo ea omnia, quæ in acrimonia humorum aut ulceribus internis

internis in præcedentibus præſcripſimus, atque etiam in curatione hæmoptoes, quæ omnia ſuo ordine præſcribi debent pro Medici judicio, intermiſcendo purgantia, lenientia, identidem propinata ex manna, caſſia, rheo, tamarind. ſyrup. de cichor. cum rheo, vitatis fortioribus imò & ſenna, quæ pectori infenſa dicitur; clyſteres identidem injiciendi refrigerantes & purgantes ad primarum viarum ſaburram eluendam, quod venæ ſectionem ſpectat ejus nulla videtur indicatio.

NOTA.

SI ab uſu lactis, & potiſſimum aſinini, melius non habeant phthiſici, fruſtra ſunt ut plurimum alia remedia. Alias commendatur aqua lactis diſtillata. Non minima laus & pulveri Hali ſeu Anonymo Auguſtan. cui addi poſſunt corallia, margaritæ, oculi cancri, & potiſſimum pulvis antihecticus Poterii, ex regulo antimonii martialis & ſtanno paratus. Vidimus & aliquando proſperum ſucceſſum, ab uſu vulnerariarum herbarum agri Genevenſis, de quibus in nota ad Caput præcedens de Hæmoptoe. Herbæ illæ minutim inciſæ in aqua bulliente infundi debent, & colatura ſaccharo dulcorata calida propinari ad duos vel tres cyathos bis de die, & quidem per plures menſes.

Viperarum juſculum hìc etiam apprimè convenit; iſtorum quippe animalium carnes viſcidæ, & ſpiritibus non facile avolantibus; ideò fœtæ, juſcula multùm nutrientia præſtant & quorum partes ſalium acriorum aciem ſenſim obtundunt.

Nimis frequentes, aut immodicas evacuationes difficilè ferunt Phthiſici. Sanguinis quidem eductio ad uncias quatuor aut quinque ad ſummum non nocet aliquoties in anno repetita, imò prodeſt; ſed purgantia rariùs exhibenda, ne ſucci irritentur, & diarrhœa, phthiſicis ut plurimùm funeſta, excitetur. Si purgandi incumbat neceſſitas in exhibitione caſſiæ & mannæ ferè ſubſiſtendum.

River. Riform.

Corticis Peruviani uſum in hoc affectu valde celebrat nuperus & doctiſſimus de Phthiſi Scriptor Morton Anglus, qui omnino ſuper morbi iſtius natura & remediis conſulendus.

CAPUT XXIII.

De Pleuritide, & Peripneumonia.

LIcèt Pleuritis & Peripneumonia diverſi omnino affectus ab Antiquis putati ſint & diverſam ſedem habentes, pulmonem nempe & pleuram, ita ut alter morbus ſine alio exiſtere poſſit, nos tamen inducti rationibus imò & gravium Medicorum autopſia & auctoritate fulti, geminum hunc affectum pro uno ferè eodemque habemus. Exiſtimamus pleuritidem ſi eo nomine uti liceat, rariſſimè ac vix unquam in membrana coſtas ſuccingente excitari, ſed ſolùm in ſuperficientia & exteriori pulmonis ſubſtantia, peripneumoniam verò fieri credimus dum inflammatio vel intimam pulmonum ſubſtantiam occupat, vel in ſuperficie interna pulmonis loborum generatur.

Nec parum validæ ſunt rationes quæ ad deſerendam Veterum opinionem hac in re nos adegerunt, quamquam etiam citra miraculum fieri poſſe credamus, ut pleura à ſanguine præfervido & præcalido, in ipſam copioſiùs irruente, inflammetur, membrana tamen illa adeò denſa eſt & exſanguis ex natura ſua, ut innumeras quæ ſingulis annis & præſertim hyeme ſupervenire ſolent pleuritides, inde pendere vix credi poſſet, imò veriſimilius eſſe pulmones, utpote laxos magiſque ſanguine irriguos primariò ſemper affici, rariſſimè verò pleuram; iſta autem hypotheſis eò magis congrua videbitur, quò faciliùs ſic & iputum cruentum quod pleuritidem ſicut & peripneumoniam ferè ſemper conſequitur, & tuſſis utriuſque affectus ſymptoma poſſunt explicari. Quamvis enim Antiqui in primo ſymptomate nempe ſputo ſanguinis explicando adhærentes, id fieri poſſe credide-

rint per transudationem sanguinis à pleura in pulmones & inde in bronchia factam ; illa tamen ratio adeò fragilis est & Anatomiæ contraria , ut ferè ex se concidat , neque etiam sanguinem , qui consistentia paulo crassiori donatus est per densas membranas , ut est pleura , & ea quæ pulmones investit , penetrare posse credibile est , cùm in hydrope pectoris aquæ & serositates quæ multò tenuiores sunt thoracis cavitatem ferè implentes , nunquam per anacatharsim evacuentur , tussis verò quomodo ab inflaminata pleura provenire possit , nequaquam video , quamvis enim humores inflammationem producentes acres sint ac vellicantes , solùm dolores & lateris punctionem producere possent , non verò tussim quæ ab irritatis bronchiorum fibris tantum procedere Anatome compertum facit .

Quòd si interdum in defunctorum cadaveribus plura inflammata , imò & lacerata inveniantur , id alia de causa non accidit , nisi quia pulmo jam in exterioribus inflammatus propterea quod in singulis inspirationibus ad pleuram appellit , calorem eidem ac inflammationem communicat , imò & aliquando propter serositates viscidas ab exteriori pulmonum membrana circulationis defectu exudantes , quoddam veluti gluten efficitur quo pleuræ pulmones intimè conjunguntur , quod accidit in pleuritide , peripneumonia , phthisi & aliis affectibus pulmonum , in quibus cùm sanguis viscidus & tenax liberum commeatum non habet in pulmonibus , quod tenuissimum est , exuadre necesse est , quod deinde vel per moram vel à calore crassescens pulmonem cum pleura conjungat . Quamvis ista adhæsio , interdum naturalis sit ut quibusdam placuit , nec semper ex morbo prosapiam ducat , quod ad me spectat existimaverim ipse , salvo hac de re meliori judicio , hujusmodi adhæsionem cujusdam morbi & malæ constitutionis sobolem esse , nec unquam à natura oriri , præterquam enim quod illam firmam conjunctionem à natura intendi verosimile non est , quæ peculiarem , & distinctam & costis & pulmoni membranam concessit , ea si naturalis esset multò frequentiùs occurreret , quod tamen non accidit , videmus enim exposita cultro Anatomicorum innumerorum & variorum animalium cadavera , hujusmodi pulmonum cum pleura adhæsione carere , maximo argumento dicendi hominem cujus partes vitales , animalium partibus omninò similes sunt , illam membranarum conjunctionem à natura nequaquam sortitum fuisse . Quòd si apertis hominum quorumdam aut animalium cadaveribus aliquando se se prodat hujusmodi adhæsio , id certè vel ea morbo quo defuncta sunt procedere putem , vel si morte violenta & subita occumbant & illa adhæsio reperiatur , suspicari fas sit , illam tunc ab aliquo prægresso morbo ortum ducere , unde non mirum si in iis omnibus qui aliquo , quicumque ille sit , thoracis & pulmonis affectu moriuntur , putà phthisi , peripneumonia , pleuritide , empyemate , asthmate , & aliis , pulmones habeant cum pleura connexos , propter scilicet rationes suprà allatas , quod in aliis aliarum partium affectibus saltem quibus pulmo non compatitur rariùs contingere videmus . Ex dictis jam colligitur , quid sit pleuritis & peripneumonia , illa siquidem nihil aliud est , quàm superficiariæ pulmonis substantiæ , vel ejus membranæ exterioris inflammatio , hæc verò intimæ pulmonum substantiæ vel internæ loborum superficiei ejus . Hujus inflammationis sicut & aliarum plurium , ut plurimum , causa conjuncta nihil aliud est quàm sanguis lentus & viscidus , hoc est , lympha majori quàm par est quantitate onustus , lympha enim quæ ad ignem , imò etiam & aeri frigido exposita coagulatur , & lentescit , sanguini lentorem & visciditatem accersere maximè apta est , quo fit ut sanguis cùm vasa capillaria pneumonica propter lentorem suum transmeare non possit , in iisdem moretur , & stagnet : unde putre-

fa-

factionem & fermentationem præternaturalem ſequi neceſſe eſt, ex eo quòd principia, quæ à circulari ſanguinis motu confuſa ſimul ſervabantur, nunc propter ejuſdem quietem & moram exaltantur atque extricantur, unde avolantibus ſpiritibus & ſulphure tenuiori, ſulphura craſſa diſſolvi neceſſe eſt, ac proinde pus quod colore album eſt generari, unde poſt inflammationem plerumque ſuppuratio conſequitur. Non parum validum hujus veritatis argumentum deſumitur ex ſanguine pleuriticorum & peripneumonicorum, vena ſecta, extracto; is ſiquidem adeò tenax, viſcidus & lymphaticus eſt, ut præter intenſam ſatis, quam præ ſe fert albedinem vaſculis quoque glutinis inſtar adhæreſcat, nec ullam ſeri guttulam elabi ſinat, quod indicat utrumque affectum magis à lentore & viſciditate maſſæ ſanguinis procedere quàm ex ulla alia ejuſdem ſanguinis diatheſi.

Illa autem veritas pleniùs adhuc eluceſcet, ſi conſideremus & cauſas externas quæ hos affectus invehere ſolent, & ſymptomata quæ ipſos pathognomonicè deſignant, illa enim omnia ſanguinis potiùs craſſitiem & viſciditatem quàm ejus diſſolutionem aut aliam pravam diatheſim arguunt. Ac primò quidem inter cauſas magis communes, aeris frigiditas, & tempus hybernum, potus glacie refrigeratus, pleuritidem & peripneumoniam accreſcere ſolent, unde in Regionibus frigidis illi affectus frequentiùs quàm alibi ſæviunt; id autem propterea fit quòd hæ omnes cauſæ refrigerantes eodem ferè modo agunt, ſanguinem & lympham ob partes frigorificas quibus ſcatent, coagulant, & illum ad circulationem per vaſa pneumonica peragendam ineptum efficiunt; unde ibidem morari, ac inflammationem parere neceſſe eſt, ſi enim à ſanguine inordinatè efferveſcente, & minùs lento & viſcido, & maximè excalefacto procederent iſti affectus, in cauſone exorirentur & per æſtatem ubi ſanguis deflagrat, & citiùs per pulmones & totam corporis peripheriam circulatur, attamen & in cauſone ſanguis optimè vaſa pulmonum capillaria tranſmeat, & æſtate rariſſimè videntur pleuritides & peripneumoniæ. At verò ubi glaciale hyemis frigus advenit & Boreas flare incipit; tunc aer particulis frigorificis nitroſiſque plus æquo onuſtus & ad pulmonum bronchia appellens, frigiditate ſua ſanguinem in quem immediatè & veluti contactu agit, coagulat, retardat, inſpiſſat, unde ipſe poſtea in vaſis pulmonum ſtagnare cogitur, ibique phlogoſim generare; exercitia etiam immodica, ſi deinde corpus aeri frigido exponatur, geminum dictum morbum producere valent, quatenus ſcilicet tunc ſanguis excalefactus copioſiùs in pulmones delatus. ſcil. ob factas muſculorum tempore exercitii contractiones ac proinde vaſorum artus proreptantium compreſſiones, & in vaſis pulmonis veluti ebulliens, ab aere frigido inſpirato ſubitò refrigeratur, ac proinde citiùs & efficaciùs concreſcit, ut patet exemplo liquoris illius ex ſucco limonum aqua & ſaccharo confecti, vulgò *limonade*, qui ſi calidè in vas nitro & glacie circumductum infundatur, ſubitò glaciatur, quem effectum ſi examinare libuerit phyſicè, exiſtimare licèt dilatatis per rarefactionem & ebullitionem liquorum poris, particulas nitroſas & frigorificas faciliùs & copioſiùs ingredi ac proinde eorum motum faciliùs & citius compeſcere & in maxima quiete conſtituere, in qua frigus conſiſtit. Vel etiam dici poteſt quòd cùm res motus ſui tantum deperdant quantum aliis communicant, liquor jam præfatus, imò & ſanguis in maximo motu aut calore conſtituti corporibus occurrentes nullo ferè motu donatis, qualia ſunt aer ſummè frigidus & glacies motum ſuum deperdant, cùm eundem maxima ex parte dictis corporibus communicent, utpote difficilè mobilibus.

Pleuritidem dividebant Antiqui in notham & legitimam, quam diviſionem cenſeo retinendam ex eo quod fieri interdum poſſit, ut idem ſanguis qui in ſub-

ſtantia pulmonis interiori aut exteriori inflammationem parit, idem & in muſculis meſopleuriticis inter coſtalibus, tam internis quàm externis, à frigore exteriùs ſuſcepto, vel ab alia cauſa ſiſtatur ibique phlogoſim excitet, & tum notha pleuritis generabitur cujus ſpeciem refert Vvilliſius, quæ nec febrem nec phlegmonem conjunctum habet, ſed à ſtatu, aut ſero acri in latere aggeſto ibique membranas aut nervos vellicante producitur.

Pleuritis & peripneumonia interdum epidemicæ eſſe ſolent & in omnes communiter graſſari, illud autem totum dependet à peculiari aeris conſtitutione, & corpuſculis quibuſdam in aere volitantibus, quorum & figuram etſi nemo determinare facilè poſſit, illa tamen, ut à poſteriori notum habemus, ad ſanguinem in pulmonibus figendum & ex fluido viſcidum efficiendum, maximæ ſunt energiæ, putà quod illa ſint nitroſa corpuſcula, quæ cùm ſint interdum frigidiora & in gradu intenſo frigorificæ eorum actioni etiam bene conſtitutorum hominum ſanguis reſiſtere nequit, unde non mirum ſi omnis indifferenter invadat.

Ut pleuritis & peripneumonia eandem partem nempe pulmones infeſtare ſolent, iiſdem ferè ſignis ſtipantur ac ſymptomatibus & primò quidem difficultas ſpirandi, utriuſque affectus comes eſt, propterea quod pulmo jam ſanguine viſcido infarctus, nec facilè per vaſa pneumonica circulante, aerem in ſuis veſiculis ſufficientem facile recipere non poteſt.

Notandum tamen quòd reſpiratio in pleuritide ſit magis dolorifica quam in Peripneumonia propter ſcilicet appulſum pulmonis in pleuram, unde fit, ut tumor, & inflammatio exteriorem pulmonis ſuperficiem occupans comprimatur & exaſperetur, quæ in peripneumonia quæ internam pulmonis ſubſtantiam occupat, locum habere non poſſunt, in hac autem reſpiratio difficilior eſt propter majorem & internam inflammationem.

Adeſt etiam in utroque affectu difficilis, & laborioſa ſpiratio præſertim initio morbi, quòd quàm luculentum ſit viſcidi ſanguinis & lymphæ indicium vobis judicandum relinquo. Sputum etiam laboriosè ejectum cruore tingitur propter ſolutionem continui & ſanguinis extravaſationem, quo fit ut cùm ſputum noniſi cum aliquo conatu expectoretur, ſanguis in pulmonum peripheria diſſeminatus exiliat, ſenſimque cum ſputo, aere expirato juvante aſcendat & idem excernatur. Quod ſi inflammatio jam facta ſuppuretur, tunc ſputa flava & purulenta ſuperveniunt; dolor pleuritidi & peripneumoniæ communis eſt propter ſolutionem continui & tenſionem, cum hac differentia tamen quòd in illa ſit punctorius, & in latere perſentiatur, quia ſcilicet membrana pulmonem inveſtiens afficitur, quæ exquiſitioris ſenſus eſt & magis ad latus vergit, qui dolor modo in jugulum, modo inferiùs exporrigitur ſecundum quod inflammatio ad inferiora vel ſuperiora prorogatur. In peripneumonia vero dolor gravans & profundus propter ſedem morbi interiorem & minùs exquiſitum ſubſtantiæ pulmonum veſicularis ſenſum & id propter earum laxitatem.

Tuſſis etiam utrunque affectum tanquam ſignum pathognomonicum conſequitur, quod maximè indicat pulmones in utroque morbo affectos eſſe, non verò pleuram, ſiquidem tuſſis illa non alio modo excitari poteſt, niſi quia ſeroſi humores propter impeditum in pulmonibus liberum ſanguinis circuitum in tracheam ejuſque propagines inſtillantur, qui quia ſalibus qui in ſolis aquis ſolvuntur ſunt onuſti, fibras earumdem partium irritant & vellicant, unde tuſſis exoritur.

Dicebant Antiqui pulſum in pleuritide durum eſſe & ſerratum ob membranæ affectæ duritiem & tenſionem, in peripneumonia mollem, & undoſum, ſed illæ pulſuum differentiæ ſerrati nempe, undoſi, ſicut & aliæ plures vermicularis, & myuri, meræ ſunt nugæ, neque etiam ſi darentur, à ſagaciſſimis deprehen-

hendi potuerint; unde Joannes Baptiſta Montanus meritò dixerit eos impoſtores eſſe qui plures quàm ſex pulſus differentias agnoverunt, ſunt enim tantùm ſex. Magnus eſt & parvus, velox & tardus, frequens & rarus, æqualis & inæqualis, vehemens & debilis, plenus & vacuus. Dicimus itaque pulſum de pleuritide & peripneumonia eundem eſſe, niſi quòd in pleuritide paulo magis æqualis & propter faciliorem in ea ſanguinis circulationem quàm in peripneumonia, in qua propter oppletam interiorem pulmonis ſubſtantiam ſanguinis non æquali pulſu cor perreptat, neque tam citò circulatur, unde pulſum magis tardum, interdum inæqualem, imò intermittentem ſubſequi neceſſe eſt.

Genarum rubor in utroque affectu apparet qui non eſt ita intenſus in pleuritide ac peripneumonia; ille autem provenit ex eo quod ſanguis è cerebro per venas deſcendens, cùm ex dextro cordis ventriculo in ſiniſtrum facilè tranſire non poſſit propter præpeditam illam regiam viam qua tranſire ſolet, in partibus ſuperioribus & facie aliquo modo reſtagnat & regurgitat, & potiſſimùm in genis ubi vaſa & pori ſunt majores, ruborem inducit, tum etiam propter partium laxitatem.

Febris ex jam adſtructa hypoteſi, craſſitie nempe & viſciditate ſanguinis non facilè deduci poſſe videtur, ex eo quòd ſi ſit craſſus & lentus, ſanguis minùs fermentationi naturali aptus eſſe videtur; ſi tamen ſeriò rem perpendamus videbimus liquores quoſvis glutinoſos viſcidos, ut ſunt oleum, pix, reſina, & alia hujuſmodi à fermentatione immunes non eſſe, quamvis fortius & validius fermentum requirant, eo prorsùs modo ſe habet ſanguis in his affectibus qui fermentum, partes nempe heterogeneas à pravo ſex rerum nonnaturalium uſu, aggeſtas, in ſe continet, quæ partes heterogeneæ licèt ſanguinem utpote viſcidum & lentum exagitare ſufficienter non poſſunt, ut pulſum celerem & frequentem inducant, illum tamen ſufficienter commovent, ut pulſum præternaturalem, magnum ſcilicet & vehementem & interdum inæqualem, accerſant. Cui operi non parum, imo totum confert vehemens cordis ſyſtole quæ à ſanguine paulò diutiùs in ventriculis propter viſciditatem moramve ortum ducit, nam per moram ſanguinis in corde ab ipſo & copioſior fibris muſculoſis cordis ſuppeditatur copula elaſtica, unde fermentatio major cum ſpiritibus ac proinde vehemens pulſus, & quia illæ particulæ elaſticæ, ſanguinis unde manant lenti & viſcidi naturam redolent, non facilè diſſipatur virtus elaſtica, hinc fermentatio aut exploſio quam cum ſpiritibus ineunt diuturnior eſt, quo fit ut etiam cor diutiùs paulo contractum maneat; & ſic tarditas pulſus quæ pleuritidi & peripneumoniæ convenit prædicto modo inducitur.

Febris verò illa quæ cum pleuritide & peripneumonia conjuncta eſt aliquando ſymptomatica putatur, hoc eſt inflammationem & fluxionem in pectus conſequi, quatenus ſcilicet corpuſcula quædam & miaſmata ex ſanguine extravaſato & fermenteſcente ſanguini in pulmonibus continuò circulanti communicantur, quæ deinde ſanguinis maſſam in fermentationem præternaturalem cient propter heterogeneitatem. Aliquando verò eſſe eſſentialis creditur, & fluxionem atque inflammationem præcedere, quatenus ſanguis jam à cauſis procatarcticis his & extrinſecus advenientibus, vel etiam à partibus heterogeneis in maſſa hoſpitantibus & latentibus in febrilem orgaſmum excitatur & in laxam compagem pulmonum copioſiùs ruit, ibique tandem concurrentibus aliis cauſis aeris nempe frigiditate, ſanguinis viſciditate, phlogoſim parit.

Sed quomodocumque ſe res habeat puto ipſe quòd febris in iſtis affectibus ut plurimùm ſit ſymptomatica & inflammationem ſubſequens, quamvis aliquando ſed rariùs eſſentialem eſſe nemo negare poſſit, cùm enim frequentiores horum morborum cauſæ ſint refrigerantes & ſanguinem in pulmonibus veluti figentes, neceſſe eſt ſanguinem priùs in pulmo-

nibus ſiſti atque extravaſari quàm febrem excitari quæ inde pendet : & hoc cum experientia maximè convenit , ſiquidem maxima pleuriticorum & peripneumonicorum pars de difficultate reſpirandi & dolore lateris conqueruntur antequam ulla notabilis in pulſu alteratio percipiatur ; eſſentialis verò febris quæ à cauſis procatarcticis ut à partibus heterogeneis ſanguini admixtis ortum ducit, pleuritidem ex ſe & peripneumoniam inferre non valeret , niſi aliæ ; ut ſupra dictum, cauſæ concurrerent, pulmonum ſcilicet laxitas & ſanguinis lentor ab aere frigido inſpirato , alioquin in cauſa & pluribus aliis febribus peripneumonia & pleuritis inducerentur, quod tamen non contingit,

Nothæ pleuritidis ſigna ſunt quòd nullum ſit ſputum cruentum , nulla tuſſis, minor febris, imò nulla ; ſi ab humore acri in latere exteriùs tactu, imò viſu deprehenditur , quæ omnia ex ſupradictis innoteſcunt.

Decubitus ratio etſi apud Veteres maximi fuerit momenti , utpote quæ affectum latus indicabat & ſanguinem è brachio lateris affecti extrahendum, hodie tantæ utilitatis non videtur , cùm ſanguis indifferenter vel ex latere affecto vel non affecto mitti ſoleat , imò alio modo ex decubitus ratione judicandum quàm Antiqui judicabant ; putabant enim latus in quod ægri facilè decumbebant affectum ſemper eſſe , illud verò ſupra quod jacebant & cum moleſtia , vitio carere & morbo, ſed quàm à vero aberraverint patet , tum ex eo quod ratio qua nitebantur , nempe quod pleura afficeretur, nulla ſit , ut patet ex iis quæ ſuperiùs dicta ſunt , & etiamſi inflammatio hanc partem occuparet , nonne verum eſt ægro in latus affectum decumbente dolores potiùs exaſperari quàm mitigari propter pondus pulmonum in membranam affectam incumbens & tenſionem partis majorem efficiens ; quod contraria ratione in latus ſanum jacente ægro contingeret. Dicendum igitur quod cùm pleuritis ſedem ſuam habeat in externa pulmonis ſubſtantia ejuſque membrana , tantum abeſt ut æger in latus affectum decumbens dolorem non præſentiat , ut potiùs graviùs torqueatur ; ſic enim cùm tumor inflammatorius hinc proprio pulmonum pondere comprimatur , & propter coſtarum quibus adjacet duritiem , dolor admodum intenditur , non vero ægro in partem ſanam cubante , quia tunc ex nulla parte pulmones comprimuntur , uno verbo ſi utile videatur cognoſcere quod latus affectum ſit in pleuritide præter rationem decubitus, hoc etiam manifeſtat maximè dolor in latere vel dextro vel ſiniſtro ſe prodens.

Prognoſis pleuritidis & peripneumoniæ nonniſi periculoſa debet inſtitui , cùm enim ex his morbis plures intereant , plures etiam convaleſcant, ea neque lethalis neque periculi expers dici debet , ſed ſemper incerti exitus ; bonus corporis habitus, vires , juventus , robuſtum temperamentum aliqualem ſalutis ſpem portendunt, eorum verò abſentia interitum certum ominantur.

Curationem horum affectuum quidam ſolis ferè frequentibus phlebotomiis moliuntur , quibus addunt refrigerantia & acida , alii verò phlebotomiam cane pejus & angue vitandam autumant , inter quos Sylvius qui ipſe peripneumonia laborans maluit in ſanguine animam ſuam, ut ita dicam ſubmergi, quàm ſanguinis ſibi minimam copiam extrai : ſed non ſolùm vetat celebrari phlebotomiam, utpote quæ ſanguinem lentum & viſcidum nequaquam corrigit , inſuper loco acidorum & refrigerantium potentiſſima uſurpat diaphoretica ; ſed quandoquidem medium tenuere beati , nos ratione & experientia duce , neque priorum neque iſtius Neoterici ſequemur methodum , amicus enim Ariſtoteles, amicus Plato, ſed magis amica veritas , verùm quod optimum eſt ex utraque parte ſeligemus.

Quod venæ ſectionem ſpectat ea mihi in iſtis affectibus nequaquam omittenda videtur , imò larga manu & frequenter ratione febris celebranda , ſic etenim nec tam facilè extravaſatur ſanguis , & ipſe lentus & viſcidus factus propter majus ſpatium circulatur liberiùs : præterea

phle-

phlebotomia purgationi viam ſternit & diaphoreticis, quæ quia ſanguinem maximè exagitant, aliaquam ob plenitudinem vaſorum ruptionem efficere poſſunt; taceo quòd revellat & refrigeret ſanguinem qui in iis affectibus maximè eſt excalefactus utpote ex febre quæ ſemper urget.

Celebratis phlebotomiis 2. 3. 4. 5. 6. & amplius, ſine abuſu tamen, modò ex brachio, modò ex pede, modò etiam bis ter in die, ſi fluxio pertinax videbitur præſcribenda ſunt enemata purgantia, quæ aliquo modo ſanguinem exagitent & materias heterogeneas per primas vias evacuent, & ſingulis aut alternis diebus injicienda hoc modo; ℞. malvæ, mercurial. beton. parietar, ana m. j. ſemin. 4. frigidor. major ℥ j. hord. & flor. camom. & melilot. ana p. j. coquantur ad lib. j. in colatura diſſolve catholici pro ore ℥. j. hieræ picræ ℥. ss. mell. violac. ℥ j. fiat clyſter injiciendus tepidè.

Purgatio celebrari debet ſtatim atque occaſio ſe ſe offert, & ſatius eam celebrare initio, ubi vires vigent quàm in fine morbi, cum hac tamen cautione ut ſufficientes venæ ſectiones præmiſſæ fuerint, variæ autem ſunt purgationis formulæ, quidam vigentibus ad huc viribus potionem vulgarem cum ſenn. mundat. manna, jalap. ſyrup. roſar. ſolut. in decocto refrigerante præſcribunt, ego vero præſcriberem ſennæ ℥ ss. in juſculo cum mannæ ℥ j. adhibitis aliquot granis ſalis armoniaci depurati, ſic enim & ſanguinis viſciditas corrigeretur, & quod in ſanguine heterogeneum eſt eliminaretur. Laudanum etſi Vvilliſio ſuſpectum videatur in morbis pectoris, in pleuritide & peripneumonia maximæ eſt utilitatis, propterea quod vigilias aut deliria, aut dolores ſi ſæviant compeſcit & aliquo modo ſudorem promovet, qui in iſto affectu ægrum ſemper juvat, quamobrem laudanum exhiberi debet vel in julepis ex aqua cardui benedicti aut ſcabioſæ cum ſyrup. capill. vener. vel in emulſion.

Sunt qui, dum renovatur fluxio, poſt vaſa depleta emeticum propinant; acida & refrigerantia in iis affectibus magis nocent quàm proſunt. Diaphoretica vero, & ſudorifica maximè conferunt, non tamen hìc probare vellem diaphoretica illa craſſa quæ ſanguinem commovent vehementiùs, qualia ſunt guajac. ſalſ. parill. chin. antimonium crudum, metus enim eſſet ne febris admodum intenderetur & vas aliquod in pulmonibus rumperetur, ſed illa ſolùm quæ partibus tenuibus & penetrantibus donata ſunt, quæ etſi ſanguinem attenuant, illum tamen non valdè commovent, qualia ſunt ſpiritus & ſales volatiles, verbi gratia, florum benjoini, ſalis armoniaci, tartar. cornu cervi, urinæ ſpiritus, ſanguinis, fuligin. cardui benedicti, aqua theriacalis & alia innumera quorum formulæ & doſis poſſunt videri apud auctores, quæ quam ſint proficua pleuriticis colligitur, non ſolùm ex doctrina Neotericorum qui illa refrigerantibus præferunt, ſed etiam ex ipſis Antiquis quia talia remedia his morbis tanquam ſpecifica præſcribebant, ut apud Riverium videre eſt; illa autem ſudorifica ſingulis vel alternis diebus propinari poſſunt, in juſculis, julepis, emulſionibus, modò ſcilicet vaſa depleta ſufficienter fuerint; unum addo quòd aqua papaveris rhæados ejuſque flores in juſculis maximæ ſunt efficaciæ, cætera remedia quæ ab Antiquis præſcribebantur, ut ſunt inunctiones laterales, cucurbitulæ, fotus, cataplaſmata, meræ ſunt nugæ, illaque mulierculas & circulatores reſpiciunt. Unum oblitus ſum nempe quòd initio morbi ad provocandum ſputum & tuſſim ſedandam, eclegmata ex ſucco liquiritiæ ac ſaccharo, ut & eadem cum ſyrupo papaveris rhæados præſcribi poſſunt, ea enim ut experientia conſtat expuitionem facilem promovent.

NOTA.

PLeuritidem & Peripneumoniam ſine venæ ſectione curari poſſe apud Germanos, Batavos, alioſque populos, qui in aliis affectibus ſanguinem rarò aut nunquam mittere ſolent, etſi concederetur, Gallos & alios quoſcumque, qui huic remedio aſſueti ſunt illudque veluti hæreditarium à patribus habent, Germanorum methodum impunè imitari poſſe non ſequeretur. Plures & diverſæ viæ eodem tendunt, & pluribus ſemitis ad ſanitatem forſan itur; nos viæ cognitæ & majoribus noſtris feliciter tritæ hactenus inſtitiſſe juvit.

Purgationem quod ſpectat, ſi quo alio in morbo id præſidii genus cum cautione uſurpatur, in hoc maximè affectu præproperè in uſum revocari non debet. *Concocta medicamini non cruda*, aiebat vetus Medicinæ Dictator; recens phlegmone à chirurgo toto non inciditur.

Præcipitantia alkalina interim non neligenda, neque ſputum promoventia, quæ in ſtatu aut declinatione potius locum habent quàm in principio. Opiata moderata valent quandoque in principio & incremento, at in ſtatu vitanda ſunt ne anacatharſim remorentur. Papaver rhœas locum habet in toto morbi decurſu. Specifica ſunt fl. bellidis rubri, card. benedictus, & Mariæ, taraxacum, ſcabioſa, pimpinella, ulmaria, hedera terreſtris, urtica, radix bardanæ, cærefolium, flores acaciæ noſtratis, atriplex ſylveſtris, nec non oculi cancri, ſanguis hirci, mandibulæ lucii piſcis, apri, corallum, margaritæ quorum omnium doſis ad ʒ. j. & in aquis prædictarum herbarum. Commendatur & fuligo ſplendens ſæpius aq. ſambuci lota, & pulverata; nec negligendum in principio ſtercus equinum aut ovillum, ex aqua papaveris rhœados, aut ſucco ſcabioſæ. Pomo Quercetani, quod paratur excavando pomum redolens, minus acidum, illudque olibani pulverati drachma plenum, in igne coquendo cum pauco ſaccharo cando; ſuperbibendo aq. card. benedicti hauſtulum. Alii olibani ʒ. j. ſulphuris florum ana addunt Spermati ceti ʒ. j. aut amplius; in ol. lini aut amygd. d. uncia una aut altera utiliter ſubigitur. Nitrum etiam depuratum ad gr. x. aut xv. julepis cum fructu additur.

Topica quod attinet, miror ea ab auctore noſtro inter muliercularum & agyrtarum remedia recenſeri. Fotus imprimis hìc adeò utilis viſus Hippocrati, ut per octo ferè dies Anaxioni pleuritico latus affectum foverit. Eidem remedio tantùm tribuit antiquitas ut maximi nominis Medici qui nec venam ſecabant nec purgabant ferè unquam, fotibus, cataplaſmatis, embrochis & aliis id genus, totam pleureſeos curationem abſolvi poſſe crediderint. Sed plura non addenda in re adeò clara & ab experientia quotidiana nullibi non confirmata. Rationes efficaciæ horum remediorum multas afferremus, niſi nos huic argumento diutius immorari tæderet.

CAPUT XXIV.

De Syncope.

INter affectus cordis præcipuos recenſetur ſyncope, quæ ab auctoribus vulgò definitur præceps omnium virium lapſus, cui definitioni ego adderem, ex imminuto admodum aut abolito cordis motu dependens. Eſt enim præceps virium lapſus in apoplexia; & tamen non eſt ſyncope; differt ab animi deliquio ſeu lipothymia ſecundùm magis & minus, iſte enim affectus procedit à languida cordis ſyſtole.

Cauſa proxima hujus morbi ſpirituum defectus aut impotentia eſt ratione cujus cor ſe contrahere non poteſt ad ſanguinem in ſuis cavitatibus contentum expellendum, unde colligitur ſyncopem à ſola cordis relaxatione excitari non à contractione, hoc eſt in diaſtole cordis conſiſtere, non verò etiam ſyſtole, ut quidam volunt, quod probatur etiam ex cauſis ſyncopem producere ſolitis, ut ſunt evacuationes nimiæ, apoplexia fortiſſima, inedia longa, virium proſtratio & aliæ quæ ſpiritus abſumere, aut eorum

rum in cor fluxum, motumque inhibere aptæ ſunt, atque etiam ex remediis huic morbo medentibus, quæ omnia ſpirituoſa ſunt & ſpiritus exſuſcitare apta; adde cùm cor & ejus auriculæ ſint veluti muſculus digaſtricus, illæ quæ iſtius antagoniſtæ ſunt, & utraque inſuper pars eoſdem nervos & ab iiſdem plexibus ſortiatur & eodem ſanguine alluatur, fieri non poteſt ut in alterutra parte convulſio propriè dicta excitetur, hoc eſt perſeverans & durans contractio, qui motus convulſivi & reciproci ſequantur, quales in pleriſque febribus, animi pathematis variis, cordis palpitatione, contingere ſolent; dum verò defectus ſpirituum aut impotentia pro cauſa ſyncopes ſtatuitur, non excludo etiam copulam exploſivam à ſanguine ſuppeditatam, quæ cum ſpiritibus in omni motu muſculari venit in conſortium, ea enim ſi non ſuppeditetur in corde propter ſanguinis vappidam perverſamque diatheſim, motus cordis nonniſi imminui multùm aut aboleri poteſt.

Syncopes alia idiopathica dicitur, quæ ex proprio cordis vitio dependet; alia ſympathica quæ ad affectum aliarum partium conſequitur, puta oris ſuperioris ſtomachi aut & cerebelli propter conſenſum harum partium &c. Item alia eſſentialis quæ per ſe incipit citra alium ſenſibilem morbum; alia ſymptomatica quæ eſt effectus aliorum morborum, febrium nempe malignarum, peſtilentium, hecticarum &c. ſpiritus autem deficiunt, aut impotentes fiunt ad cor conſtrigendum ob varias cauſas, tales ſunt quæcumque ſpiritus abſumere, diſſipare, aut eorum motum aut fluxum inhibere valent, exercitia nempe & labores immodici, morbi longi aut graves, effrænata venus, evacuationes nimis copioſæ, obſtructio nervorum cordi proſpicientium, uſus nimius narcoticorum, triſtitia, ſanguinis craſſities nimia, aut diſſolutio, aut depauperatio, ratione quarum aut ventriculos nimis aggravat, vimque ſpirituum opprimit, aut materiam exploſivam non præbet; tales etiam ſunt cordis inflammatio, ulcus, polypus, tubercula, & tumores in cordis cavitatibus grandiores, aer corruptus, odores tetri, imò aliquando ſuaves, ut in mulieribus videre eſt; venena, medicamenta fortiora. Item & dolores acutiſſimi in partibus ſenſibilibus, ira & gaudium vehemens, morſus venenatorum animalium & alia multa.

Diagnoſis ad ſyncopem pertinens vel reſpicit ſubjectum huic morbo magis aut minus idoneum, vel morbum ipſum, vel cauſas illius productivas. Quoad ſubjecta ad ſyncopem magis diſpoſita, ſunt homines natura ſua debiles aut à morbo longo labefactati, fœminæ magis quàm mares, virgines chloroſi laborantes & ſuppreſſione menſtruorum. Morbi præſentis ſigna ſunt præceps virium lapſus ut in definitione dictum eſt, pulſus carentia, aut ſaltem is valdè non ſenſibilis, color faciei pallidus, extremorum frigiditas, ſudor frigidus, quæ omnia ſigna graviora ſunt in ſyncope, minus gravia in lipothymia.

Cauſarum autem ſigna ſi hæ externæ ſunt & procatarcticæ qualia ſunt venenum aſſumptum, medicamentum mochlicum, aer peſtilens, ira, gaudium, nimia evacuatio, odores tetri, inedia longa, effrænata venus, dolor. Dignoſcetur hoc ſatis per ſe aut adſtantium relatu; ſi verò tubercula magna, polypi totam ventriculorum cavitatem implentes, hoc dignoſcitur ex eo quòd præceſſerint palpitationes, inquietudines, & frequentes lipothymiæ; ſi autem ſymptomatica ſit ſyncope & à febre maligna, peſtilenti, variolis, cauſa non alia erit quàm ea ipſa, quæ morbum inducit & ſanguinem atque ſpiritus depravat, fermentum ſcilicet ſanguinis atterens & diſſolvens aut ipſum ſubito coagulans; ſi cardiaca ſit ſyncope & ex morſu oris ventriculi dependens hoc, ex dolore circa talem partem percepto manifeſtabitur. Item ex prægreſſis, nauſea, vomitu, præſentibuſque oris amarore, ſiti; ſi denique neque ab illo morbo dependeat, nec apoplexiæ fortiſſimæ conjungatur, tunc indicio eſt ex primario cordis affectu

oriri,

oriri, inflammatione nempe aut ulcere &c. non differt autem ſyncope ab apoplexia, niſi ex eo quod reſpiratio lædatur & difficulter fiat in ipſa cum pulſu permanente; pulſus vero aboleatur ad ſenſum in ſyncope, & reſpiratio libera aut ſaltem non ita impedita permaneat, ab apoplexia vero fortiſſima, ex eo quod in ſyncope, quæ ſola advenire ſolet, reſpiratio & motus aliarum partium non aboleatur, aboleantur tamen in illa ab affectione hyſterica, & epileptica, per motus convulſivos internos aut externos quę ſyncopem comitari non ſolent.

Prognoſis ſyncopes varia pro varietate cauſarum inſtituenda; ſi namque ea detenti facilè ad ſe redeant poſt irrorationem faciei cum aquâ frigida, vini, aut liquorum ſpirituoſorum exhibitionem, ſi illi non ſit obnoxius æger; ſi à levi cauſa, dico à levi procatarctica ortum ducat, non ita eſt mali ominis & facilè curari poteſt; ſi verò à morbo maligno aut peſtilenti, veneno aſſumpto, tuberculo, aut tumore magno, in cavitatibus cordis, ulcere, aut cauſis gravioribus procatarcticis dependeat, ſi æger illi ſit valdè obnoxius, ſi diutiùs duret, periculoſa admodum & plerumque lethalis eſt; unde Hippocrates. Qui frequenter ac fortiter ſine cauſa manifeſta, animo delinquunt, derepente moriuntur.

Syncopes à quacunque cauſa excitetur, quia ſemper fit à ſpirituum defectu, impotentia, motu, aut influxu præpedito in ipſo paroxyſmo, iis curari debet quæ iis omnibus occurrere poſſunt, talia ſunt ſupinus decubitus, injectio aquæ frigidæ in faciem, ſternutamenti concitatio, vinum generoſum exhibitum, aut liquores ſpirituoſi, aqua cinnamomi, imperialis, theriacalis, aqua vitæ, Regine Hungariæ, vociferatio, pilorum avulſio, frictiones fortes, digitorum contorſio, ſales volatiles in pauco juſculo exhibiti, theriaca, etiam confectio alkermes. Poſt paroxyſmum habenda eſt ratio cauſarum & pro earum varietate varianda eſt curatio, ſi polypi, turbercula aut ulcus magnum ſyncopem producant, incurabilis; ſi venenum aſſumptum aut morſus venenati animalis hunc morbum inducant, per oleoſorum, lactis, juſculorum pinguium exhibitionem curatur, aliiſque in præcedentibus recenſitis, vel partem demorſam ſcarificando, & aqua vitæ cum theriaca mixta fovendo, propinando eodem tempore eam theriacam, ſal viperinum, & alexipharmaca; ſi alia cauſa procatarctica ſyncopem procreaverit, putà gaudium, ira, triſtitia, inedia, odores tetri &c. facilè eſt illi occurrere vitando ſcilicet has omnes cauſas; ſi effrænata venus, nimia ſanguinis evacuatio, labores immodici aliaque vires, & ſpiritus exolventia, tunc reſtaurantibus, & ſpirituoſis utendum, juſculis nempe conſummatis, cibis nutrientibus ut ſunt capones, perdices, gelatinæ, confectio hyacinthi, alkermes, theriaca, ſpiritus & ſales volatiles &c. ſi denique ab apoplexia, febribus peſtilentibus malignis aliiſque affectibus pendet ſyncope, & ſymptomatica ſit, per remedia his affectibus accommodata, & ex propriis capitibus petenda curari debet: ſi verò à cardialgia & vellicatione ſuperioris orificii ſtomachi, per vomitoria.

CAPUT XXV.

De Imbecillitate Virium.

ETſi virium imbecillitas morbus propriè dici non poſſit, ſed tantum ſymptoma, omnes morbos præſertim graves concomitans, de ea tamen hìc agere libet, propterea quod plerumque utpotè urgens remedia poſtulat, & ſæpè negligendus venit morbus, & cauſa morbi ut ei occurratur; etenim inſuper cùm ad totum corpus pertinere videatur; omnes enim functiones in hoc affectu labefactantur, nihilominus peculiariter ad cor ſpectat, utpote quòd ab ipſo omnes functiones radicaliter dependent, unde de affectibus cordis agentes, non abs re erit de imbecillitate virium dicere. Conſiſtit autem tale ſymptoma, ut ex dictis colligere eſt, in functionum omnium corporis, & præcipuè vitalium,

atque

atque animalium dictarum læſione, hoc eſt notabili imminutione, adeſt enim in virium imbecillitate pulſus imminutus & debilis, ſenſibilis tamen, per quod differt à Syncope, adeſt etiam impotentia ad motum & ſenſum, ita ut membra, parteſque moveri expeditè nec ſenſationes vegetæ fieri ſoleant.

Symptoma illud non alias agnoſcit cauſas quàm eas quæ ſyncopem accreſcere valent, ſcilicet ſpirituum animalium defectum & languorem, vires enim corporis nonniſi à ſpirituum animalium debita copia & motu dependent, quibus quoque ut in ſyncope diximus, venit in conſortium, ſanguinis debita conſtitutio, hoc eſt, ea maſſæ ſanguineæ atque ejus principiorum diſpoſitio, ut activa paſſivis prævaleant, ſcilicet ſpiritus, & ſal in debita quantitate & proportione, atque mixtione: ſi enim activa paſſivis prædominentur, ex iſta perturbatione fit ut ſanguis non debitam & puram materiam ſpiritibus in cerebro generandis ſuggerat, tum quia ſanguis idem ad motus cordis & aliarum partium atque nutritionem ſuum ſymbolum ſpiritibus conferens, ſi vitiatus ſit in ſua craſi, officio ritè fungi nequit, nec partes nutrire, nec motum fermentativum & circularem inire in quo calor nativus conſiſtit, & virium robur, hinc non mirum ſi in acutis, gravibus, malignis, & peſtilentibus atque etiam chronicis morbis, virium adſit imbecillitas, & in omnibus caſibus ubi ſpiritus non generantur, aut diſſipantur, aut non diſpenſantur, ut in morbis ſoporoſis, vigiliis, exercitiis immodicis, copioſis evacuationibus, immodica venere, aliiſque quæ dum ſenſim ſine ſenſu atque paulatim operantur, virium imbecillitatem inducunt, dum verò derepente agunt, hoc eſt ſpiritus exhauriunt, ſyncopem excitant.

Virium imbecillitas ſatis ſuperque ſe manifeſtat, ut ejus diagnoſis nulla requiratur, cauſarum verò ſigna eadem ſunt quæ in ſyncope relata ſunt, propterea quòd virium imbecillitas eaſdem cauſas agnoſcat non ſtatim & derepentè effectum ſuum ſortientes, ut jam innuimus, ſed ſenſim atque paulatim.

Prognoſis virium imbecillitatis abſolutè loquendo mala eſt, quia ex virium robore ſemper ſalus & ſanitas in morbis expectatur, nec niſi ipſis vegetis optima remedia, qualia ſunt venæ ſectiones & purgationes inſtitui poſſunt, undè in omnibus morbis virium imbecillitas peſſimi eſt ominis, ubi verò à cauſis procatarcticis minùs gravibus, labore putà, vigiliis & dependet, non ita periculoſa.

Indicatio curatoria virium imbecillitatis & indicatio quæ in morbis conſervatoria dicitur & vitalis una & eadem eſt; illa autem adimpletur, non habita plerumque ratione morbi aut cauſæ morbificæ, nam ſi habeatur ratio morborum à quibus dependet, tunc celebrari debent remedia iis appropriata ex propriis capitibus petenda. Remedia verò quæ imbecillitati virium proſpiciunt, ſunt omnia analeptica, ſpirituoſa, cum ea tamen præcautione ut morbum aut cauſam morbificam non augeant, ita ut tunc in minori doſi, aut magis temperata præſcribantur. Ea igitur remedia ſunt non diverſa ab iis quæ in ſyncope præſcripſimus, qualia ſunt juſcula conſummata, juſcula caponum, perdicum, Gelatina, cornu cervi & confectio alkermes, vinum, aqua cinnamomi, ſalia volatilia, aquæ deſtillatæ, reſtaurantia à Riverio præſcripta, vitella ovorum, julepi cardiaci ex aquis cardui benedicti, ſcabioſæ cum aqua naphæ, aqua imperialis, confectio hyacinthi vel opiata reſtaurans; conſerva bugloſſæ, caryophyl. & nucibus conditis, ambra griſea; nuc. moſchatæ conditæ, eſſentia aniſi & caryophyllorum, pulli item columbini aut catelli medium ſecti & in formam epithematis cordi applicati, aliaque multa quæ paſſim apud Auctores reperiuntur.

NO-

NOTA.

CApitibus de ſyncope & virium imbecillitate pauca addenda habemus. Notabimus ſolùm in primo affectu, ſyncope videlicet, auctorem noſtrum topica rejicere ſolitum, de epithematibus cordis regioni aut ſcrobiculo applicandis, altum ſervare ſilentium. Conſtat tamen experientia, epithemata dictis partibus, ut & carpo admota non inutilia eſſe in hoc caſu, ſive aromatum aut materiarum ſpirituoſarum ex quibus epithemata conficiuntur, effluvia ſeu atomi volantes, in vaſorum extrema rapiantur, vel nervorum cutaneorum fibrillas penetrent & commoveant; ſive earundem atomorum major pars naribus excepta in nervos itidem & ſpiritus hoc immediatè agat. Quicquid ſit juvat ſacculos, meliſſa, cuticula citri, roſis rubris, garyophyllis hortenſib. mentha, ſantalis, ſpeciebus aromaticis &c. plenos, ſpir. vini, aceto ſimplici aut theriacali, aq. roſar. &c. irroratos exterius applicare, aut odorari. Conferunt balſamum verum & alia balſama aut olea artificialia, fragrantia ſua; imò panis recens naribus frequenter admotus multùm laudatur. Si efficaciora requirantur, ad ſal volatile aut ſpiritum volatilem ſalis armoniaci recurrendum, cujus odor nares potentiſſimè feriendo vel ipſos apoplecticos excitat. Idem ſpiritus aromatum oleo imbutus & ſpiritui vini maritatus præſtantiſſimus eſt, ex vino aut alio liquore conveniente per os exhibitus; tum etiam ſpiritus theriacalis camphoratus, liquor cornu cervi ſuccinatus, & alia id genus.

CAPUT XXVI.

De Cordis Palpitatione.

QUamquam non minoris notæ Medici reperiantur hodiè qui ſtabilitam optimè & undequaque inexpugnabilem *Loveri* de cordis motu ſententiam omninò rejiciant, aut præjudiciis excæcati aut Veterum placitis, pertinaciùs adhærentes, re tamen accuratiùs examinata, atque cordis partibus & fabrica attentiùs perpenſis, muſculum eſſe cor, eodemque ac alios muſculos modo relaxari atque conſtringi nemo veritatis amans ire audeat inficias: ſi etenim omnes partes corporis quæ contractionis capaces ſunt (ne membranoſas quidem & cartilagineas excipiam, quales ſunt ventriculus, inteſtina, veſica, bronchia pulmonum eorumque veſiculæ &c.) beneficio ſpirituum animalium (conferente tamen ſuum ſymbolum ſanguine) conſtringi, jam recepta ſit apud omnes opinio, quantò magis ſyſtole cordis ſeu validus ille qui ſanguinem è ſinubus ſuis exprimit niſus iiſdem ſpiritibus, copula tamen ſanguinis elaſtica adjutis acceptus referatur, ipſum quippe præter innumeras fibras carneas (quæ muſcularis motus inſtrumenta communiter audiunt) in modum cochleæ diſpoſitas; & ab una baſis parte ad conum lateraliter, & obliquè deſcendentes, ut iterum à cono ad alteram aſcendant, vel ſaltem inferiùs reflexæ tranſverſum ſeptum aut columnulas cordis dictas formentes eminentias, præter, inquam, hunc omnem ſtruturæ muſcularis apparatum, nervos quoque (ſi per Anatomiam diſquirere libeat) multo plures quam alii etiam majores muſculi, ab octavo pari intercoſtali, plexibus cardiacis ſpirituum velut promptuariis mutuatos ſortitur unde ſpirituum penus per implicatam fibrarum contorſionem non facile diſſipabilis, cordique etiam avulſo, aut nervis ipſis proſpicientibus, per eorumdem præciſionem, ſpoliato, reciprocè contrahendo ſufficiens (ſecus ac in aliis muſculis hac mechanice deſtitutis) ad aliquod tem-

pus

pus ſuppeditatur, cum igitur & propter jam dictas rationes & propter multas alias quas hìc ſubnectere non eſt animus, ne opus in immenſum excreſcat in muſculorum claſſe cor reponendum ſit, morbis quoque & paſſionibus partes haſce infeſtare ſolitis obnoxium eſſe diffiteri non poſſumus; & potiſſimum motibus convulſivis quorum ſpecies quædam mira & peculiaris eſt palpitatio de qua impræſentiarum agitur; ea vero ut à febrilibus cordis motibus diſtinguatur, qui vere convulſivi ſunt, definiri poteſt vehemens admodum & inordinata cordis concuſſio, ſeu valida ſyſtole, qua contractis fortiſſimè per fibras muſculares undequaque cavitatibus, conus qui pars hujus muſculi mobilis eſt ad immobilem baſim verſus poſteriora paululùm reclinatam ita vehementer retrahitur ut ſimul versùs partes anteriores cum impetu ſubſiliendo, pectus valide pulſet, & tunc ob auctam præter modum fibrarum craſſitiem, tum etiam ob reverberatum ab obice ſi quis ſit, aut viarum anguſtia, in circumſtantes cordis parietes è ventriculis propellendum ſanguinem, coſtæ (docente Fernelio) diffringantur. Interdum & loco moveantur, ut (obſervante Foreſto) prodiens inde ſonus ad plures paſſus imò & extra ægri cubiculum audiatur.

Hic affectus præter cauſas communes ſpaſmodicos motus aliis muſculis aptas inducere; quales ſunt inter occaſionales, irritatio facta à vermibus, ſanguinis aut aquæ paricardio contentæ acrimonia &c. quæ cordi dolorem inferens, ſenſum ſpirituſque inibi hoſpitantes inordinatè commovens, materiam ſpaſmodicam ſi in ſanguine lateat, in actum deducit, ejuſque cum ſpiritibus jam agitatis intimam magis permixtionem faciendo, maximam eorumdem in fibris muſcularibus producit expanſionem; inter efficientes vero eadem materia ſpaſmodica ſeu particulæ ſanguinis ſolito magis elaſticæ ac ſpiritibus heterogeneæ in corde ob peculiarem ejus diſpoſitionem collectæ quæ propter intenſam quam ineunt cum ſpiritibus, etiam ut plurimum ſuo modo peccantibus, fermentationem, fibras ejus craſſiores multo reddunt, unde fortiſſima ſequitur cordis contractio atque decurtatio; præter inquam, haſce cauſas quæ alios corporis muſculos, modò plures, modò unicum, prout affectus univerſalis aut ſingularis fuerit, in convulſivos motus adigere valent, dantur & aliæ plures cordi peculiares quæ tamen ut plurimùm ab occaſionalium numero non ſunt excludendæ. Tales habentur quæcunque ſanguinis cordis in cavernis moram facere poſſunt, ejuſque iiſdem egreſſum quoquo modo inhibendo impetuoſam in circumductos ventriculorum parietes reflexionem efficere.

Sic quibuſcumque ſanguis craſſus, viſcidus aut grumoſus eſt, cor ſæpius palpitare obſervat quotidiana praxis, cujus ratio ex eo peti debet, quòd cunctans in corde ſanguis ipſumque aggravans, aut ſibi ipſe ob craſſitiem & viſciditatem præcludat exitum, ſicque per cordis ſyſtolem exire totus non valens, in ejus latera vehementer reſiliat, aut acido abundans, quod ſi ipſi talem conciliavit diatheſim ſi per moram quam ibidem facit, copulam ſpiritibus utpote ſalino volatilibus magis elaſticam aut etiam in majori copia ſuppeditat, quæ deinde iiſdem juncta majorem cordis ad ſanguinem è ſinubus ſuis, expellendum conatum excitet; excreſcentiæ quoque carneæ aut oſſeæ in corde genitæ, calculi, polypi tubercula, tum in cordis ventriculis, tum in arteriis ipſis appenſis, vaſiſque pulmonaribus enata palpitationis cauſæ ſunt non infrequentes, quatenus ſanguinem è corde per ſyſtolem protrudendum, in ejuſdem cavitatibus remorantur; unde ipſe propter interceptum iter in cordis parietes fortiùs reſilire neceſſe habet, eoſque ultra modum elevando pectus validius percutere; hinc colligi poteſt quomodo exercitium immodicum, ira, crapula, balnea caliſtiora, venena aſſumpta, quæ hujus affectus cauſæ ſunt externæ & procatarcticæ, palpitationem cordis inducere poſſint, item & quomodo alimenta craſſa, terreſtria

ſtria & viſcoſa, aer minus ſubtilis, vita ſedentaria & otioſa acidorum nimis uſus vinum tartareum, triſtitia &c. ad hunc affectum prædiſponere ſoleant illa ſiquidem omnia aut cor ſanguine ingurgitant, illiuſve copulam adaugent elaſticam, aut ſanguinem incraſſant & coagulant? qui deinde è cordis ventriculis non facile propellitur & in ipſis aut annexis vaſis calculos, polypos, tubercula &c. producere aptus eſt.

Cùm tactu viſu & interdum auditu, deprehendatur cordis palpitatio, nulla prorſus ad hunc morbum detegendum diagnoſis eſt adhibenda; illius verò cauſæ cùm magis abſtruſæ ſint & reconditæ, ſignis etiam peculiaribus diſtenguendæ ſunt, ſi igitur polypi, excreſcentiæ carnoſæ, calculi, tubercula, huic affectui occaſionem dederint, continua cor palpitatione tentabitur ob continuam cauſæ præſentiam, pulſus quoque minor erit, ex eo quòd ſanguis non facilè propter interpoſitum obicem, è corde in arterias propellatur; ſi autem à ſanguine craſſo & viſcido, aut materie ſpaſmodica morbus ortum duxerit; per prædictorum ſignorum abſentiam dignoſcetur, atque etiam ex pluribus aliis ſymptomatis, ſanguinis craſſitiem & viſciditatem, aut copulæ elaſticæ copiam conſequi ſolitis; ſi demum aut vermes aut ulcus in corde genitum, aut aqua pericardio contenta &c. palpitationem induxerint, vix niſi autopſia deprehendi poſſunt.

Palpitatio cordis à polypo, tuberculo, calculo, excreſcentia oſſea, aut carnea, in corde aut ipſis appenſis vaſis genitis, dependens, mali ominis eſſe ſolet, & ut plurimum in lætalem ſyncopem terminatur, periculoſa quoque admodum cenſenda erit, quæ à vermium globulo, aut ulcere cordis originem trahit, quæ autem ab aliis recenſitis cauſis natales incipit, licet ob partis affectæ nobilitatem aliquod videatur, periculum portendere, facilius tamen remediis cedit nec funeſtum ut aliæ ſemper habet exitum.

Remedia igitur quæ in curanda cordis palpitatione adhiberi debent, ſunt præter univerſalia quæcumque attenuant diſſolvunt atque aperiunt, nam ſeu excreſcentia quælibet ventriculos cordis occupaverit ſeu ſanguis grumoſus, aut materia ſpaſmodica pluſquam par eſt refertus (quam acidas eſſe particulas ſuperiùs ſuſpicati ſumus) morbum iſtum progenerarit, cauſæ illæ quæ ſunt omnium fræquentiſſimæ (ulcus enim & vermes rarò accuſantur) nihil aliud indicare videntur quam medicamenta, quæ tenuium ſint partium, ſanguinemque viſcidum, terreſtrem acidis onuſtum particulis, calculoſque & polypos, tubercula producere aptum corrigant ac fluidum reddant: hoc verò perficiunt optimè radices aperientes plantæ aromaticæ, diaphoretica, chalybeata, ſpiritus omnes volatiles, ſales omnes lixiviales, uno verbo ea omnia quæ in craſſa, viſcidaque ſanguinis diatheſi uſurpari ſolent: unum tamen inſtar omnium remedium, ſunt ſales volatiles, qui quia particulis donantur maximè ſubtilibus ad minimam ignis actionem ſummum alembici petentibus, efficacius & promptiùs cauſas tum antecedentes, tum conjunctas corrigere valent, ſanguinique fluiditatem conciliare, qua ventriculos cordis minùs aggravet, & facilius ex iiſdem per ſyſtolem protrudatur.

NOTA.

CUm palpitatione cordis vulgo confundi ſolet congener affectus *Pulſus intermiſſio*, quæ cordis & arteriarum actionis læſæ ſymptomata eſt. Id aliquando nullum portendit periculum. Senibus imprimis, quibus vel integra ſanitate admodum familiaris eſt pulſus intermittens nihil mali contingit. Eadem pulſus intermiſſio literatis, monachis, & aliis quibuſcunque ſtudiis & meditationi intentius incumbentibus, melancholicis, aut graviori animi affectu laborantibus, ſæpius accidit.

Ita narrat magni nominis Medicus *Argenterius*, in ſe ipſo aliquando pulſum intermittentem obſervaſſe, quem tamen nul-

nullum insigne valetudinis periculum consequutum sit. Ejus vero affectionis causam fuisse putavit, quod nimiis studiorum laboribus vitalem cordis facultatem afflixisset, qua tamen instaurata, intermissione studiorum intensiorum & diæta conveniente, ad pristinam sanitatem redivit.

Virum alium novimus, eumque itidem Medicum qui pulsus intermissione laboravit. Is annos natus præterpropter triginta quinque, primùm hujus symptomatis insultum passus est, quo perterritus, eo præsertim nomine quod gravitatis sensum & veluti constrictionem in corde eodem tempore & simul ac pulsus intermittebat, perciperet, multa remedia adhibuit, inter quæ cardiaca vulgaria, melissa, citria mala, confectio alkermes &c. prmò in usum revocata, parum proficiebant. Salia volatilia, vinum, & spirituosa omnia, quæ acidorum præcipitandorum aut circulationis promovendæ gratia, assumebat, sanguinem & spiritus exagitando potius nocebant. Potus thè & caffè non minus noxius erat, quin potui isti primam affectus causam non immeritò forsan acceptam retulit æger. Purgantia, imò & clysteres ipsi multum turbabant; nec à venæ sectione quæ vel parca manu celebrata vires manifestè atterebat, melius habebat. Refrigerantia contra multum profuerunt, & alkalica omnia fixa. Acidulæ potissimum, seu aquæ minerales nitrosæ frigidæ, utut purgantes, cum fructu usurpatæ. Sed inter alia mirificum aquæ fontanæ, seu fluviatilis communis alkali non reticendum, quod in hoc casu plus ferè solùm quam alia omnia præsidia præstitit. Vino quippe vir ille per menses circiter duos media hyeme omnino abstinuit, & aqua sola frigidissima usus est, & hactenus vinum admodum lymphatum bibens optimè, Dei beneficio, valet.

Hoc non mirabitur qui legerit quod à Clarissimo & Nobilissimo Viro Domino Tozzi, Pontificis Romani Archiatro, refertur, quosdam scilicet à potu copiosiore meraciorum vinorum item ab ira & timore pulsum intermittentem habuisse, symptoma quippe hoc spasmodicum à causis omnibus irritantibus & spiritus in motus extraordinarios egentibus facile accersi potest, in prædispositis potissimum & hypochondriaco affectui obnoxiis.

Choream hìc etiam interdum ducere ventriculum evincit quod ab eodem nobilissimo Auctore additur, quosdam alios in pulsus intermissionem incidisse, ab esu castanearum, & leguminum.

Pulsum intermittentem in ipsis etiam infantibus sæpe reperimus, qui sani nihilo secius & valentes fuerunt. Unde concludere licet pulsum immittentem, si aliis non stipetur symptomatibus, per se nihil fere funesti portendere præsertim si periodicè tantum intermissio se prodat.

At si hujusmodi pulsus alios affectus sequatur aut comitetur, ex eo periculum æstimandum. Sic polyporum cordis pulsus intermittens cùm soboles est certum minatur interitum. Quin aliquando observavimus pulsus intermissionem cephalalgias seu graves, & profundos capitis dolores comites habuisse præsertim in puellulis, qui motibus convulsivis supervenientibus & affectibus soporosis, è medio sublati sunt.

PATHO-

PATHOLOGIÆ

LIBER TERTIUS,

SIVE

TRACTATUS DE MORBIS MULIERUM.

CAPUT PRIMUM.

De Menſium Suppreſſione, & Chloroſi.

DE chloroſi & menſium ſuppreſſione hìc ſimul non immeritò agimus, quando quidem in praxi etiam hi duo affectus eodem tempore curandi ſæpiſſimè occurrunt, & chloroſis menſium ſuppreſſione tanquam ſymptomate ſibi adjuncto ſtipatur; plerumque vero menſium ſuppreſſio quacumque de cauſa prius adveniens, ſæpiſſimè etiam ſibi comitem chloroſim accerſit. Illi igitur affectus quamvis ſæpiſſimè juncti reperiantur, ſeorſim tamen & oriri, & ſubſiſtere poſſunt, & uterque etiam, nonnunquam & abſque ullo uteri vitio, ut patebit ex cauſis horum affectuum afferendis.

Quoad chloroſim igitur ſive pallidos virginum colores, aut febrem pallidam & amatoriam, qui morbus non ita virginibus affixus eſt, quin etiam nuptis, imò pueris, & viris quamquam rarius accidere ſoleat, propterea quod non tam ab utero quàm ſanguinis craſſitie, vappiditate, & Cachexia, cujus ſpecies eſt, dependet: illius ratio formalis conſiſtit in albido, & vitioſo univerſi corporis habitu ad Cachexiam jam vergente, cui plura alia adjunguntur ſymptomata infrà enumeranda & explicanda.

Cauſa autem hujus pravi coloris, & habitus, omniumque ſymptomatum quotquot in chloroſi reperiuntur alia ſtatui nequit, quàm prava, effœta, & craſſior totius maſſæ ſanguineæ conſtitutio, & quæ ab eodem ſanguine ſic vitiato in vaſis præcipuè abdominis, & viſcerum in eo contentorum obſtructiones gignere apta eſt, quæ licèt primam ut patet huic affectui originem non præbeat, priùs enim ſanguis depravari & craſſior fieri debet quàm obſtructiones pariat; ad eundem tamen fovendum, & radices illius altiùs infigendas non parùm concur-

currunt, obſtructionum enim beneficio, fit, ut ſanguinis circuitus in dies difficilior reddatur, undè membrorum gravitates vel etiam intumeſcentiæ & ſolitæ ſecretiones minus perficiuntur, unde ſanguinis conſtitutio in deterius etiam labitur, præter eas quæ in ſinu ejus circulantur particulas recrementias, aliàs ſecerni ſolitas. Pravæ verò & craſſioris ſanguinis diatheſis cauſa eſt chylus deterior & minùs perfectus qui in ſanguinem tranſmittitur, ſic etiam ex eodem ſanguis generatur minùs eleboratus & impurior, ut etenim chylus à particulis ſanguineis naturali copia motu fermentationis agitatis quibuſcumque commiſceatur, eo modo dividi, attenuari, & volatilizari nequit, quod requiritur ut in perfectum faceſſat ſanguinem, certum enim in ventriculo à diſſolvente illius fermento & in inteſtinis etiam à ſucco pancreatico & bile elaborationis & tenuitatis gradum attigerit, neceſſe eſt, ſecus verò ex quocumque hujus primæ coctionis vitio aliud etiam hæmatoſeos vitium ſubſequetur, ita ut ſi chylus craſſior fuerit & crudior, particulæ illius & principia ita nunquam attenuari & extricari poſſint quin inde exurgat ſanguis etiam crudus & craſſior principiis activis deſtitutus, minùs ſpirituoſus minuſque volatilis. Quod de coctionis vitio dictum fuit maximè etiam intelligi debebit de multiplici pravorum alimentorum ſpecie, ex quibus difficile eſt aut impoſſibile ut generari poſſit chylus, niſi pravo & crudo ſanguini generando idoneus. Patet igitur ex nonnaturalibus malè adhibitis & variis in modo vivendi erratis qualia puellæ adultæ præ aliis ſolent ſæpiſſimè committere, originem ducere pravum hanc ſanguinis diatheſin in qua ille particulis craſſioribus conſtans ſubtilibus & activioribus ſuis principiis orbatus reperitur, unde chloroſi inducendæ aptus exiſtit; ſicut enim color faciei & totius corporis in unoquoque homine indolem ſanguinis & ejus naturam ſolet referre; & ſicut ab eodem ſanguine rectè conſtituto, purpureoque, vivido rubente colore, quem ex congrua ſulphuris & ſalis volatilis, cerebris fermentationibus & recrementorum ſeparationibus invicem & intimè junctorum mixtione obtinet, vividus etiam & laudabilis corporis habitus & color inducitur, ita ſi in eodem ſanguine prædictæ particulæ pauciores reperiantur, aut reliquis nimiùm intricatæ, ſolitum aſſecutæ non fuerint mixtionis & exaltationis gradum, colorem etiam minùs vividum, & à naturali recedentem induci ſequetur, eum plerumque albidum, quandoque plumbeum, aut virideſcentem, pro varia principiorum ſanguinis mixtione.

Alia ſymptomata hujus morbi ſunt primò gravitas, & ſegnities totius corporis, partim intumeſcentia & laſſitudo ſpontanea, ſanguis enim quatenus circuitum ſuum in partibus omnibus lentè admodum peragit & aliudè exiſtit craſſior, gravitatis ſenſum inducit, inflationem, ſegnitiem; laſſitudo verò ſpontanea & minor ad motum aptitudo, non ſolùm ob eundem motum ſegniorem ſanguinis ſed etiam ob defectum ſpirituum animalium quorum minor quàm par eſt copia ex tali ſanguine ſuppeditatur cerebro, qui etiam minùs ſunt activi & volatiles, unde ad ſolitos partium motus obeundos, illi etiam minùs ſufficiunt: & præterea quia idem ſanguis copulæ elaſticæ ad motus partium muſculoſarum propagandos requiſitæ, ſpiritibus ſubminiſtrandæ minùs aptus exiſtit. Secundò difficultas ſpirandi præſerim à quocunque levi etiam exercitio, propterea quòd ſicut à ſingulis corporis motibus ſolet fieri acceleratus ſanguinis motus auctaque effervescentia, idem in majori copia in vaſa pulmonum irruit, quo dum hæc, cordiſque ſinus infarciuntur, difficultas ſpirandi & palpitatio emergunt, ex eadem etiam levi quacumque occaſione ob modò dictum ſinuum cordis infarctum, & ſenſum gravativum cordi inductum, unde fit ut ſanguis aliunde craſſior, majorique accedens copia unica cordis ſyſtole, quamquam validè propellitur, totus in appenſas arterias propelli nequeat, ac proindè versùs parietes cordis reſilire cogitur

gitur & palpitationis motum efficere. Tertiò ciborum faſtidium ob fermenti ſtomachi debilitatem, aut ſtagnantes, qui ex pravis coctionibus generati ſunt, in iis viis pravos humores; quibus involvitur fermentum ventriculi ut ſolitas in membranis ventriculi impulſiones ad appetitum ciborum inducendum requiſitas efficere nequeat. Quartò maxima ad ſomnum propenſio, iſque ſolito profundior & ob defectum ſpirituum & mobilitatis, & quia ſanguis circa cerebrum, & in aliis partibus lentiùs circulans idem aggravat, quod ſpiritibus ut dictum parum turgidum facillimè concidit. Quintò pulſus celer & frequens; quia quò magis ſanguis craſſus eſt, ita ſpiritus ſunt minoris energiæ & in minori copia, quò cordis ſyſtole lentè peragitur, unde pulſus celer & frequens ſæpiſſime; demum huic morbo ut ſuprà dictum copulatur menſium ſuppreſſio, quandoquidem variis partium abdominis obſtructionibus adjungitur, etiam in vaſis uteri genitæ obſtructiones à ſanguinis craſſitie & cruditate, unde fluxus ſanguinis menſtruus præpeditur; ſed quoniam hìc nobis agendum eſt de menſtruorum ſuppreſſione non ſolùm quatenus huic morbo adjungi, ſed abſque illo etiam oriri poteſt, ſoletque in puellis, tum adultis aut fœminis quæ ex lege naturalis œconomiæ ſingulis menſibus tali ſanguinis fluxu repurgari debent, aſſignandæ ſunt cauſæ omnes quæ in quacunque virgine & muliere non utero geſtante, eundem valent ſupprimere.

Cauſæ omnes illæ vel ad uterum & illius vaſa referuntur, vel ad ſanguinem; ex parte uteri primò contingit ut dictum eſt vaſorum illius obſtructio vel in chloroſi, vel citra chloroſim; præterea uteri tumores, inflammationes, ſchirri quicunque eundem fluxum cohibere valent, vel partium etiam vicinarum, uterum & vaſa illius præter modum conſtringendo & coarctando; ſi orificia uteri occluſa fuerint, contingit etiam talis fluxus ſuppreſſio; licèt interim ſanguis in cavitate uteri, ut viſum eſt, aliquando cumuletur, defectu viæ per quam foras dejici poſſit. Ex parte verò ſanguinis ſe tenet aliquando vitium, fluxum menſtruum ſupprimens, primò dum maximus adeſt illius defectus in toto corpore ob præcedentes evacuationes ut in convaleſcentibus aliiſque contingit, ſecundo dum alias excretionis vias affectat, ut ſunt nares, hæmorrhoides ſique aliis ſenſibilibus modis regularis & conſueta contingat illius rejectio quæ menſtruorum vicem gerat; tertiò ſi ſolita in eodem ſanguine fermentatio, cujus beneficio menſtrua illius promovetur excretio, more debito non propagatur, quod in iis affectibus contingit in quibus particulæ activiores & elaſticæ in tota maſſa ſanguinea maximè deficiunt, illiuſque particulæ ſegniùs tantum fermenteſcunt, eaque ratione in chloroſi etiam præcipuè ſi inveterata fuerint contingere poteſt menſium ſuppreſſio abſque concurſu obſtructionum; ob plethoram demum & ſanguinis in univerſo corpore redundantiam ſupprimuntur menſes, propterea quod diſtentis & turgidis ſic nimiùm vaſis uteri in primis deeſt ſpatium quo particulæ ſanguinis agitari & à vaſis etiam per eorum orificia ſecedere valeant.

Diagnoſis, quoniam hic affectus ex relatione ægrotantis innoteſcit, tota eò dirigenda eſt, ut dignoſcatur an à cauſa naturali, graviditate ſcilicet, aut à præternaturali ex dictis ſuprà, oriatur; hìc igitur conferenda erunt ſigna graviditatis à Riverio propoſita; quod non neceſſe erit ſi affectus in pudica virgine accidat & de qua nulla talis haberi poſſit ſuſpicio, ſi quæ talis ſit.

Signa cauſarum præternaturalium ſatis facilia ſunt; chloroſis & menſium ſuppreſſio licèt chronici ſint affectus periculum tamen portendunt, & præcipuè menſes ſuppreſſi ob morbos graviores qui deinde imminent; inde etenim febres, cachexiæ, hydrops enaſcuntur.

Curatio chloroſis in omnibus eadem aut ſaltem valde ſimilis eſſe debet, in ſuppreſſione verò menſium pro varietate cauſarum diverſimodè inſtituenda eſt; ad chloroſim igitur curanda adhiben-

bentur in primis remedia attenuantia, aperientia & evacuantia; Injiciantur ergo ſtatim clyſteres emollientes & laxantes, & a rejectione mittatur ſanguis ex brachio, itereturque venæ ſectio, ſed tamen pro natura & plethora ægrotantis; nam eam celebrare aut ſæpiùs repetere non ita expedit, interim exhibeantur julepi & apozemata ex ſimplicibus attenuantibus & radicibus aperientibus parata, additis ſalibus fixis & volatilibus; liquores ſpirituoſi, confectiones calefacientes, vinum abſynth. juſcula quoque ex decocto prædictorum ſimplicium parantur, quibus addi poteſt limatura ferri aut prædicti ſales, purgatio demùm celebranda, cui ſuccedere poteſt balneum aquæ tepidæ quod ingrediatur per 10. aut 12. dies, quo finito iterum purgandus æger & mox præſcribenda opiata purgans chalybeata; tandemque ſi perſeveret affectus, ad aquas minerales acidulas recurrendum, uno verbo ea omnia remedia quæ in obſtructionibus lienis, melancholiæ, hydropis hìc etiam locum habent; ſuppreſſio menſium ſi cum chloroſi copuletur aliam non requirit curationem quam quæ huic morbo debetur ſaltem ut plurimum.

Coitus in utroque affectu prodeſt, ſi verò extra chloroſim contingat videndum eſt à qua cauſa hæc pendeat; ſi etenim obſtructionum ſit ſuſpicio ſimili etiam ratione curabitur; ſi à variis morbis uteri ut dictum fuit procedat: curatione eorum hæc etiam auferenda; ſi à prava diatheſi ſanguinis & defectu fermenti idoneis remediis ſanguinem reſtaurando, roborantibus, ſpirituoſis volatilibus ſanabitur, ſi à ſanguinis redundantia venæ ſectione potiſſimùm ex brachio, deinde ex pede illius curatio abſolvetur, in menſium ſuppreſſione ab obſtructione & uteri infarctu, oriunda, ſuffitus ex ſcoriis regul. antimon. atque etiam decoctum ſudorificum prodeſt.

NOTA.

CHloroſim ſeu Pallidos virginum colores, febrem albam & Cachexiam muliebrem, aliis dictos, à Menſium ſuppreſſionem diverſum eſſe affectum probat experientia: Multæ quippe virgines & maritatæ etiam, aut viduæ, pallentes quotidie videntur, decolores, à febre nunquam immunes, ab omni ferè cibo abhorrentes, imò abſurda; ut carbones, cineres, gypſum comedentes, quod ultimum ſymptoma affectum peculiarem facit Picam ſeu Malaciam dictum de quo in libro primo. Multæ, inquam tales ſunt mulieres, quibus ideo menſes periodicè fluunt.

In his cùm ſanguis ſatis ſuperque diſſolutus ſit, & abundet potius ſero ſalſo & acriori, quo ſulphurea ejuſdem ſanguinis pars abſorbetur, vel quoquo modo ſuperatur, unde coloris vividi deperditio; medicamenta acriora & calidiora, aperientia vulgò dicta, aromata, vina medicata, ſalia lixivia &c. vitanda ſunt. Contrà ad acida temperata & mixtiora confugiendum; cujuſmodi ſunt ſucci granatorum, ribium, & citri multa aqua diluti; ſpiritus ſalis dulcis, cryſtalli tartari &c. His adjungi debet liquor cornu cervi ſuccinatus; ſuccinum ipſum & ſuccinata omnia, myrrha, camphora, ſaccharum Saturni; opium ipſum. Nec nocebunt martialia mitiora, quæ utrique Chloroſi conveniunt, cum hac tamen differentia, quod chloroſi menſium ſuppreſſionem comitem habente, martialibus facilius junguntur non aromata modò è alia, quæ ſuprà indicavimus, ſed & purgantia validiora, quæ in priori ejuſdem affectus ſpecie, non ita feliciter uſurpantur.

In menſium ſuppreſſione poſt venam ſectam, & purgans medicamentum aliàs exhibentur ſequentia; pulvis cachecticus Quercetani cujus baſis eſt ferrum cum ſulphure calcinatum; item ſpecificum ſtomachicum Potetii ex regulo antimonii martiali ſtellato paratum; quibus jungi poſſunt ſalia fixa arthemiſ. ſtipit. fa-

bar. ulmariæ &c. mercurius dulcis; æthiops mineralis. Hæc ſequentur aromata, inter quæ non minima laus croco; ex quo cum pomo citri, per infuſionem in vino albo paratur medicamentum multæ efficaciæ. Parantur & vina medicata, cum & ſine martialibus, ex radic. eryngii, enulæ camp. arthemiſ. matricar. meliſſ. roremarino, cinnamomo, caryophyll. &c. Datur pro potu ordinario decoctum ligni ſaſſafras cum ceterac & paſſulis. Commendatur etiam Elixir. proprietatis, cum & ſine acido. Inter purgantia, pilul. de hiera, aloephanginæ, tartareæ Bontii & Q. & aliæ ex gummi compoſitæ. Tandem aquæ minerales ferruginoſæ, & thermæ ſulphureæ.

CAPUT II.

De Fluxu Menſium Immodico.

MEnſium fluxus ſicut ſupprimitur nonnunquam, ita etiam non rarò ſolet immodicus contingere, cùm aut diutiùs perſeverat & cum copioſiori ſanguinis rejectione, vel dum frequentiùs quàm debet ex naturæ lege recurrit.

Cauſæ immodici hujus fluxus vel in vaſa ipſa uteri, vel in ſanguinem refundi poſſunt; in vaſa quidem, ſi ea dilacerationem aut ruptionem paſſa fuerint, ut, poteſt contingere, à quocumque conatu violento, abortu, partu difficili &c. ex vitio verò ſanguinis procedit fluxus menſium immoderatus multiplici ratione. 1. igitur ſola ſanguinis quantitas & redundantia in toto corpore efficere poteſt ut magis turgeant vaſa uteri, & his etiam ſemel reſeratis, multò copioſiùs & diutiùs etiam idem ſanguis effluat, ita ut etiam copioſiori & diuturniori affluxu præter modum aperta, & ſic diu perſeverantia, vaſa nonniſi difficillimè rurſus coaleſcere poſſint, cùm præſertim novus perpetuò ſuccreſcat ſanguis ad exitum, unde immodicum fore fluxum neceſſe eſt; adde quod plethora ruptionem vaſorum facere poteſt, quòd ſi idem ſanguis particulis fermentativis validioribus & majori copia refertus fuerit; hinc quoque immodicam menſtrui ſanguinis excretionem promoveri ſequetur, quandiu durabit illa agitatio in ſanguine, vi cujus partes illius quædam ad menſtruam excretionem diſponuntur, tandiu fluxus hic perſeverabit, ſicut quandiu in ſanguine perſeverat agitatio, à catarctico quodam vehementiori inducta, tandiu durat excrementitiorum humorum rejectio; in eo etenim non aliud eſt diſcrimen niſi quòd in purgatione, hujus fermentationis beneficio particulæ tantùm quædam ex ſinu ſanguinis ad excretionem diſponuntur, in menſtruorum verò fluxu quæ à fermento menſtruo excitantur partes indiſcriminatim quæcumque ſanguinem componant, excernuntur, eadem & quantitas & qualitas fermenti menſtrui prout ſcilicet illud citiùs ea copia & ea vi cumulabitur in maſſa qua ad dictum fluxum excitandum opus eſt, erit cauſa quoque quod frequentiùs recurrat, quàm naturaliter fieri debeat, atque ob eam potiſſimum rationem, mulieres etiam naturaliter aliæ aliis ſolent frequentiùs repurgari, ſicut fermento deficiente, ut alibi dictum eſt, nullatenus deficiente copia ſanguinis, nec obſtantibus obſtructionibus idem etiam fluxus aliquando cohibetur. Tertiò acrimonia ſanguinis idem præſtare valet, acrioribus etenim ſalibus nimiùm onuſtus ſanguis occluſionem vaſorum impedit, aut multùm retardat, quorum apertione fluxus perennatur. Quarto tenuior etiam ſanguis & humore ſeroſo præter modum dilutus ac quocumque modo diſſolutus eundem fluxum diuturniorem valet efficere; in variolis, peſte, febre maligna, per dehiſcentia vaſorum ora perpetuo viam ſibi facit, unde illa etiam nonniſi difficillimè coaleſcere poſſunt.

Diagnoſi alia non indiget affectus hic ad ipſum diognoſcendum, quare hæc tota ad cauſarum diſtinctionem dirigenda eſt; ſic plethora ex ſignis ipſam indicantibus; ſi adſit, dignoſcetur à fermento aucto, ſi talis fluxus in puella aut mu-

muliere contingat crebrius ſolito & ſanguis exeat naturaliter ſe habens; ab acrimonia ſanguinis fluxum hunc oriri indicabunt ſigna ſi adſint, humorum ſalſorum & acrium in ſanguine redundantium, ſanguis nimia copia & cum ſenſu doloris affluens; ſanguis vero ſeroſus aut diſſolutus, ſi talis ſit per ſe ſatis apparebit rejectus; ſi ex vaſorum dilaceratione, ruptione procedat affectus, ex iis quæ præceſſerunt aut ægri relatu notum fiet.

Quod prognoſim ſpectat, cùm hæmorrhagia omnis copioſa & diuturna periculoſa ſit, hæc quoque periculo non vacat, unde majus tamen aut minus imminent pro ratione copiæ ſanguinis excreti & fluxus diuturnitate, ſtatu ægrotantis & ſymptomatis inde procedentibus.

Curatio etiam varia eſſe debet pro ratione cauſarum ſic & plures eædem à quacumque cauſa oriatur, indicationes occurrunt adimplendæ. Primo igitur revulſionis gratia præmiſſo clyſtere emolliente & refrigerante qui ſemper lenis eſſe debet, venæ ſectio brachii inſtituenda ſæpiùs repetita, cui ſuccedet lenis purgatio & ex adſtringentibus aut lenientibus, ut ſanguinis particulis quas continet impurioribus liberetur, deinde vero, modo vigeant ægrotantis vires, venæ ſectio etiam ſæpius repetatur, interim tamen adhibebuntur remedia quæ ad ſanguinem tenujorem incraſſandum, vel ejus agitationem ſi nimia ſit compeſcendam, ejuſve acrimoniam mitigandam, idonea ſunt, & quæ adſtrictoria virtute pollent; in hunc finem componuntur julepi & emulſiones ſero & manè exhibendi ex refrigerantibus, incraſſantibus & adſtringentibus ſimul compoſiti, juſcula quoque ex iiſdem plantis in eundem finem & ejuſdem generis remedia qualia ſunt bol. arm. terr. ſigill. & eorum trochiſci, thus maſtich. corall. margarit. præparat. & alia quæ præſcripſimus in curatione hæmoptoes; ſi à febre maligna, variolis, dependeat, præter adſtringentia & hæmorrhagiam inhibentia, adhibebuntur ea quæ in ſpecie hujuſmodi morbis convenire dicuntur, fieri poſſunt opiatæ pulveres aliæque compoſitiones quæ hìc etiam adhiberi poſſunt; præſtant autem ad omnem ſanguinis fluxum cohibendum, etiam ſuccus plantaginis aut millefol. exhibentur aut vel ſoli vel plures mixti vel ex iis cum ſaccharo decoctis conficitur ſyrupus præſtantiſſimus. Balneum etiam hìc uſitatiſſimum ſolet eſſe; ſive à fermentatione ſanguinis quam illud minuere valet, ſive ab acrimonia humorum quos illud mitigare ſolet oriatur affectus; ad uſum lactis demum ſi contumax ſit affectus recurrendum eſt, cujus beneficio ſanguis mitigabitur, & ab imminente tabe ægrotans immunis ſervabitur.

NOTA.

IN fluxu menſium immodico poſt venæ ſectiones, & leniora purgantia, exhibetur feliciter radicis hipecacuhanæ, de qua in Cap. de Dyſenteria, pulvis. Tum ad incraſſantia, adſtringentia, & conſolidantia vulneraria deveniendum, qualia ſunt, tinctura roſarum rubrarum & papaveris rhœados, cum aqua, & ſpir. ſulphuris guttis aliquot parata; gelatina, cornu cervi cum & ſine acidis, additis corallis, ebore, ſuccino, granis kermes &c. ichthyocolla, gummi arabicum eundem præſtant effectum ſive ſola, ſive addita pulveribus compoſitis ex corallis, terra catechu, ſuccino, maſtiche, alumine uſto, cornu cervi uſto, ſanguine draconis vero, oſſe ſæpiæ, lapid. ſpongiæ, balauſtiis &c. quibus opii momentum jungi interdum poteſt, ita ut ad grani unius quartam aut ſextam modò partem, pro doſi deveniatur.

Conveniunt item martialia; nec non ſucci & decocta plantarum adſtringentium ſpecificarum; ut ſunt urticæ, plantago, piloſella, pes cati, bellis, millefolium, prunellæ; & imprimis vulneraria agri Genevenſis, pyrola, alkimilla, ſanicula, hepatica ſtellata, veronica montana. Tandem lactis aſinini aut vaccini uſus, aut ſolius, aut ſuccis prædictis, & decocto chinæ & lentiſci permixti. Externè applicatur lumbis, pubi & perinæo unguentum Comitiſſæ; Item vapor

aceti ſuper ſcorias ferri ignitas effuſi, exceptus genitalibus. Huc facit & vapor aquæ calentis in qua bullierit piſcis ſalitus *Morua* dictus. Diætam quod ſpectat, utantur mulieres cibis euchymis, ad ſupplendam ſanguinis deperditionem, in primis ovorum vitellis, intermixtis gelatinis caponum, & extremitatum animalium, panatellis, hordeatis & cæteris ſanguini conſiſtentiam ſuam reddentibus, aut ejus ſalia inviſcantibus, Vinum rubrum auſterum multa aqua ferrata dilutum ſit pro potu ordinario.

CAPUT III.

De Furore Uterino.

SIcut dantur multæ melancholiæ ſpecies quæ differentias ſuas accipiunt à certis objectis certiſque cogitationibus quibus ægri addicti ſunt: Ita mania in genere quæ deſipientia eſt cum furore & ſine febre, in varias ſpecies diſtribui poteſt prout error mentis furorque in diverſa feruntur & à diverſis pendent abſurdis cogitationibus, talis eſt morbus qui *furor uterinus* dicitur, qui quamvis nomen ſuum ſortiatur ab utero à quo pendere utpote primario affecto plerique exiſtimant Medici, pertinet tamen potius ad cerebrum, ſicut & aliæ maniæ ſpecies, utpote quæ ab inordinato ſpirituum in cerebro motu, eo quo diximus in mania modo tanquam à cauſa immediata & proxima pendet, ut jam vidimus: adde quòd viri etiam ipſo morbo paribus ſtipato ſymptomatis tentari non ſemel viſi ſunt quod probat evidenter uterum in hoc affectu malè accuſari. Definiri poteſt delirium maniacum cum effrænato coeundi appetitu conjunctum, quo ægrotantes ſeu viri ſeu mulieres & puellæ abjecta omni verecundia, obſcœna & impudica verba loquuntur veneremque furioſè expetentes adſtantes ad eam invitant: varii ejus dantur gradus, ut de mania diximus pro temperamentorum diverſitate, ita ut qui ſalaces ſunt & calidi à nativa conſtitutione multò gravius afficiantur magiſque circa venerem inſaniant, qui verò frigidiores minuſque ſalaces remiſſiora patiuntur ſymptomata; quod etiam dependet ex cauſa morbum faciente minori, aut majori ipſius gravitate.

Cauſæ furoris uterini dicti non eſt ſeminis copia aut acrimonia in teſtibus & vaſis genitalibus ut Veteres putabant, quamquam enim eſſet ſemen quoddam in mulieribus, quod tamen hodie controvertitur, non videtur qua ratione turgentes ſemine partes genitales aut ſeminis acrimonia & ardore vellicatæ, delirium maniacum inducere poſſent & rationem de ſede ſua dejicere, quænam enim relatio inter copiam & ardorem ſeminis cum inordinatione ſpirituum in cerebro, in quo ratio formalis delirii conſiſtit; fateor quidem copiam aut acrimoniam ſeminis ad venerem excitare poſſe per titillationem aut diſtenſionem partium genitalium, quod quàm verum ſit experientia docet quotidiana, ſed non inde deduci delirium poteſt, nec inde videtur ratio ita perturbanda ut ideo modeſtia & verecundia quæ fœminis & puellis naturales ſunt omninò deleantur, quod ſi viduis, virginibus, aut ignavis maritis deſponſis morbus hic eſt magis familiaris, hoc non arguit cauſam ejus proximam eſſe ſeminis copiam aut acrimoniam in dictis ſubjectis magis communem, ſiquidem aut pollutione aut coitu, aut inedia, aut aliis modis ſemen abſumentibus, affectus ſanaretur, quod tamen non accidit, ſed hoc pendet occaſionaliter ex ideis atque cogitationibus quibus detinentur conſequenter ad diuturnam à venere abſtinentiam, quo ut ſpiritus deinde ab aliqua cauſa inordinationem in cerebro patientes magis apti ſunt ideam illam veneris exſuſcitare, ſicque maniam veneream inducere, cui operi ut ſuprà innuimus non parum conducit temperamentum acre, calidum & ſalax, ideæ veneris frequentiùs repetitæ, lectio librorum impudicorum, amaſiorum blanditiæ, abſentia amatæ perſonæ, edulia calidiora, ætas juvenalis.

Cau-

Cauſa itaque furoris uterini proxima non alia eſt quàm inordinatio ſpirituum animalium in cerebro ut in mania diximus, quæ inordinatio junctam habet ſpirituum animalium conſiſtentiam & qualitatem mutatam, hoc eſt ſpiritus in ſua mole craſſiores, & magis alkalinos ficque fortiores in cerebro concuſſiones, validioreſque in muſculis exploſionis, elicere aptos, cui inordinationi quia ſemper ut dictum eſt variæ veneris ideæ atque cogitationes ex multiplicibus cauſis procatarcticis ortæ conjunguntur, ad venerem potiùs actumque venereum furor quàm ad alia objecta terminatura, hinc eſt quòd obſcœna, impudica loquantur verba, laſcivos habeant oculos & aſpectum taciturnum, & mœſti interdum fiant, à rei venereæ commemoratione magis inſaniant, pulſuſque & reſpiratio tunc temporis alterantur, modò lachrimantur, modò rident, & inconcinnè loquuntur; ex tandem aucta cauſæ morbificæ gravitate furore percitæ mulieres, aut viri adſtantes ad coitum palam & coram omnibus invitant, quæ omnia ſymptomata, diagnoſim morbi facientia à phantaſmatis venereis in cerebro excuſſis dependent. Notandum quod huic morbo virgines potiùs, viduæ & ignavis deſponſæ magis obnoxiæ ſint quàm viri & adoleſcentes, quia imaginationem debiliorem habent & phantaſmatis veneris ſuſpiciendis magis aptam, intenſiùs enim amare ſolent quàm viri, amoris ſolicitudines difficiliùs ferunt.

Quod prognoſim attinet, morbus iſte curabilis eſt ſi maturè medela adhibeatur, ſi verò diutiùs perſeveret & morbus altas egerit radices, difficile curatur & in veram maniam degenerat; major affulget ſalutis ſpes, dum intervalla per quæ ſolet recurrere, (habet enim quaſi paroxyſmos & periodos) longiora ſunt aut non agitantur à rei commemoratione.

Curatio autem per multiplicis generis remedia perficitur, ac primò ut nihil dicam de remediis in curatione maniæ deſcriptis, quæ omnia in hoc morbo utpote maniæ ſpecie locum habere debent, quæque ex tali tractatu depromi poſſunt; conveniunt inſuper furori uterino ſummè refrigerantia, ut ſunt fol. & ſucc. lactuc. folia ſalicis, vitcis, nymphææ, portulac. ſemina quatuor frigid. major. ſem. papaver. alb. ex quibus emulſiones & julepi fieri poſſunt, ſerum ad plures dies uſurpatum, camphora, conſerva florum nymphææ, violar. agni caſti, caules lactucæ conditi, clyſteres primo acriores, deinde refrigerantes, injectiones quoque in uterum ex herbis refrigerantibus, cum ſale ſaturni, aut ex aqua hordei cum ſucco ſolani, ſempervivi, aut ex ſero lactis, congreſſus quoque ſi legitimè fieri poſſit, iſque ſæpius repetitus: & demum aperientia, ſi obſtructiones aut ſuppreſſiones menſium huic morbo occaſionem dederint.

NOTA.

His quæ habet hìc Clariſſimus Auctor pauca addi poſſunt inter quæ Sal Saturni, aqua caſtitatis Sennerti.

CAPUT IV.

De Paſſione Hyſterica.

Hujus morbi ideam tradidimus, dum in præcedentibus de melancholia egimus hypochondriaca, à qua tam parum differt ut Sylvius, imò & Vvilliſius pro uno ferè eodemque affectu habeant, quod faciunt non ſine ratione propter ſymptomatum ſimilitudinem; dicitur hyſterica ſeu uterina paſſio ex eo quod primi auctores qui de eo tractarunt morbo, putaverint ex utero primario affecto pendere, quamvis tamen mares ipſi ſimilibus incommoditatibus tentari non ſolùm teſtentur auctores graviſſimi, ſed experientia etiam pluries docuerit, morbus tamen ille mulieres viduas, virgines, fœminas quaſque frequentiùs prægnantes & puerperas, imò & quandoque vetulas quàm homines invadere ſolet, propter vitam ſedentariam

tariam & otioſam atque propter frigidos, pravos, imò & aliquando abſurdos quibus utuntur cibos, quo fit ut pravorum humorum congeſtioni in primis viis & cacochymiæ obnoxiæ magis ſint, atque etiam obſtructioni viſcerum, unde ſecretiones minus fiunt, ſicque ſanguis facilius inficitur & morbo producendo aptior fit, quam in hominibus qui exercitiis incumbentes, laboribus & vigiliis, non tantam copiam pravorum humorum nec tam citò accumulare poſſunt; uterus verò quamquam plerumque inſons in hyſterica paſſione, & ut autopſia patet poſt aperta hyſtericarum cadavera, in quibus nullum uteri vitium ſe ſe prodit, ac proinde primaria morbi origo & radix dici non debeat ſicut nec ſexcentarum ærumnarum ut ſcripſit Democritus Hippocrati, à culpa tamen ſemper non vendicari, etſi primaria morbi origo ex vitio ſanguinis & ſpirituum proveniat, non ab utero foveatur tamen & ſuſtentetur affectus per vitium in utero ſicut & in aliis viſceribus preſens, quod quàm verum ſit, probat lochiorum & menſium ſuppreſſio aut inſufficiens evacuatio quæ uterinæ paſſionis occaſionem plerumque dant, probant etiam remedia regioni uteri applicata aut in formam ſuffitus celebrata, quæ paroxyſmum hyſtericum ut plurimùm ſolvunt, adde quòd uterus ut pote in qua ſubſtantia laxus & ſpongioſus in his præſertim quæ utero geſtarunt, pravos humores accumulare facile poteſt, qui ſtagnando, adhuc magis depravantur ſanguinique pravam inducunt diatheſim, hyſterico effectui producendo parem, dum autem de affectu hyſterico agimus, non unum ſimplicem intelligimus morbum, ſed morborum iliada, hoc eſt talem effectum qui non ſolum ſuffocationem inducere ſolet, ſed etiam capitis dolores, vertigines, convulſivos motus, cordis palpitationes, borborygmos, ventriculi & inteſtinorum agitationes, reſpirationis difficultates, aut ejuſdem atque pulſus, imò & ſenſuum externorum internorumque abolitiones, ſingultum. Quæ omnia mala mulierum etiamſi à pluribus auctoribus diverſis proponantur capitibus, id quod ſuperfluum eſſe videtur, nos tantum uno paſſionis hyſtericæ nomine indigitamus, & uno capite comprehendimus ut pote quòd & eaſdem cauſas agnoſcant magis aut minùs intenſas, aut in variis corporis partibus accumulatas iiſdem etiam remediis curari debeant.

Notandum interim quòd non æquè gravis in omnibus eſt iſte morbus, neque iiſdem aut eodem ſymptomatum numero ſtipatus, aliquando aut ſuffocatio & reſpirationis læſio lenis eſt, aliquando ſenſus & mens vigent, aliquando perit ſenſus & motus & in terram cadunt epilepticorum inſtar, aliquando apparet in ore ſpuma, aliquando adſunt motus convulſivi in partes tantum internas, aliquando ad artus & externas partes propagantur, aliàs aboletur reſpiratio, aliàs difficile fit, aliàs pulſus apparet, aliàs inſenſilis eſt &c. idque pro materiæ morbificæ copia & gravitate ipſiuſque in varijs corporis partibus præſentia. Notandum etiam quod malum iſtud per paroxyſmos ut in præcedentibus de epilepſia dictum, recurrere ſolet, nunc breviores, nunc longiores, frequentiores tardioreſve, propter promptiorem aut tardiorem humorum morbum facientium accumulationem aut exaltationem, habent autem hujuſmodi humores aut particulæ in corpore humano, ſua digeſtionis, accumulationis atque exaltationis tempora, ut ex febribus intermittentibus, quæ ubi attigerunt, ſubitò & quaſi momento agunt, vel poſſunt latere tales humores in corpore, motu & agitatione deſtituti aut etiam intricati, donec à cauſa aliqua externa aut procatarctica agitentur & in actum deducantur; ex dictis quis non inferat morbi hujus naturam, ad melancholiam hypochondriacam & ſuffocationem ita accedere ut vix ab illa diſtinguatur? ita eſt & nemo ingenuus examinabit ſymptomata in utroque morbo ſuboriri ſolita, qui eadem in ſimiles

non

non refundat cauſas iiſdemque illa remediis non curanda fateatur. Sed mihi agere rectiùs adhuc videntur illi qui hyſtericam paſſionem ad epilepſiam referunt, cujus ſpeciem eſſe putant, idque non ſine ratione. Hyſterica paſſio igitur eſt affectus ſpirituum & nervoſi generis, ut patet ex ſymptomatis ab ipſa inferri ſolitis, ſymptomatis epilepſiæ quæ etiam per periodos recurrit non abſimilibus atque in primis & illo ſuffocationis atque ſtrangulationis ſenſu, qui nonniſi è convulſivo partium laringis pharingiſque motu pendere poteſt, ut videbimus.

Cauſa itaque paſſionis hyſtericæ immediata non eſt ſeminis aut ſanguinis menſtrui aut aliorum humorum in utero retentio, putrefactio, & corruptio, ut Veteres putant, quare enim non furorem uterinum generarent, qui humores malignam qualitatem acquirendo, halitus emittunt malignos in omnes corporis partes cum quibus uterus conſenſum habet deferendos, ſicque innumera ſymptomata inducere idoneos, præterquam quòd nulla eſt via per quam halitus illi ad omnes partes deferri poſſint; non poteſt explicari quomodo halitus illi qui merè flatus ſunt, ſuffocationem, ſingultum, cordis palpitationem, rationis & ſenſuum abolitionem, alioſque motus convulſivos ſpirituum inordinatos inducere poſſint: nec ſufficit dicere malignas eſſe niſi explicetur in quo ſita ſit talis malignitas, præterea ſi feminis & ſanguinis menſtrui retentio, quamquam de ſemine in mulieribus exiſtente non conſtat, talis morbi cauſa prima eſſet, ſequeretur inde quòd nulla eſſet menſium ſuppreſſio quam hyſterica paſſio non ſubſequeretur, quod tamen falſum eſſe experientia docet, item & Moniales atque pudicæ virgines propter abſtinentiam à venere, & per conſequens feminis retentionem, magis quam aliæ hyſterica paſſione tentarentur quòd tamen contra accidit; adde quòd ex hyſtericis mulieribus pleræque periodicè & exactè patiantur menſtruas purgationes, multæ quoque coitu frequentiùs utantur; in illis ergo feminis aut ſanguinis menſtrui retentio morbi cauſa eſſe non poteſt.

Taceo rationes ſuperiùs allatas nempe quòd mares huic morbo obnoxios eſſe experientia teſtetur, item & uterum plerumque in defunctis illæſum & ſine ullo vitio inventum fuiſſe, quæ omnia apertè declarant immediatam hyſtericæ paſſionis cauſam non eſſe retentionem humorum jam dictorum, quamquam ut ſuprà dictum eſt, ubi aliunde adeſt ea ſanguinis conſtitutio quæ hunc morbum inducere apta eſt, dictorum humorum aliorumve retentio in utero & diuturna mora ad hunc morbum diſponere poſſit, tunc enim illi humores retenti, ſe habent uti cauſæ occaſionales non ſecus ac hæmorrhoides in hypochondriaco retentæ quæ fluere periodicè ſolitæ ſunt.

Cauſa autem vera ac legitima eaque immediata & proxima ſi morbus de genere epilepticorum ſit, ut nemo dubitare poteſt, non alia eſſe poteſt quàm ſanguinis conſtitutio acida & auſtera qualis melancholicis huic morbo obnoxiis præprimis, item hypochondriacis eſſe ſolet, unde Sylvius &c. quæ tantopere motus convulſivos ob heterogeneitatem quam cum ſpiritibus qui ſunt ſalino-volatiles, habent, ſufficienter dictum fuit, in melancholia hypochondriaca & in tractatu de convulſione & epilepſia, dum enim ſanguis particulis ſpiritibus heterogeneis nimis refertus eſt, illæ vel unà cum ſpiritibus in cerebro tranſcolantur, vel immediatè à ſanguine in partes deponuntur, ubi ſpiritibus occurrentes illos in exploſiones præternaturales & inordinationes cient, unde vertigines, cordis palpitationes, reſpirationis difficultates, dolores capitis, ventriculi, inteſtinorum motus contractivi, reſpirationis abolitio propter convulſionem diaphragmatis &c. murmuræ verò illa & ſtrepitus in abdomine editi proveniunt non ſolùm ex agitatione inteſtinorum, ſed etiam ex variis humoribus conſequenter ad illos motus expreſſis, ſucco putà pancreatico & bile aut aliis ex arteriis in inteſtinorum cavitatem

tate deplentibus, & propter heterogeneitatem acidam & alcalinam effervescentibus, quia igitur hìc redeunt phenomenon & symptomatum eædem ac in melancholiæ hypochondriacæ & epilepsiæ tractatu factæ explicationes, ad hæc duo capita vos dimitto, ubi fusam omnium quæ in hysterica passione & melancholia hypochondriaca & epilepsia contingere solent, accidentium, expositionem & explicationem invenietis. Duo sunt hystericæ passioni maximè propria quæ peculiari indigent explicatione, nempe strangulationis & suffocationis sensus in gutture quem plures ex Veteribus deducunt ex uteri ascensu, ventriculum, diaphragma, pulmonesque comprimentis, quod certè Anatomiæ repugnat, neque uterus ligamentis firmatus adeò ascendere potest, & quamvis Fernelius asserat, se eum tetigisse circa umbilicum & in locum suum restituisse; parcat nobis si ejus verbis non credamus, potuit enim facilè decipi per flatus in intestinis excurrentes; quod verò dicit Sennertus, non magis est probabile, testes enim seu ovaria mulierum, quæ ipse ascendere & non uterum putat, fixi sunt à lateribus matricis, nec inde ita facilè dimoveri possunt ut ad umbilicum aut altiùs ferantur, quare satius est credere, ut in melancholia hypochondriaca dictum est, hujusmodi suffocationem cùm in maribus sicut fœmellis adveniat, inordinatione spirituum à ventriculo per œsophagum ad laryngis aut pharyngis musculos excurrente, & musculos illos convellente pendere, unde sequitur aeris meatus occlusio. Alterum symptoma est respirationis ad plures dies abolitio, tamen citra ægrotantis mortem, hoc deducit Galenus ex eo quòd non ita moveantur & cor refrigeretur in illo casu, ac proinde non adsit respirationis necessitas, quæ respiratio si vigente motu & calore impediretur, certè mors succederet, quia tunc necessaria est; hæc ratio finalis est; nos verò physicam dabimus, si itaque respiratio aboleatur hoc pendet à convulsione diaphragmatis versus inferiora descendentis & in tali statu perseverantis, in quo statu quia costæ quibus alligatur, elevantur, earum concidentiam & digressionem aliquo modo impedit; manent verò hystericæ in tali statu citra mortem, quia dilatata pectoris capacitate pulmones aere inflari debent, qui aer quia nitrosis in pulmone spoliatur particulis ejus gravitatem augentibus levior fit, unde præ sui levitate ascendit per tracheam, dum alius gravior ab extrinseco proveniens per gravitatem suam descendit unde fit continuus aeris assensus & descensus per quem quamvis ea aerei nitri copia non suppeditetur ad motus edendos intensos, sufficiens tamen est ad lenem sanguinis attenuationem lenemque cordis systolem, ac proinde vitam sustentandam; pulsus imminutus, & vix sensilis qui simul cum respiratione abolita fecit aliquando ut hystericæ pro mortuis habitæ sint, & sepultæ, cum tamen postea revixerint, ex debili admodum cordis systole dependet, aut propter aerei nitri defectum, quod ad motum ejus non parum confert, ut pluries innuimus.

Morbus iste ut ut ex jam dictis satis dignosci possit; tamen ejus diagnosim illustrabimus magis, si ea quæ eum imminentem atque ingravescentem ostendunt afferemus. In prima classe sunt murmur in abdomine, tensio & pulsatio in lumbis, & hypochondriis, ructus, nauseæ, oscitationes, pandiculationes. In secunda strangulationis sensus prædictus & suffocatio quasi globus deglutiretur, respiratio intercepta, actionum vitalium & animalium depravatio & imminuti aut abolitio, hinc deliria, convulsiones in facie & artubus, nonnumquam in toto corpore, pectoris aliquando agitatio, oculorum inversio, facultatum cerebri præcipuarum abolitio, pulsus obscurus & insensilis aliaque quorum explicatio aut ex jam dictis haberi potest, aut ex iis quæ in epilepsiæ & melancholiæ hypochondriacæ tractatu relata sunt deduci, declinante verò paroxysmo hysterico, humor quidam plerumque è locis muliebribus exibit propter

pter factas in utero ſicut in aliis partibus convulſivis conſtrictiones, genæ rubore ſuffunduntur quæ ante pallidæ erant ob auctum magis cordis motum, oculi attolluntur, actiones animales reſtituuntur, quia ceſſat ſpirituum inordinatio, atque etiam propter eandem rationem abolitæ animæ facultates redintegrantur, corpus anteà plerumque frigidum incaleſcit, reſpiratio minùs lædit & defectus aeris prægreſſus magnis inſpirationibus, atque profundis ſuſpiriis compenſatur, & ſic ad ſe redit ægrotans. A ſyncope diſtinguitur hic affectus, primò per durationem quia parum durat ſyncope, diutius verò ad unum nempe diem vel plures horas imò aliquando ad plures dies hyſterica paſſio, ſecundò ſyncope derepente invadit, nec habet ſymptomata præeuntia eadem quæ hyſterica paſſio; tertiò major pallor in ſyncope laborantibus quàm in hyſtericis in quibus adeſt aliquando rubor; quartò eſt ſudor frigidus in ſyncope, non in iſto morbo; quintò pulſus totaliter ſemper aboletur in ſyncope, imminuiturque plerumque tantùm in hyſterica paſſione; ab apoplexia verò diſcrepat quòd partes non ſint ita reſolutæ, neque ſenſus tactus ita abolitus, dum enim punguntur, & vellicantur ſentiunt, quòd non adſit ſtertor continuus, pulſus imminuatur, aut depravetur qui in apoplexia plerumque typum ſervat, atque etiam per murmura, borborygmos, motus convulſivos internarum & externarum partium aliaque ſymptomata præcedentia, aut concomitantia, quæ omnia in apoplexia non ſe produnt, quòd ſi uterinæ paſſioni ſyncope jungatur, aut apoplexia ſuperveniat certè difficilè tunc ab his morbis dignoſci poteſt, denique hujus morbi certam diagnoſim, aut ab aliis diſtinctionem, ſyncope nempe & apoplexia, faciunt ſequentia ſigna, ſi nempè paroxyſmis hyſtericis antea obnoxia fuerit ægra, & ſi fœtidis naribus admotis, aliiſque fortiùs vellicantibus juvetur, ſuave olentibus verò augeatur, acceleretur & exaſperetur, adeſt enim, ut in melancholicis hypochondriacis diximus, in odoris, & ſuavibus ſulphur admodum volatile, & tenue ſali ejuſdem naturæ combinatum, quod dum in nares & corpus penetrat, ſeu uterum & pudendum propter mobilitatem ſuam ſpiritibus tumultum accerſere valet; fœtida verò habent ſulphur craſſum ſale acuatum quod magis ligat & intricat, ſpiritus autem ratione irritationis naribus inductæ ſpirituum inordinationem ſedare poteſt ut ea omnia quæ dolorem, & irritationem inducere apta ſunt. Ab epilepſia malè ab auctoribus diſtinguitur hujuſmodi morbus ſicut & à melancholia hypochondriaca; ſiquidem ut ex dictis conſtat adeò affines ſunt, & congeneres affectus ut eaſdem prorſus cauſas agnoſcant, iiſdem curentur remediis; epilepſia tamen propriè dicta, magis univerſalis eſſe ſolet, ut plurimum partes externas, & artus convellat; hyſterica verò paſſio ſæpiùs tantùm partes internas invadit; in epilepſia ſpuma ſemper in ore apparet, rariùs in hyſterico affectu, quæ differentiæ merè accidentales ſunt; neque enim hi affectus ſpecie differunt. Proponit Riverius ſigna quibus hyſtericæ à mortuis diſtinguuntur, idque non ſine ratione, ſiquidem, ut diximus ſuperiùs, pro mortuis aliquando habitæ ſepulturæ mandatæ ſunt, ut teſtantur hiſtoriæ, undè cautum eſt ut non ante tertium diem, aut quartum & dum fœtere incipiunt, ſepeliantur, an ergò mortuæ ſint, explorant alii, lanam carptam, vel plumas, vel papyrum combuſtum ori admovendo, quæ ſi moveantur, ægram adhuc ſpirare ſignificant, alii cyathum plenum imponunt pectori, qui ſi paulò agitetur, aliquam thoracis dilatationem & motum oſtendit, alii ſpeculum bene terſum ori apponunt, quod ſi inficiatur, adhuc ſignum eſt vivere ægrotantem.

Cauſas hujus morbi externas procatarcticas non eſt ut referamus; petuntur enim ex nonnaturalibus malè uſurpatis, atque eædem ſunt quæ in melancholia hypochondriaca recenſitæ fuerunt.

Quod prognoſim ſpectat, raro hic affectus perimit ægrotantes aliquando tamen eas de medio tollit dum nempe paro-

paroxysmus intensus est, & diutius protractus, aut apoplexiam, & syncopem sibi adjungit, ex pluribus hystericæ passionis gradibus ille deterior est in quo plures partes convelluntur, & mentis, & sensuum exercitium interrumpitur, levior verò ille in quo mens non læditur, aut aboletur, & una tantùm, aut altera pars convellitur, vigentibus præsertim functionibus vitalibus, in senioribus vix curationem recipit quia jam habitum contraxit, in juvenibus aliquando ætatis mutatione, aut quando parere incipiunt, sponte cessat; prægnantibus, & puerperis periculosus est paroxysmus hystericus, in illis quidem propter metum abortus, in istis propter virium debilitatem à partu illatam, sternutatio superveniens hystericæ bona, inquit Hippocrates, quia hoc denotat diaphragma à tensione sua, & depressione desistere, & sic non ita impedire respirationem.

Duplicem curationem requirit hysterica passio ut de epilepsia dictum est, unam in paroxysmo, dum præsertim intensior est diutiùs perseverans & gravior, alteram verò extra paroxysmum, in paroxysmo itaque debent fieri frictiones fortes in partibus inferioribus, cucurbitulæ scarificatæ dorso apponendæ, & citra scarificationem coxis; avulsiones pilorum commendantur, contorsiones digitorum, inclamationes fœtida naribus admota, galbanum, assa fœtida, plumæ, coria usta, sulphur accensum, fumus tabaci, rutæ; sternutatoria quoque acria ex elleboro, euphorbio; clysteres acres injiciendi ex decoct. matricar. artemis. rutæ, puleg. mercurial. cum seminib. calidis, addendo diaphœnicum, pulpam colocynth. benedict. lavativam, imò, & vinum emeticum ore exhiberi possunt potiones ex emetico, castor. ejus tinctura, laudanum, syrup. narcotic. camphora, venæ sectio quoque, quicquid dicant nonnulli, tutò celebrari potest, si nempè motus cordis non fatiscat, & facies rubicunda appareat, aqua nympha, & bardan. in julepis, fumus ex verrucis tibiis equorum adnascentibus in furno exsiccatis, & pulveratis naribus exceptus, specificum habetur in paroxysmo hysterico; emplastra verò, olea aliaque externa abdomini imposita, nullum aut minimum præstant effectum, suffumigia verò per vulvam excepta majorem præstant effectum atque potissimùm ex fœtidis & sulphureis spiritus ligantibus, cavendum tamen in prægnante ne fortiora remedia præscribantur; cavendum quoque in puerpera ne vires magis dejiciantur. Extra paroxysmum eadem prorsus huic morbo debetur curatio ac epilepsiæ, & melancholiæ hypochondriacæ quam proinde hìc non reperimus: Observandum tamen therm. sulphur. ut sunt Balleruca-næ, item pilul. fœtid. usus aquæ hysteric. in variis pharmacopœis præscriptæ, imò & antipilepticæ, bryon. rad. decoct. vitriol. mart. cremor. tartar. multum commendantur, aliaque multa specifica dicta quæ videri possunt apud auctores, interim si morbus foveatur per obstructiones, lochia suppressa, per remedia propria his occurrendum.

NOTA.

CUm in eadem sententia cum clariss. Auctore simus, suffocationem nempe uteri dictam inter affectus convulsivos & hypochondriacos referri debere, non est quòd multa hìc adnotemus. Videantur supra capita de convulsione & affectione hypochondriaca seu melancholia. Legantur & quæ de Apoplexiâ aliisque affectibus soporosis dicta sunt, siquidem exinde excitatoria & alia remedia quæ in suffocationis uterinæ paroxysmo usurpantur, peti poterunt.

CAPUT

CAPUT V.

De Inflammatione Uteri.

POſt hyſtericam paſſionem de qua nunc actum eſt, ſecundùm ordinem Riverii, ſequitur uteri inflammatio, abſceſſus, ulcus, & ſcirrhus quia hujuſmodi morbi non difficilem habent aitiologiam, nec abſimilem fiendi rationem, diverſaſve cauſas, imò & eandem planè curandi methodum expetunt ac ventriculi, hepatis, renum, veſicæ, aliarumque partium inflammationes, abſceſſus, ulcera &c. de quibus in præcedentibus fuſiùs diſſeruimus; actum iterum agere videremur ſi in eorum natura & cauſis afferendis immoraremur; quare ſufficiat in præſentiarum horum affectuum diagnoſtica quæ peculiaria ſunt proponere, & aliquid quod antea non dictum eſt circa prognoſim aut curationem hìc annotare.

Signa ergo uteri inflammationem deſignantia ſunt, tumor, dolor, & calor in regione uteri, hoc eſt hypogaſtrica, quæ omnia proveniunt ex inflammatione ſeu phlogoſi in uteri ſubſtantia facta uteri membranas diſtendente, elevante & calefaciente, prætereà in his quæ patiuntur menſtruas purgationes, adeſt menſium ſuppreſſio aut diminutio, eo ſcilicet tempore quo fluere debent, inflammatio advenit, quod provenit ex uteri à ſanguine extravaſato infarctu & obſtructione, ratione cujus ſanguis per vias ſolitas evacuari non poteſt liberè, adeſt quoque ſanguinis menſtrui minor copia, excreti evacuatio dolorifica propterea quòd uterus dum in eo excernendo paulò conſtringitur, partem ſui inflammatam comprimit ſicque dolorem auget, interdum ſanguis non excernitur ſed ichores quidam putridi ſeu ſeroſitates propter obſtructionem quæ permittit tantùm tenuiorum humorum tranſitum: adeſt ſimiliter febris propter rationes in præcedentibus relatas; ſi totus uterus laboret, omnia ſymptomata erunt vehementiora: ſi inflammatio uteri cervicem occupet, dolor & calor magis ad pudendum extenduntur; ſi anteriorem matricis partem, veſica in conſenſum trahitur, ſi poſteriorem rectum inteſtinum magis laborabit, eſt enim uterus medius inter veſicam & rectum inteſtinum; ſi dextram aut ſiniſtram, tumor & dolor ad alterutrum inguen porrigitur & gravitas quædam in crure præſentitur: ſi tandem reſpiratio magis læditur, propter diaphragmatis deſcenſum impeditum; ſi inflammatio ſuppuretur, dolor & febris augebuntur & horrores fient & alia omnia ſymptomata intendentur, ſuppuratione facta & per conſequens abſceſſu, omnia ſymptomata miteſcent propter ceſſatam in parte fermentationem, & infimi ventris tumor non ita renitens erit; ſi verò per viam reſolutionis ſine ſuppuratione ſolvatur morbus, tunc, ſymptomatibus ſenſim minuentibus tumor ſucceſſivè minuetur & febris ceſſabit; ſi denique in ſcirrhum degeneret, inflammatio, febris, dolor & reliqua ſymptomata ceſſabunt: tumore perſeverante & magis indureſcente, tum etiam pondus & gravitas permanebunt in utero. Inteſtini recti & veſicæ inflammatio ab uteri inflammatione diſtinguuntur per propria ſigna, præcipuè tamen per urinas & fæces & variam & multò magis difficilem eorum excretionem. Antequam ad prognoſim veniamus innuendum eſt priùs, morbum iſtum propter cauſas internas & externas quas cum aliis inflammationibus communes habet, alias procatarcticas ſibi proprias agnoſcere, nempe coitum immoderatum, peſſaria acriora, partum laborioſum, abortum, geſtationem fœtus moleſtam, contrectationem violentam à manu obſtetricis, menſium ſuppreſſionem, cucurbitulas pubis regioni applicatas, illa enim omnia ſanguinis fluxum versùs uterum promovere apta ſunt aut eundem in uteri ſubſtantia retinere.

Prognoſim quod ſpectat, periculoſiſſimus eſt morbus & plerumque lethalis, magis tamen aut minùs pro morbi magnitudine, cauſæ, & ſymptomatum; ſi totus uterus inflammetur peſſimi ominis eſt,

eſt, item, & ſi gradivæ advenerit inflammatio uteri, mala etiam dici debet ex eo quod in gangrænam facilè degeneret, quia ſanguis ibi ſtagnare, & hærere non aptus eſt propter laxitatem uteri, qui eſt veluti cloaca, & ſentina pravorum humorum, qui calorem nativum, & fermentationem ſanguinis ſuffocant, & extinguunt prætereà ſuperveniunt plerumque imò, & ſæpiùs in hoc morbo quàm aliis inflammationibus deliria, convulſiones propter pravorum humorum ad cerebrum, & muſculos delationem, quæ periculum multum augent. Extremorum autem frigiditas, ſudor frigidus mortem brevi adventuram deſignant; dum inflammatio ſuppuratur, abſceſſus ſperandus qui dum aperitur ulcus generat per puris effluxum, pus verò effluit vel interiùs in cavitatem uteri, quod melius eſt, quia è corpore evacuatur, vel exteriùs in infimi ventris cavitatem, quod pejus eſt, quia materia retinetur, tunc autem expectanda primò tabes, deinde mors, cum præſertim ulcus magnum eſt, quæ plerumque non adveniunt, abſceſſu verſùs uteri cavitatem aperto, quia tunc & materia evacuatur & per injectiones facilè detergi poteſt.

Curatio eadem eſt, quæ in aliis inflammationibus cum hoc tamen diſcrimine ut hìc frequentiùs clyſteres refrigerantes imò, & ex oxycrato injiciantur propter vicinitatem recti cum utero, ut etiam venæ ſectio ex brachio potiùs quàm ex pede inſtituatur, ut injectiones refrigerantes fiant per ſyringam metrenchytem dictam, ſi hoc facilè fieri poſſit, ut vomitoria non præſcribantur, quia morbum exaſperant, peſſaria verò quæ præſcribit Riverius, non valdè probantur, quia potiùs humorum fluxum verſùs uterum promovent quam impediunt.

CAPUT VI.

De Abſceſſu Uteri.

SUppuratio ſi fiat in utero juvanda, ut de abſceſſu iis partibus hepati nempe, ventriculo ſuccedentibus dictum eſt, emplaſtris, cataplaſmatibus foris emollientibus cujus ruptio ſi non fiat, promovenda, ſi hoc ſine damno fieri poſſit per ſternutationem, motum corporis &c. & tunc ulcus excitatur de quo jam &c.

CAPUT VII.

De Fluore albo ſive Muliebri.

MOrbus iſte ſatis ſuperque per ſuum nomen ſe ſe manifeſtat; nihil aliud quippe eſt quam humorum excrementitiorum ſanguinis colore minus tinctorum eorumque pituitoſorum aut ſeroſorum per loca muliebria fluxus, qui vel continuus eſt & indeſinens, vel per vices & intervalla, inordinatè tamen & ſine ullo circuitu recurrere ſolitus; illi autem humores qui excernuntur quanquam ſeroſi ſint & rubro colore perfuſi variant tamen plerumque in colore; modò enim ſunt albi ſero lactis aut cremori hordei perſimiles, modò pallidi, flavi & virides, dum ſcilicet bilis magis aut minùs exaltata in ipſis diluitur; item & modò acres & erodentes hoc eſt ſalibus nimiùm imprægnati ita ut partes uteri inter fluendum exulcerent, modò mites & blandi, modò fœtentes & graveolentes, modò nullo odore moleſti: affectui illi fœminæ adultiores & maturæ ætatis magis obnoxiæ ſunt quàm puellæ & virgines quæ tamen ab hoc morbo liberæ non ſunt, quamvis rariùs ſolent tentari eo, ratio verò cur fœminæ aut adulteriores aut nuptæ fluorem album magis quàm aliæ pati ſoleant, hoc fit propter uteri laxitatem & vaſorum amplitudinem, ratione cujus humores verſùs hanc partem majori copia deferuntur, aut delati magis ſtagnare apti ſunt, quòd ita facilè non advenit in

puel-

puellis & virginibus junioribus propter tonum uteri firmiorem & anguſtiora partis illius vaſa quanquam hoc aliquando contingere poſſe obſervationes Auctorum teſtantur ; ſunt qui exiſtimant humores illos per uterum excretos, eò quod plerumque albeſcant , chylum eſſe per arterias in uteri corpus deductum , qui deinde per ipſius ſubſtantiam , per glandulas quibus contexitur , filtratur & ſecernitur quemadmodum fieri ſolet , cujus rationem deducunt non ſolùm ex humorum excretione vel colore , verùm etiam ex eò quòd dum fœtus in utero concluditur per uteri corpus & placentam uterinam dictam ſimilis tranſcoletur humor , iſque albugineus qui colliquamentum dicitur & fœtui in nutrimentum faceſcit , ſed profectò illa hypotheſis ſuſtineri non poteſt propterea quod fluor albus non niſi malè conſtitutas & omnes cacochymicas invadere ſoleat mulieres : atque etiam eo durante non contabeſcant ægrotantes , quod tamen contingere deberet ; adde quòd ex colore inferri non poteſt chylum eſſe , plerumque enim palleſcit humor excretus , vireſcit , imò etiam fœtet & acris eſt , quod de chylo nemo dicat ; inſuper glandulæ uterinæ chylum à ſanguine aut materiam chyloſam nonniſi in graviditate ſeparare poſſunt , idque mediante placenta uterina ; ſi enim citra gravitatem , humorem eum ſecernerent, quare non ſemper ? Qui humores in fluore albo excretos pus eſſe exiſtimant , non minùs decipiuntur , pus enim nonniſi à parte ulcerata provenire poteſt , pus enim ex ſanguine extravaſato generatur , ut ſciunt omnes ; attamen nulla exulceratio, nullum ulcus in hoc affectu uterum occupat : Sunt demùm qui putant humores illos modò à toto corpore, modò ab aliqua parte principali nempè cerebro , ventriculo , liene , hepate &c. in uterum demandari , ſed cùm nulla via ſit à partibus ad partes , & quicunque humores in aliquam incumbunt partem ex ſola ſanguinis maſſa deriventur , non alia eſt talium humorum quærenda origo quàm ipſe ſanguis , qui quidem in hoc affectu naturaliter non ſe habet , ſed ſeroſus eſt & cacochymus & in partibus præſertim utero qui ſentina eſt totius corporis propter ejus laxitatem & ſpongioſam ſubſtantiam ſtagnare aptus , ſanguis cum particulis activis volatilibus & fermentationem illam periodicam humorum ex qua menſtrua ſequitur purgatio excitare ſolitis , caret , non poteſt vias ſolitas in utero ſufficienter reſerare & aperire , unde quod ſeroſius eſt & magis tenue elabitur tantùm , eò magis quòd uterus infarctus liberum ſanguinis ab arteriis in venas tranſitum non permittit , unde quod tenue eſt , exiliat neceſſe eſt atque tranſudet , quod quia lympham in ſe aut bilem admixtam & diſſolutam habet , modò ſubalbidum , dum præſertim in utero per moram paulò inſpiſſatur , modò viride aut flavum apparet ; ſi verò ſalibus nimis refertum ſit aut bile acriori , propter ſanguinem iis redundantem , acrimoniam acquirit ; atque etiam fœtorem ; ſi ob diuturnam moram putredinem contrahat ſicut muco narium contingere ſolet .

Cauſæ externæ & procatarcticæ quæ huic morbo occaſionem dare poſſunt , ſunt ea omnia quæ ſanguinem cacochymum eumque effœtum generare ſolent atque etiam uterum in ſuo tono valde relaxare , talia ſunt refrigerantia atque fructuum nimium uſus , deficiens ventriculi coctio , viſcerum obſtructio , debilitas uteri , agitatione , partu laborioſo , abortu , contuſione , aer frigidus utero ſuſceptus , vita ſedentaria , & otioſa atque ob eam cauſam ruſticæ mulieres , quæ exercitiis indulgent minùs hoc morbo, quàm aliæ affliguntur : dignoſcitur hic affectus non ſolùm ex ſeipſo atque ex humore per vulvam excreto , ſed etiam per varia quæ eum conſequuntur ſymptomata , pallorem faciei , appetitus dejectionem , ſpirandi difficultatem, virium dejectionem, oculorum tumorem & inflammationem, laſſitudinem &c. quæ omnia agnoſcunt eas dem cauſas quæ in chloroſi & menſium ſuppreſſione relatæ ſunt, quaſque hìc repe-

petere nolumus ; præterea distinguitur fluor albus à consimilibus morbis nempe ulcere uteri, aut vaginæ atque gonorrhæa non solùm per propria hos morbos designantia signa inferiùs afferenda, sed etiam ex eo quòd pus quod in his morbis rejicitur, in minori sit copia, crassius, longioribus fluat intervallis; interdum filamentis sanguineis, aut sanguine profundatur, cum doloris sensu exeat, atque etiam ex eo quòd in iis casibus mulieres coitum non admittant nisi cum molestia, quæ omnia secus adveniunt in fluore albo.

Hic affectus lethalis non est nec per consequens valde periculosus, contumax tamen est & curatu difficillimus propter sanguinis dyscrasiam, quæ subitò corrigi nequit atque viscerum & uteri obstructionem, & labefactationem. Recens faciliùs curatur quàm inveteratus, qui graviores plerumque inducit morbos, uteri nempe procidentiam, cachexiam, hydropem, tabem, sterilitatem ; si humor fluens sit fœtidus pejoris est ominis, quia humorum majorem denotat corruptionem, item & si ita acris ut partes exulceret per quas rejicitur.

Curationem quòd spectat, ea non dissimili remediorum apparatu instituitur ac in chlorosi, & mensium suppressione ; adhibentur enim primò ratione cacochymiæ purgantia, ratione obstructionum aperientia, & attenuantia, & ratione virium debilium omniumque actionum in hoc morbo fatiscentium corroborantia, spirituosa, & volatilia. Quoad venæ sectionem ea tum propter debilitatem virium, tum propter sanguinem cacochymia potiùs quàm plethoria peccantem non convenire videtur ; apozemata igitur, aperientia & purgantia in curatione obstructionum, hydropis, melancholiæ, hìc usurpari poterunt, jusculà item ex radicibus aromaticis, radicibus aperientibus cum salibus fixis atque volatilibus, confect. roborant. theriac. crocus, mixtur. spirituos. & liquores atque spiritus volatiles, fulig. sal. ammon. vel sanguinis humani, urinæ &c. decocta sudorifera, interpositis semper purgationibus ex pilulis de hiera, resin. jalap. pulv. jalap. pulvere diacarthami, rhabarbar. agerici, senn. aut in formam boli, aut potionis, opiata quoque chalybeata aliæque chalybis præparationes non sine utilitate usurpantur ; therm. sulphur. tum extrinsecus adhibitæ, balneum ex decoct. aromat. suffitus totius corporis ex aqua vitæ vel vino calido, aut in quo lateres igniti injecti fuerint, vel ex decocto scoriarum reguli antimonii : Denique aquæ minerales curationem absolvunt, aut serum lactis, cum fumaria, absynthio, caustica tibiæ admota, frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ, & alia quæ refert Riverius, nullius sunt utilitatis ; attamen stomachus qui plerumque in vitio est, utpote qui ob defectum chylosos, succum crudum morbum facientem sanguini suppeditat, propriis remediis corrobari debet, & ex eo stagnantes humores evacuari, idcirco vomitoria cùm vires, & ægræ constitutio permittunt non sine fructu præscribuntur tum ex aqua tepida, aut sale vitrioli, tum ex antimonialibus, in dosi appropriata, vomitorii ergo exhibitionem consequi debent stomachum roborantia, vinum absynthites, opiata Salomonis, pulveres digestivi, conserv. rosar. cynorrhodon. cortex citri, myrobalan. conditæ, corall. margarit. &c. decoct. folior. quercus cum coagulo leporum ad ℥. j. laudat in hoc affectu Mercurialis quo multas mulieres se curasse affirmat ; alii addunt etiam adstringentia dum humores serosi majori copia fluunt; Topica quod spectat, hìc conveniunt fotus ex herbar. aperient. & calid. decoct. aut vino solo, injectiones quoque ex vino & herbis attenuantibus in vino decoctis ; ex aqua hordei, decoct. absynth. matric. artemis. &c. supra dictis, suffitu atque etiam ex thure, cinnabari; quoad victus rationem ea instituatur ex cibis euchymis & tenuibus, vitando crassos, crudos, & indigestos; in potu vinum convenit tenue, aut aqua chalybeata.

NO-

NOTA.

FLuorem *album* ſeu *muliebrem* videtur confundere auctor noſter cum *menſibus decoloratis*; & ferè omnia quæ tam ad diagnoſim quàm ad curationem affectus prioris affert, poſteriori conveniunt. Fluor albus *Gonorrhœa muliebris notha* quibuſdam dicitur, ad diſtinctionem *Gonorrhœæ veræ*, ſeu profluvii perpetui, aut ſaltem frequentioris, humoris illius quem mulieres in coitu excernunt, quod iterum diſtinguitur in *benignum*, & *malignum* ſeu *venereum*. Gonorrhœa notha & vera hoc habent commune quòd latex in utraque effundi ſolitus à glandulis uteri & partium annexarum pariter ſtillet, cum hac tantùm differentia, quòd in Gonorrhœa vera eæ ſolæ glandulæ aperiri videantur quæ circa orificium uteri internum occurrunt, quæque virorum proſtatis analogæ, per lacunas ſeu cœcos meatus ad pudendi extrema hiantes, exonerantur; in Gonorrhœa verò notha, aliæ omnes glandulæ tum in tota uteri tunica interiori, tum in ipſa vagina inſertæ, afficiantur, affluentis nimirum lymphæ copia aut acredine diſtendantur, laxentur, tonum ſuum amittant, ſtimulentur, purgentur aut etiam leviùs erodantur.

De Gonorrhœa vera plura forſan in tractatu de morbis venereis afferemus. Gonorrhœam notham quod ſpectat ejus materia ab uteri ſinubus celeberrimo Malpighio deſcriptis, vaſiſque lymphaticis, glandulis de quibus modò, immediatè ſuppeditatur. Arteriæ verò ſunt fons primarius ex quo derivat materia illa, quæ nihil aliud eſt quàm ſanguinis pars ſeroſa, crudior & chyloſa, cui bilis & aliorum imò & ſalium portio miſcetur. Hoc profluvium à decoloratis eo nomine differt quòd non menſium modò tempore, ſed indeſinenter accidat & duret; idque interdum tanta copia ut hydrops, & tabes immedicabilis inde ſequantur.

Curatio itaque affectus iſtius tota eò dirigi debet ut ſeroſæ colluviei pars expurgetur & ab utero avertatur tum ut chylificationis vitia prima morbi occaſio, corrigantur, ſanguinis craſis emendetur, ipſique debita reddatur conſiſtentia, tandem ut glandulæ uteri aliaque ejus vaſa, adſtringantur, conſolidentur, & priſtinum recipiant tonum.

Ad ſeri ſuperflui vacuationem & ventriculi expurgationem quod attinet, vomitoria præſertim hìc commendantur, in morbi principio uſurpata, & priuſquam vires nimium attritæ ſint, inter quæ non minima laus radici hypecacuana, de qua ſupra, capite de dyſenteria. Purgantia per inferiora malè hìc, apud Practicos quoſdam audiunt, quod de purgantibus tantùm fortioribus, ſerum exagitare & fermentare aptis, intelligendum, non verò de mitioribus rhabarbaro, putà, caſſia tamarindis, manna & ſimilibus.

Ad ejuſdem ſeri derivationem & revulſionem faciunt & fontanellæ in brachiis excitatæ. Conſiſtentia verò ſanguini redditur; Primò, incraſſantibus aut ſalia in viſcantibus, gelatinis C. C. gelatinis & juſculis viperarum, cancrorum fluviatilium, ichthycolla, & taurocolla, in juſculis diſſoluta; Secundò alkalicis præcipitantibus fixis, corallis, margaritis, bolo, terra ſigillata, mandib. lucii, C. C. uſto alumine, uſto oſſe ſæpiæ, oſtiocolla, diaphoretico martiali, ſpecifico ſtomachico dicto; Tertiò, herbis vulnerariis agri Genevenſis de quibus capite hæmoptoe & alibi, quibus junguntur bellis, plantago, agrimonia, nymphæa, hypericum, equiſetum, tormentilla biſtorta, cimæ rubi. Et cætera adſtringentia, quibus ſuccedunt balſamica, roſmarinus, meliſſa Fuchſii, galeopſis, & mentha, quæ ſpecifica hìc etiam audiunt. Tandem ad vaſorum conſolidationem faciunt balſama ipſa, ut balſamum album ſeu verum; balſamum Copayvæ, quæ ex juſculo, aut conſervis exhibentur. Item terebinthina ſeu communis ſeu Chia quæ in majori doſi ad unciam videlicet dimidiam aut amplius ſumitur in forma boli, & pulveribus ſupra memoratis jungitur. Hic intermiſcetur lactis

uſus, ſive aſinini, ſive bubuli decocto lentiſci, Chinæ, viſci querini diluti, aut recenter mulcti, aut injectis chalybis fruſtulis, vel ſilicibus ignitis, inſpiſſati, & ebutyrati.

Nec omittendæ thermæ bituminoſo-nitroſæ, quarum ſi calor timetur, aquæ domum afferuntur, ut paretur ſemicupium. Eædem aquæ potæ etiam proſunt, ſed præcipuè ferruginoſæ. Pro cibo ſint hordeata, avenacea, extrema animalium. Potus ſit vino auſtero aqua diluto, aut decocto nymph. &c.

CAPUT VIII.

De Scirrho Uteri.

UT in hepate, liene, aliiſque partibus, ſic in utero ſcirrhus generari poteſt, qui non à diverſis cauſis nec diverſo modo excitatur, una tamen huic affectui peculiaris cauſa eſt ſcirrhum inducere ſolita, nempe dum mulieres, aut virgines fluxum menſium aut lochiorum patientes aeri frigido ſe exponunt; tunc enim à frigiditate, in utero ſuſcepta ſanguis retinetur qui tumorem plerumque ſcirrhoſum excitat.

Signa illius affectus ſunt durities, & retinentia in uteri regione, illius circumſcriptionem referens, ſenſus gravitatis in eadem parte, præcipuè quando ægra ſtat, febris & doloris carentia, aut ſaltem exiguus dolor; ſcirrhus ſi inflammationi ſuccedat, ceſſat febris & dolor remanente duritie, ut ſuprà dictum eſt, ſi ſit in toto uteri corpore regionem pubis contrectando dignoſcitur, ſi verò in cervice, digito obſtetricis explorari poteſt, à mola diſtinguitur ex præcedentibus, tum etiam quòd in mola mammæ lacte turgent non in ſcirrho.

Quoad prognoſim, ſcirrhus uteri curatu difficillimus eſt propter humorum craſſitiem & contumaciam, qui remediis cedere non poſſunt; ſcirrhus uteri plerumque hydropem accerſit propter impeditam ſanguinis liberam circulationem, undè quod aquoſum & tenue eſt tranſudat facilè per poros vaſorum aut interſtitia partium, plerumque etiam in cancrum degenerat, quia per moram humores in hac parte acres valdè fiunt & corroſivi.

Curatio ſcirrhi uteri eadem prorſus eſt ac aliorum ſcirrhorum, de quibus antea egimus, undè remedia ex eorum curatione repeti debent aperientia, ſcilicet ſales fixi & volatiles &c. per os exhibita; Item & chalybeata, mercurial. alkalin. &c. poſt univerſalium celebrationem, quibus ſuccedere debent cataplaſmata emollientia, fotus ex radic. cucumer. agreſt. & bryon. clyſter. emollientes, emplaſtra ex bdellio, gumm. ammon. injectiones emollientes cum parietar. croc. rad. cucum. agreſti vel bryon. quæ quia tenujum ſunt partium humores craſſos commovent & attenuant, balneum quoque aut ſemicupium aquæ tepidæ aut aquæ thermales in hoc affectu plurimùm conferunt; ſuffitus quoque ſuperiùs dicti aut ex lateribus ignitis vino infuſis aut ex aqua vitæ calida aut ex decocto regul. antimon. non parum juvant, cave tamen ne nimio remediorum uſu cancer inducatur cui ſcirrhus uteri valdè affinis eſt.

CAPUT IX.

De Cancro Uteri.

AD pleniorem hujus affectus cognitionem innuendam priùs aliquid dicam de cancro in genere; eſt igitur cancer qui Græcè καρκίνος dicitur tumor durus, inæqualis colore liveſcens, aut nigricans cum venis circum circa turgidis & repletis, dolore punctorio & lancinante ſtipatus neque in partibus glandulis refertis naſci ſolitus; in facie, nempe, labris, ore, oculis, vulva, utero, ano, frequentiſſimè in mulierum mammis, denique in tota etiam cute, utpote quæ glandulis miliaribus referta eſt; varia ei data ſunt nomina, prout in variis partibus ſedem habet, namque in tibia & pede *Lupus* dicitur, ex eo quòd in hac parte magis depaſcens ſit; in facie *noli me tangere*, quia remediis hic magis

magis exaſperatur, & *cancer* in aliis partibus. Duas faciunt ejus ſpecies auctores, alius namque ulceratus dicitur, quando ſcilicet tumor ille durus propter humorum eum cauſantium & foventium acrimoniam & corroſiorem aperitur tuncque corruptæ carnis ſpeciem exhibet cum fœtore, ſordida illuvie, horrido aſpectu, labris duris cum ſanguinis interdum ab eroſis vaſis eruptione, alius non ulceratus qui & occultus vocatur, in quo adeſt quidem tumor durus, inæqualis cum dolore, ſed quia materia non eſt ita acris; non fit adhuc tumoris apertio, iſte ſucceſſa temporis acriori facta materia in ulceratum degenerat; cancer initio eſt exiguus admodum & obſcurus, qui deinde ſenſim increſcit, tandemque ingens evadit ac facilè in vicinas partes ſerpit, idque propter humoris intenſam acrimoniam, exedere & corrodere aptam.

Ejus cauſam dicebant Veteres atram bilem, nos verò dicimus eſſe lympham admodum acidam, corroſivum & aquæ ſtygiæ naturam redolentem, quam aciditatem & corrodendi vim acquirit; dum per obſtructionem glandularum hæret in colatoriis nimium, ac proinde per moram aciditas exaltatur, conferente ſymbolum ſanguine, à ſex nonnaturalibus acido facto; hinc non mirum ſi ſcirrhus qui plerumque à lympha craſſa in glandulis remorante ortum ducit, facilè in cancrum degeneret. Dolor cancrum comitans provenit ex corroſione partium ſenſu donatarum, durities ex craſſitie lymphæ glandulas obſtruentis & infarcientis, tumoris inæqualitas ex inæquali glandularum congerie; non enim una ſed plures glandulæ afficiuntur; partis denique nigrities & liviſcentia, venæque circa tumorem apparentes non aliam agnoſcunt cauſam quàm humorem intenſè acidum, ſanguinem qui inibi non circulatus figentem & eum coagulantem.

Quoad prognoſim ex omnibus tumoribus periculoſiſſimus eſt & curatu difficillimus, namque vel ſymptomatum magnitudine & malignitate ſua, vel quia longè lateque ſerpit ac progreditur quin cohibere poſſit, ægrum ad exitum perducit; ulceratus pejor eſt non ulcerato, uterque tamen incurabilis reputatur, ut non niſi ſectione, ſi hoc fieri poſſit, hoc eſt extirpatione, vel cauſticis, hoc eſt uſtione ſanari poſſit, quod etiam periculo non caret, nam plurimi poſt uſtionem aut ſectionem mortui ſunt, quamvis aliqui ſanati fuerint; ſanguis namque dum per partem cancro laborantem circulatur, impræg̃natus ſenſim pravo illo humore, & ſic tandem in ſua craſi pervertitur, nec habet partem qua pravos humores in ſe redundantes deponat; cancri uteri natura & cauſa imò & prognoſis ex his quæ diximus facilè innoteſcunt.

Quoad ejus diagnoſim ea habetur ex duritie, renitentia, dolore lancinante in uteri corpore aut cervice, ſcirrhus plerumque præceſſit, evidentiùs tamen diſtinguitur, ſi oculis percipi poſſit quando nempe eſt in cervice uteri aut vagina, ſpeculo ſcilicet matricis adhibito, tunc enim videtur tumor eo quo eum deſcripſimus modo, ſi verò ulceratus ſit, ſaniem & humores pravos & graveolentes emittit, atque interdum ſanguinem ob vaſorum ſanguineorum corroſionem, qui ſanguis quandoque in tanta copia rejicitur propter eroſa plura vaſa aut aliquid inſignius, ut ægra vitæ periculum incurrat, iis ſignis accedit anxietas, febricula, pudendorum ardor & ſimilia.

Curatio cancri per plura remedia tentatur, primò quidem adhibetur phlebotomia, ſi neceſſaria videatur, purgationes identidem repetitæ, clyſteres primò purgantes, deinde anodyni, ſerum lactis in quo epithymum aut elleborus niger, aut polypodium infuſum fuerit, imò & fumaria per quindecim dies, balneum aquæ dulcis, lactis uſus & ciborum lenientium, ut ſunt hordeata, amygdalata, orizata decocta inteſtinorum, & caput vervecis aut extremitatum animalium, vitatis acribus & ſalſis; aquæ minerales quæ optimi ſunt uſus, narcotica, decoct. ex guajac. & antimon. apozemata temperata & aparientia, ſales

fixi & volatiles, oculi & ſal cancrorum, juſcula pinguia ex optimis carnibus parata chalyb. mercur. & in primis mercurius dulcis frequenter uſurpatus aut pilulæ mercuriales, inter topica parti applicanda commendatur ſucc. ſolan. & ſempervivi, lithargyrum, ceruſſa, tuthia cum oleo liliorum aut hyperic. in formam ungentia, lamina plumbi parti applicata, pulvis cancrorum calcinatus, unguentum de ranis viridibus, River. obſerv. 97. centur. j. pulvis bufonum in furno poſt panis extractionem calcinatorum, bufo etiam integer parti applicatus, oleum ovorum cum ſaccharo ſaturni, unguentum mercuriale, unguentum diapompholigos, cauſtica denique ex mercurio ſublimato aut arſenico aliiſque, imo & innumera alia remedia quæ videri poſſunt apud auctores, qualibus nil proficientibus, ad ferrum deveniendum quòd cancrum extirpet; quia tamen nec cauſtica nec ferrum, imò nec plerumque alia remedia tuto adhibentur utpotè quæ tumorem exaſperent; Palliativa tantum adhibetur, hoc eſt quæ morbi augmentum impediunt, qualia ſunt lenientia per os exhibita, atque etiam tumori applicata; ſi cancer ulceratus non ſit, prohibenda quantum fieri poterit ejus exulceratio, dum omnino ulceratus eſt ejus propagatio impediri debet carne bubula aut vervecina tumori applicata, tunc enim humor carnem applicatam exedit, & ſic ægri carnibus parcit, quæ carnis bubulæ applicatio ſingulis diebus renovatur; ex iſta cancri curatione colligi poteſt quænam uteri cancro remedia debeantur, admoveri poterunt & applicari cum pluma vel turundis, peſſariis; vel cum penna illiniri, faciliùs tamen immitti poterunt in formam injectionis, præſertim ſi uteri cavitatem occupet trochiſ. albi rhaſi & ſacchar. ſaturn. & camphor. addit. laudan. vel ſyrup. de papaver. alb. ſi dolor valde urget, ranarum viridium decoctum item & bufonum utiliter etiam injici poterit, decoctum quoque aut jus ſeu ſuccus cancr. fluviatil. vel ex lacte ad ſedandum dolorem, vel decoct. emoll. narcotica ore aſſumpta ſæpiuſque uſurpata ſolatium magnum ægro afferunt; ſi ſanguis autem ex utero fluat ob eroſa vaſa faciendæ injectiones adſtringentes è ſucco plantaginis, millefol. urticæ, vel eorundem decoctum cum roſis rubris, balauſtiis, item & phlebotomia è brachiis celebranda.

NOTA.

CAncrum curare, etſi impoſſibile fermè ſit, non pauca tamen à Practicis commendantur medicamenta, quorum pars dolorem ſaltem mitigat, & ſummam humorum ſeu lymphæ acrimoniam, ad tempus, demulcet. Inter quæ, poſt præmiſſa univerſalia, venæ ſectiones, & purgationes, nunquam non convenit opium ſeu laudanum, anodynorum præſtantiſſimum. Herbæ item variæ, tum intùs tum extùs adhibentur, quales ſunt intybotum ſpecies, ſolanum, geranium Robertianem, ſcabioſa, fumaria, herniaria, plantago, cœrefolium, caprifolium, eryſimum, ſalvia, cicuta, Carduus benedictus, Cituræ cataplaſma in doloribus præcipuè commendatur. Vetulam ſalvia maſticata cancro appoſita morbum iſtum curaſſe refert Foreſtus. Idem commendat ſtercus humanum tumori applicatum. Poma putrida idem etiam præſtant. Proſunt item cancri fluviales in mortario plumbeo contuſi, eorùmque ſuccus parti dolenti applicatus.

E plumbo alia multa petuntur medicamenta, unguenta ſcilicet ex plumbo uſto, ceruſſa, lithargyro, minio; item amalgama mercurii cum ſaturno, & lamina plumbea hydrargyro obducta. Commendantur etiam aſelli præparati, cum oculis cancri uniti, quorum doſis ad drachmam unam, ex liquore appropriata, ſucco puta aut decocto cærefolii, ſcabioſæ, nec non ſero lactis. Propinatur & utiliter lac aſininum.

Ad cancros ulceratos commendatur pulvis ſeu cinis bufonum & lacertarum viridium, quibus inſpergitur ulcus aqua plantaginis priùs madefactum. Paran-

santur & ex arsenico pulveres aut alia medicamenta exteriora, quæ caute adhibita utilia sunt. Non minus & hìc prosunt aqua calcis vivæ, nec non omnia saturnina &c.

Uteri carcinoma in specie non aliter curatur quàm aliarum partium carcinomata. Tota industria in eo consistit, ut in uteri cavitatem injiciantur medicamenta.

CAPUT X.

De Uteri Gangræna, & Sphacelo.

GAngræna in genere sumpta quæ vulgò ignis Sancti Antonii nuncupatur, est incipiens partium corruptio ad νέκρωσιν seu mortificationem tendens, sphacelus vero qui alio nomine syderatio dicitur, est absoluta & perfecta partis corruptio seu mortificatio, adeò ut hæc duo mala nonnisi secundùm magis & minus differant, pars omni sensu, motu, calore & vita destituitur in sphacelo; in Gangræna verò quæ via est ad sphacelum, nondum pars perfectè corrupta est, nec sensus, calor, motus & vita totaliter absunt, quamvis multùm imminuatur; in carnibus Gangræna dicitur, in osse verò caries.

Utriusque scilicet gangrænæ & sphaceli causa conjuncta & proxima est caloris nativi in parte destructio, seu motus humorum & spirituum tum circularis, tum fermentativi, in quibus vita consistit, cessatio in partibus; neque enim gangræna & præcipuè sphacelus à morte differt; nisi quòd hæc ad totum corpus pertineat, ille verò ad unam tantùm aut alteram partem, unde sphacelus non immeritò mors particularis dici potest, sicut etiam mors gangræna totius corporis propter cessantem in toto corpore humorum & spirituum motum, in quo vita consistit; plura exhiberi possunt quæ prout magis vel minus intensa sunt gangrænam aut sphacelum inducere possunt; talia sunt inflammationes, scirrhi, ulcera, frigus nimium, ligaturæ fortes, prohibita transpiratio, venena, quæ omnia aut partes infarciendo, aut sanguinis influxum prohibendo, aut sanguinem figendo & coagulando agunt.

Dignoscitur gangræna ex sensu partis imminuto, frigiditate, adveniente mollitie, lividitate, fœtore, quæ omnia symptoma graviora multò sunt in sphacelo, serpit etiam facilè communicatum, ut in fructibus putridis advenit, quorum unus integrum cumulum corrumpere potest, quod aliqui deducunt ex motu humorum abolito ex una parte facilè in vicinam transmisso, sanguinis enim motus ubi jam in aliqua parte incipit intercipi, mox in vicinis intercipitur, alii verò ex vermiculis in parte gangræna aut sphacelo laborante, magno numero genitis, qui quotidiè copiosiùs soboleſcunt, ita ut unus plusquam ducentos generare credatur.

Prognosim quod spectat, quàm periculosa sit gangræna & sphacelus nemo non inferre potest, propterea quòd sit mors particularis sive partialis & qua pars dum semel affecta est liberari non potest, à quòd in vicinas partes transferatur facilè, secundum nobilitatem & figuram partium quas occupat, magis aut minùs periculosa censenda, unde in partibus internis lethalis est, in externis verò non semper, extirpato enim membro aut resecta parte, vita conservari potest; aut si non totaliter mortificata sit pars topicis calefacientibus in statum naturalem plerumque reducitur.

Curatio gangrænæ præmissis universalibus per varia remedia externa fieri solet, scilicet scarificatione, ad hoc ut transpiratio promoveatur & remedia altiùs penetrent; ablutione partis ex aqua salsa vel decoct. herb. aromat. & calefacient. vel decocto scordii quod huic affectui appropriatum creditur, aqua vitæ, spiritus vini, camphor. ægyptiac. unguent. in aqua vitæ solutum, digestivis cum mirrha, aloe mixtis; cataplasmata ex farina non probantur; quę si non proficiant, ad caustica & urentia deveniendum, hoc est cauterium actuale aut potentiale, & tandem ad amputationem, secando scalpello aut lancetta quodcunque in parte gan-

græna laborante nigrum aut lividum apparet, donec æger dolorem ex ſectione perſentiat, aut membrum extirpando, ſi nempe pedes, tibiæ, manus, aut brachia &c. ſphacelo tenentur, quod quomodò inſtituatur, videatur apud Chirurgos. Ex iis gangrænæ & ſphaceli uteri natura & cauſa colligi facilè poſſunt, quandoque enim gangræna in hac parte excitatur, hoc eſt in utero conſequenter ad inflammationem, ſcirrhum, aut ex frigiditate ſuſcepta in prolapſu uteri, partu, abortu, eò magis quò pars illa mollior & laxior eſt ac proinde humorum ſtagnationi obnoxia. Cognoſcitur per frigiditatis ſenſum in abdomine nullum ab injectionibus, irritationis, caloris aut frigoris ſenſum, halitus fœtidos & cadaveroſos à ſe emiſſos, aut oculis ipſis videri poteſt, ſi in vagina & uteri cervice ſedem habuerit per ſpeculum matricis: remedia verò huic appropriata non diverſa ſunt à jam relatis, quæ fieri poſſunt in formam injectionis, aut peſſarii, ſi ſit in vagina morbus, ſcarificando etiam aut ſecando, ſi id fieri poſſit, aut uterum ipſum ſi lapſus ſit, extirpando, ut pluries factum eſſe teſtantur obſervationes.

NOTA.

CAlidum nativum cujus extinctionem ſequitur Gangræna, in acido volatili & ſpirituoſo conſiſtit, ſecundùm Clariſs. Ettmullerum; quod partis peragentis inſtar ſe habet in ſtructura & coagulatione ſeu formatione partis. Hoc acidum ergo vitale, ait vir Doctiſs. conſervatur & reſtauratur continuò à ſanguine & ſpiritu vitali influentibus ſalſis & occulte acidis. Quæcunque igitur acidum iſtud deſtruunt, vel vomitem ejus impedire valent, omnia Gangrænam & hinc ſphacelum inferunt, adeò ut exinde ſequatur quod in Gangræna & ſphacelo peccet in primis alcali, quatenus propter acidi deſtructionem emergit, vel quoquo modo in ſe genitum acidum deſtruere valet. Hinc ſubinde poſt Gangrænam & ſphacelum ſupervenit partis fœtor & putredo, ſignum alcali agentis in acidum, & diſſolventis ſulphur partis. Hæc Clariſs. Ettmullerus.

Gangrænæ cura per interna & externa ſuſcipitur. Interna ſunt alexipharmaca ſudorifica, qualia ſunt aquæ theriacales, mixtura de tribus, in hauſtu aq. cardui benedicti, quibus adduntur mithridatium, diaſcordium, pulvis radic. contrayervæ, confectio hyacinti &c.

Externa conſiſtunt primò in ſcarificatione partis affectæ, tum ablutionibus ex ſpiritu vini ſimplici & præcipuè camphorato, aqu. ſalſa vel ſola, vel in aqua incoctum abſinthium, aut etiam addita herba gratiola dicta. Commendantur præterea braſſicæ acidæ, item aqua calcis vivæ cum Mercurio dulci ſeu potius ſublimato corroſivo, & ſpiritu vini, ſed cautè ea in hoc caſu utendum. Decoctum ſcoriarum antimonii in aceto gangrænam ſiſtit, ſi credatur Riverii obſervationibus; idem præſtant & decoctum ſalis armoniaci in urina ægri.

Parantur præterea cataplaſmata, ex ſcordio præcipuè, tum ex abſinthio, gratiola, ſcabioſa, ariſtolochia, chelidonia, alliaria, hyſſopo, ſalvia, roremarino, agrimon. ruta, dictamno Cretico, fl. camomillæ, ſambuci, arthemiſiæ, farinis Jupinorum, fabarum, hordei, lolii, in lixivio; aqua marina, oxymelite, vino coctis. Quidam addunt fimum equinum, alumen, vitriolum Digeſtivis communibus ex terebinthina, melle & ovorum vitellis, addantur pulv. aloes, myrrhæ, crocus, theriaca, mercurius præcipitatus, ſpiritus vini, unguentum Apoſtolorum &c. Applicationem unguenti Ægyptiaci quàm ſtatim moliuntur Chirurgi, jure quidam non approbant, quod nimis aſtrictorium ſit id genus unguentum. Additur optimè cataplaſmatibus atramentum, item tinctura caſtorii cum aſa fœtida. Proſunt & ſalia volatilia oleoſa & aromatica, tum interius adhibita.

Si hæc omnia non proſint ad Chirurgiam confugiendum, qua pars emortua amputatur. Quidam verò hoc remedium admittere nolentes, mortuum à ſano ſeparant ope butyri antimonii, eo ducentes

tes circulum in mortificationis confiniis. Poſt ſeparationem factam à butyro antimonii, laudant linimentum ex mercurio præcipitato cum oleo nucum cocto, quod linimentum aliàs etiam ante ſeparationem utile eſt.

Utero gangræna affecto eadem remedia conveniunt, qui hoc morbo affici non deprehenditur, niſi prociderit. Vaginam quod ſpectat, faciliùs & affectus dignoſcitur, & medicamenta admoventur.

CAPUT XI.

De Uteri Inflatione, & Hydrope.

LIcèt de uteri inflatione atque hydrope auctores conjunctim agere conſueverint, atque utrumque illum affectum confundant, putantes ad hydropis uteri genus pertinere, ſive à flatibus ſive à ſeroſa colluvie producatur, ut tympanites & aſcites ad hydropem abdominis referuntur, tamen dantur quædam matricis inflationes ſubitò factæ à flatibus ſeu halitibus ab humoribus fermenteſcentibus in hac parte ſubortis, ut in hyſterico paroxyſmo accidit, quæ quia non diu perſeverant, hydropis nomen non merentur, de illa itaque uteri inflatione hìc loqui noluimus, ſed de ea tantùm quæ diutiùs perſeverat; quæque vel à flatibus diutiùs retentis in uteri cavitate, vel aqua collecta originem duxit, non ſecùs ac hydrops abdominis, aſcites atque tympanites; ex his itaque quæ de talibus morbis in præcedentibus diximus; atque etiam de hydrope pectoris facilè innoteſcere poteſt natura, cauſa atque curatio hujus de quo agimus morbi, non enim niſi ſecundùm partem affectam differuntur, nec diverſo modo generantur, aquæ autem quæ in utero accumulantur hydropem ejus conſtituentes, aut in cavitate ejus continentur, occluſo à tumore, aut alia cauſa, aut coaleſcente orificio, ut teſtantur obſervationes Rhaſis, Dodonæi, Veſalii, vel in folliculis ſeu veſiculis ex membrana uteri interna aut externa elevatis concluduntur & quaſi hydatides faciunt, cujus hydropis exempla proponunt Ætius, Valeriola, Chriſtophorus à Vega, Mercator, Platerus, Fabritiùs Hildanus. Flatus quod ſpectat hydropem tympanitis æmulam producentes in utero, ii ut plurimùm conjuncti ſunt cum humoribus contentis in cavitate è quibus halitus elevantur uteri inflationem & diſtenſionem augentes, ut in tympanite dictum eſt; aliquando verò ſoli cavitatem uteri replent, quamvis ab humoribus per uteri tunicas reſudantibus, iiſque aut efferveſcentibus, aut calore in halitus reſolutis deriventur, qui non excernuntur, donec conſtrictum aut clauſum uteri orificium ſponte aut alia de cauſa reſeretur; hujus rei exempla petuntur à Valleſio de Tarena, & Matthæo de Gradi, Dodonæo &c. qui dicunt ſe vidiſſe mulieres quæ cùm prægnantes ſe ſe putarint, eo tempore quo partus adventurus putabatur magnam flatuum copiam excreverunt, & ſic uterum detumuiſſe.

Præter cauſas quas hic morbus communes habet cum aliis hydropis ſpeciebus aquoſam nempe conſtitutionem, ob deficientem hæmatoſim aut vitium primæ coctionis, aut pravum ſex rerum nonnaturalium uſum, ſanguinis immodicas evacuationes, aliaque ſanguinem depauperantia, præter etiam obſtructiones in utero ratione cujus ſanguis liberum tranſitum in hac parte non habet, & vaſa diſtendendo, quod tenuius & ſeroſius eſt tranſudare & è vaſis exilire permittit, atque tandem in hac parte copioſiùs accumulari.

Dantur aliæ cauſæ procatarcticæ utero peculiares, quales ſunt aer frigidior in utero per partum ſuſceptus, aut abortus laborioſus, menſium immodicus fluxus aut eorum diuturna ſuppreſſio, ſcirrhus in utero, ulcus, tumores, quæ omnia quomodo agant, ſeroſitatum accumulationem promoveant, quiſque facilè colligere poteſt, fluxus verò qui plerumque cum aquarum accumulatione conjunguntur non diverſas agnoſcunt cauſas, & ſi ſoli ſint ex humorum fermentatione, aut uteri ac viſcerum calore pendent.

Dignoſcitur hic morbus & ab hydrope abdominis diſtinguitur, ex eo quod tumor ventris hypogaſtricam tantùm regionem occupet, non tam citò pallor & extenuatio totius corporis ſubſequatur, nec ſitis & linguæ ſiccitas, nec ita gravia ſint ſymptomata propter minorem cauſæ gravitatem, minorem viſcerum labefactationem & uterum tantùm affectum; denique ex eo quòd aut flatus aut aqua per loca muliebria interdum excernantur; ſi aquæ ſolæ morbum creaverint, adeſt fluctuationis ſenſus in hypogaſtrico, regio illa mollis & flaccida, tumor in dies incrementum ſumit, pedum & tibiarum tumor ſupervenit; ſi verò flatus in uteri cavo contineatur, non tanta eſt gravitas, major tenſio, tumor percuſſus ſonum edit, major eſt ſpirandi difficultas & pejus habent à paſtu propter majorem uteri inflationem à flatibus, ventriculi dilationem & diaphragmatis in reſpirando deſcenſum impedientem; an verò affectus ex ſolo uteri vitio dependeat primariò, an ex vitio etiam aliarum partium, hoc ex cauſis procatarcticis notum fiet; nam ſi partus laborioſus, abortus, ſcirrhus, tumor in utero, menſium ſuppreſſio, huic morbo occaſionem dederint, uterus primò in vitio erit & primaria hydropis cauſa; ſi verò non præceſſerint tales cauſæ, imò potiùs obſtructiones in viſceribus, chloroſis, cachexia, febres diuturnæ, hæmorrhagiæ, ventriculi cruditates, ab affecto utero primariò non pendebit, ſed à ſanguine aut aliis corporis partibus; an aquæ contineantur in cavitate uteri, an verò intra membranas, hoc ex majori fluctuatione manifeſtabitur; nam quia in uteri cavo eſt ſpatium per quod moveantur, fluctuatio major eſt, dum verò intra membranas coercentur ſe commovere non poſſunt, ab uteri tumoribus, inflammatione quidem & eryſipelate deſtinguetur per dolorem, febrem, calorem in his affectibus præſentem; à ſcirrho vero & cancro, per duritiem & dolorem, aliaque ſigna ſcirrhum & cancrum deſignantia, quæ ſuo loco referuntur, à graviditate ex habitu corporis qui melior eſt quàm in hydrope; ex fœtus motione ſuo tempore, mammarum à lacte intumeſcentia quæ extenuantur propter ſanguinis diſcraſiam in hydrope; ex majori etiam ventris duritie & prominentia, quæ gravitatem magis quàm hydropem conſequuntur: à mola ſeu maſſa carnea informi quæ in utero aliquando loco fœtus generatur propter ovi quod ex ovario prolapſum eſt perverſam quacumque cauſa ſtructuarum & œconomiam; difficiliùs quàm à jam dictis morbis diſtingi poteſt hydrops uteri; attamen ſunt quædam ſigna ad diagnoſim talem faciendam juvantia, primò ſi mola parva ſit non ita intumeſcit hypogaſtrium, ſi verò major tumor abdominis non ita mollis eſt, major adeſt in utero gravitatis ſenſus quàm in hydrope; ſecundò dum ex uno latere in aliud ſe convolvit ægra, ſentit in hydrope fluctuationem, in mola verò nullam, ſed pondus quoddam lapidis inſtar ex una parte in aliam devolutum; tertiò in mola, mammæ initio intumeſcunt & aliquando lac habent, imo & plerumque menſes fluunt, quod in hydrope non accidit.

Prognoſis hujus affectus mala, ut omnium aliorum hydropum inſtituenda utpote quod morbus longus ſit & difficilè curetur, & citiſſimè aſcitem & anaſarcam accerſat; ſi viſcera labefactata ſint & ſanguis depauperatus, curatio expectari non debet; ſi verò incipiens ſit affectus à cauſa aliqua procatarctica ortum ducens, nondumque depauperatus ſanguis, curationem recipere poteſt, præſertim ſi aqua in cavitate non in veſiculis contineatur.

Curationem hujus affectus quæ eadem eſt ac illa quæ in aliis hydropis ſpeciebus tradita eſt atque etiam in tractatu de Chloroſi, hìc conſulto omittimus, utpote quæ videri poteſt in propriis horum morborum capitibus; Appropriata tamen huic affectui remedia ſunt borax mineral. ad ℥ss. cum croci ℈ss. & ſucc. ſabin. q. ſ. in formam boli ſæpiùs exhibiti, exercitia quoque in hoc affectu commendantur; item pulvis cornu-

hachin. identidem exhibitus, plantæ verò appropriatæ ſunt ſabina, apium; rubia tinctor. matricar. ſuffitus etiam in hoc morbo poſſunt inſtitui ex vino calente, aqua vitæ, decoct. ſcoriat. regul. antimon. peſſaria quoque ex melle cocto cum ſal. gemm. vel ſal. nitr. vel colocinthid: vel pulver. hieræ, introduci poterunt ad aperiendum os uteri ſi clauſum ſit & humorum ſeroſorum fluxum promovendum. Ad flatus, ſi adſint, diſcutiendos, laudant auctores ſuffitum ex nuce moſchat. per infundibulum utero ſuſceptum, item & decoct. florum camomill. & interiùs ſumptum & in formam ſuffitus, veſicatoria, cauteria, ſicut & emplaſtra atque inunctiones improbantur in omni hydrope.

CAPUT XII.

De Uteri Procidentia.

PRæter prædictos uteri affectus, qui in magnitudine aucta, ſoluta unitate, viarum obſtructione, hoc eſt meatu & cavitate &c. conſiſtunt, datur & alius ejuſdem partis morbus qui in ſitu mutato potiſſimùm ſitus eſt, & *Uteri Procidentia* nuncupatur, quæ tunc fieri dicitur quando uterus, qui in ſtatu naturali, in parte abdominis hypogaſtrica retineri debet atque lateribus & fundo per propria ligamenta connecti; per talium ligamentorum ruptionem, aut relaxationem in ſeipſum invertitur & versùs pudenda prolabitur; talis uteri prolapſus plures ſunt differentiæ quæ omnes ſecundum magis & minus tantùm differunt; interdum ſola cervix interior ſeu ſuperius uteri orificium in ſe relaxatum in vaginam provolvitur, interdum totum uteri corpus inverſum in eandem vaginam deſcendit, relaxato ſcilicet ſuperiori orificio per quod uteri corpus tranſire debet; aliquando ita fundus ejus invertitur & deſcendit, ut extra vulvam promineat; modo minùs, ſcroti virilis inſtar, modo magis ita ut ad femora uſque devolvitur.

Cauſa hujus morbi non alia eſt quàm ligamentorum uterum in ſuo ſitu retinentium ruptio aut relaxatio, & potiſſimùm ligamenti lati ſeu membranæ illius quæ alas veſpertilionum refert, à quibus ſimile nomen ſortitur, uterum per latera & cornua hinc indè, hoc eſt à dextris & ſiniſtris ligantis, & retinentis, quo fit ut non retento ampliùs in ſuo ſitu & diſpoſitione utero, proprio pondere versùs pudenda procidat plus, minùs pro majori ligamentorum dictorum relaxatione atque diſruptione; cui operi parum non confert ſuperioris uteri oſculi relaxatio & flacciditas; alias etenim, cùm ejus apertura non valdè magna ſit; uteri corpus inverſum, vix per illam partem tranſire poſſet ut in vaginam aut extra prolaberetur: rumpuntur autem ligamenta, variis de cauſis violentis, ictu ſcilicet, caſu, ſaltu, ſternutatione, tuſſi, quia in his caſibus uteri corpus valdè concutitur, ponderis gravioris geſtatione, alvi compreſſione forti, conatu vehementi ad excernendum fœtum vivum aut mortuum, molam, ſecundinas, fæces alvi &c. quia per illos niſus ob retentum diutiùs aerem inſpiratum, diaphragma versùs partes inferiores fortiter propellitur, quod ventriculum, inteſtina & uterum per conſequens versùs inferiora comprimit, undè divulſionem & elongationem, ut ita dicam, patientibus ligamentis, tandem rumpuntur, aut relaxantur. Id etiam poteſt præſtare partus difficilis, avulſio violenta, fœtus aut ſecundinarum ab imperita obſtetrice, propter eaſdem rationes; relaxantur verò eadem ligamenta ab humoribus ſeroſis in ipſa parte, per orificia propriarum arteriarum decumbentibus atque etiam in ipſum uterum ejuſque cervicem, qui ſeroſi humores in his partibus accumulari non poſſunt quin iis laxitatem inducant, ita ut ampliùs retineri in ſua poſitione non poſſint; unde non mirum ſi fœminæ quæ fluore albo diutiùs laborant, vix hunc morbum vitare poſſint. Huic cauſæ internæ externæ accedunt eam juvantes aut in actum deducentes, ut ſunt balneum, auſtrina, aeris conſtitutio, potus nimius, alimenta humidiora, etiam ſomnus &

aliæ

aliæ cauſæ quæ humoris ſeroſi proventum facere poſſunt, aut partes corporis relaxare. Morbus ipſe ſatis ſenſibus patet, uterus enim in vagina aut pudendo obvius ſit, aut etiam extra pudendum, modò ovi magnitudinem referens, modò glomeris fili, modò ſcroti hominis, idque cum ſenſu ponderis circa vulvam qui augetur dum ſtant, minuitur dum ſedent, non facilè alvum aut urinam deponunt, & ſi multùm uterus promineat major dolor ſentitur.

Signa cauſarum petuntur ab iis quæ præceſſerunt; ſi namque cauſæ violentæ ſint, ruptio accuſabitur; ſi humectantes relaxatio.

Quoad prognoſim hic affectus valdè moleſtus eſt, progreſſionem, ambulationem, menſtruorum fluxum impediens, imo etiam & periculo non vacat, metus eſt enim gangrænæ ſubſequentis propter frigiditatem aeris, motum ſanguinis in hac parte & fermentativum & circularem facilè inhibentem, aut aliorum gravium ſymptomatum quæ aliquando ſupervenire ſolent. Qui à ruptione ligamentorum pendet incurabilis eſt; qui à relaxatione facilius curationem recipit, recens quoque morbus & in juvenibus facilius curatur quàm inveteratus & in ſenibus.

Ad curandum hunc affectum primò reponendum ſtatim & repellendus in locum ſuum uterus ibique continendus, quod faciliùs fiet, ſi alvus & vefica exoneretur quæ plenitudine ſua repoſitionem impedire poſſunt, idque aut ſponte aut per clyſteres emollientes, ad majorem etiam præcautionem inſtitui poteſt venæ ſectio ex brachio antè & præſertim poſt uteri repoſitionem; deinde mulier in dorſum incumbens collocanda, divaricatis cruribus, & genubus retractis, quo facto obſtetricis manu ſi fieri poteſt introrſum prematur uterus; aut baculo craſſiori linteis obvoluto, aut candela cerea, aut peſſario ex panno lineo ſæpius convoluto parato. Si uterus reponi non poſſit ob tumorem, duritiem, utendum fotibus emollientibus, non verò cataplaſmatis quæ calorem naturalem ſuffocant, cum vino addendo etiam tantillum ſpiritus vini, nec ſi ideò reſtitui poſſit, curanda inflammatio per phlebotomias, refrigerantia per os aſſumpta, per oxycratum calidum initio applicatum, deindè reſolventia decocta; ferrum oblatum, quaſi velit Chirurgus ipſum in uterum inſerere, quamvis terrorem ægræ incutiat, non tamen valet uterum reponere, quidquid dicat Rodericus à Caſtro, neque etiam mures, lacerti, per tibias & crura excurrentes, ut vult Avenzoar & Zacutus Luſitanus, præſertim cùm tumidus eſt, durus & nimium inflatus, hoc aliquando præſtare poſſunt ſi minus ſit prolapſus, ſecus nil aut parum juvat; pulveres adſtringentes aut exſiccantes utere antè repoſitionem inſperſi nullius ſunt utilitatis, imò damnum potius afferunt, atque etiam unguenta, ſatius eſt vino ſolo partem abluere, utero repoſito detineri debet ſupina in lecto ægra elevatis natibus & cruribus, & reclinato corporis trunco, per aliquod tempus, ita ut crus unum alteri incumbat, immiſſa etiam in vaginam turunda, aut peſſario non ex bombace aut lana, ut vult Riverius, quia calefaciunt & inflammationem parere poſſunt, ſed ex linteo ſcarpto vino madefacto, aut mediis partibus aqu. roſar. & vin. rubr. auſteri, aut etiam oxycrato tepido, aut decocto adſtringente. Ad retentionem uteri in ſuo loco juvant non cucurbitulæ quæ parum faciunt, non ſemicupia adſtringentia, quamvis Riverius ea præſcribat, quia morbum augent propter ſitum ægræ in balneo aut ejuſdem agitationem ut in balneum demittatur, ſed ſubligaculum cum peſſario, ad id adaptatum, aut circulus uterinus dictus ex ſubere conflatus & ceram indutus, aut ex alio ligno, qui in vaginam uſque ad cervicem uteri propellatur ibique permaneat, qui omnium quæ introduci poſſunt utiliſſimus eſt; datur exitus menſtruæ purgationi, coire poſſunt mulieres, concipere imò & parere, retrahendo ſcilicet circulum tempore partus, eumque iterum immittendo, hoc facto, ſi morbus à diſruptione proveniat non aliam requirit curationem, niſi quæ ſupervenientibus ſymptomatis occur-

currit ; ſi verò à relaxatione pendeat , humiditates relaxationem illam facientes abſumendæ ſunt ſtuphis , decoct. ſudorific. therm. non obliviſcendo remedia univerſalia quæ inſtitui & repeti debent pro Medici judicio.

Quod ſi uterus tumefactus , inflammatus , durus , gangrænam ſubjerit , tunc partes nigræ reſecandæ ſunt , & ſcarificandæ eo modo quo dictum eſt ubi de gangræna ; ſi verò totum uterum , aut totum illius quod prolapſum occupaverit , facta ſuperius ligatura , reſcindi & extirpari debet , quod plerumque factum eſt citra agræ mortem , adhibendo deinde adſtringentia , & ea quæ in partium extirpatione celebrari ſolent.

N O T A.

PRiuſquam uteri prolapſi curatio tradatur , videndum an revera uterus prolabi poſſit ; Affirmativam defenderunt veteres , & recentiores multi , & ſexcenta uteri prolapſi ut putabant , exempla attulerunt , adeo ut contra experientiam diſputare videri poſſint , qui uteri prolapſum unquam negare voluerint . Verum rem accuratius penſitanti apparebit infirmam adeo eſſe uteri cum vicinis partibus , inteſtino putà recto , parte poſteriori , & oſſibus ilii , parte ſuperiori , per ligamenta valida , connexionem , ut vix concipi queat quo pacto delabi ullo modo , aut deſcendere poſſit . Apparebit , inquam , hujuſmodi deſcenſum fieri ſaltem non poſſe à cauſa interna . Cauſas externas quod ſpectat non negari debet tantam aliquando violentiam , in partu præcipuè difficili , aut ſecundinarum extractione abhiberi ab obſtetricibus , ut ipſum uteri corpus protrahatur & divellatur ; ſed affectus hic uteri divulſio aut protractio potius quàm deſcenſus aut prolapſus dici debet ; unde mulieres ita malè habitas non diu ſupervivere Chirurgorum & Medicorum obſervationibus aliquot conſtat.

At rarus eſt hic affectus. Qui vero uteri prolapſus vulgo audit vaginæ ſeu ſinui pudoris , potius eſt proprius . Contingit autem quoties vaginæ membrana interior , rugoſa admodum , relaxatur & extenditur . Quæ relaxatio prout major aut minor eſt , tumorem exhibet majorem aut minorem ; foris etiam conſpicuum , & mole ſua pugnum aut caput aliquando æquantem moleſtum valdè & viſu horrendum . Pars vero iſta , vagina inquam uteri aut ejus membrana , cùm innumeris ſcateat glandulis , & vaſis , per quæ , in hoc caſu , lympha , ſanguis , aliive humores ſale & ſulphure fœti , circulare non poſſunt , propter compreſſionem & veluti ſtrangulatione quæ in ſuperioribus , & utero vicinis partibus fit , nihil mirum ſi putredinem contrahat , & tandem excidi debeat . Atque hinc tot ſunt exempla exciſionis factæ partis iſtius , pro utero falſo habitæ , ſine vitæ periculo ; quod utique non ita contingeret , ſi uteri ipſius corpus ſepararetur . Uteri extirpationem quippe vaſa ſanguine longe plura , & major in eo contenta impune fieri non poſſe , argumento ſunt . Qui plura ? cum mulierum tali affectu laborantium corpora non ſemel aperta , uterum in ſuo ſitu manſiſſe , vaginamque ſolam propendiſſe , celeberrimorum Chirurgorum obſervationibus , teſtatum fecerint ; qua de re conſulatur Jobus van Mekeren Batavus Chirurgus præſtantiſſimus.

Prolapſa vagina primò reponi debet manu obſtetricis aut Chirurgi , ut à clariſſ. Auctore indicatum , tum ea peſſis , & commodo corporis ſitu in proprio loco continenda . Nec interea negligenda interna , & externa adſtringentia , qualia ſunt , roſæ , balauſtia , agrimonia , nuces cupreſſi , piloſella , ſumach. ſymphytum , herniaria , polygonum , gallæ , myrti , olivæ , & quercus folia , alumen , bolus , terra ſigillata , ſanguis draconis , maſtiche , equiſetum , milefolium , pyrola , ſanicula , alchimilla , bugula , plantago &c. Commendatur etiam Chryſanthemi Peruviani flos tanquam ſpecificus , ejuſque decocto pars ut par eſt fovetur . Fiunt & decocta pro fotu partis ex ſimplicibus ſupra memoratis in aqua ferrata , aut vino auſtero coctis .

Eo-

Eorumque pars, pyrola, v. gr. ſanicula, alchimilla, & alia vulneraria, utiliſſimè vino incoquuntur, & colatura per os exhibetur. Poſt fotus adſtringentes, & ejuſdem naturæ ſuffumigia, illini poteſt vagina unguendo Comitiſſæ, aut alio ſimili; quanquam quidam oleoſa, ſeu adipoſa hìc non admittentes, ut pote quæ laxent potiùs, in uſu merè adſtringentium ſubſiſtere malunt. Emplaſtrorum ex galbano, tacamahaca, maſtiche &c. paratorum, ſupra os ſacrum & lumbos applicationem laudant nonnulli, verùm parvi hìc uſus talia emplaſtra eſſe poſſe, probat affectus ipſius deſcriptio, & quæ de parte affecta dicta ſunt. Internis medicamentis accenſeri poſſunt balſama naturalia, album ſeu verum; balſamum Copayva, therebinthina ipſa communis, & Chia, &c. aquæ tandem ferruginoſæ & nitroſo-bituminoſæ calidæ, nec non martialia pleraque.

CAPUT XIII.

De Uteri Clauſura.

UT partes genitales fœminarum, & virginum rectè ſe habeant, debet eſſe via aperta ab uteri corpore & cavitate ad vulvam & extra corpus, undè ſi hujuſmodi via præpediatur morbus inducitur qui clauſura uteri dicitur, quæ clauſura fieri poteſt in triplici parte, extrinſeca nempe & pudendo exteriori, & intrinſeca, nempe orificio uteri ſuperiori, & media, nempe vagina; idque aut prima conformatione per coalitum naturalem harum partium, aut membranam obtenſam, quod plerumque contingit, & inde virgines tali affectu laborantes atretæ, ſeu imperforatæ dicuntur; aut poſt nativitatem, vulnere aut ulcere præcedente ex quo ſequitur partium coalitio, & adhæſio in cervice, vagina, & labiis pudendi; quod idem præſtari poteſt à tumore meatum obſtruente aut comprimente; non verò à diſtorſione, quæ in hac parte concipi non poteſt; ſi clauſura ſit in ſuperiori orificio non advertitur, niſi dum menſtrua fluere incipiunt, aut fœminæ generationis operi incumbunt, adveniente nempe menſtruæ purgationis tempore; dolores & tormina in regione uteri perſentiuntur cum ponderis ſenſu, & nullus ſequitur ſanguinis fluxus; conjectura talis clauſuræ augebitur, ſi aliunde virgo habita ſit bene, nullaque cachexiæ aut obſtructionis ſigna adſint, intumeſcat uterus, & totum corpus rubeat, aut liveſcat ex redundantia ſanguinis.

Si clauſura vaginam occupet hoc ex coitu dignoſcitur, aut obſtetricis peritæ manu, aut introducto peſſario; tunc enim invenitur reſiſtentia; ſi denique ſit in pudendo oculis videtur.

Quoad prognoſim ſi clauſura & coalitio ſit in pudendo facilè curatur, nempe levi ſectione; ſi verò penitiores partes occupet, difficilius curatur; clauſura ſuperius uteri orificium occupans eſt incurabilis, huc enim inſtrumenta chirurgica non poſſunt deferri.

Curatio uteri clauſuræ à Chirurgia ferè tota petitur; ſi à primo ortu contracta ſit, & in pudendo, ſimplici ſectione aperienda eſt, & ſi foramen parvum ampliandum, id quomodo fieri debeat & ubi, docent auctores Chirurgi; ſi ab ulcere dependeat in vagina poſtquam ſoluta eſt coalitio per peſſarium, aut candelam butyro, aut olea illitam, detinenda eſt turunda, oleis, unguentis propriis illita, ne iterum partes coaleſcant, & ulcos curandum ut dictum eſt ſuo loco; ſi excreſcentia carnea, aut tumor vaginam occupet, diſcutiendus eſt tumor, & abſumenda excreſcentia per propria remedia, ſi ab orificii ſuperioris uteri inflammatione, ſcirrho, cancro &c. dependeat morbus, uſurpabuntur remedia in horum morborum curatione recenſita; ſi à compreſſione denique uteri, aut vaginæ procedat nempe ex calculo in veſica, recti inteſtini tumore; remedia peti debent ex talium morborum curatione. Stricturam uteri

à ni-

à nimia exſiccatione, aut ejus clauſuram à diſtorſione dari non credimus, ac proinde remedia eorum non tradimus quæ etiam in diſtorſione inutilia eſſent.

CAPUT XIV.

De Sterilitate Mulierum.

QUamquam ſterilitas, quam hìc pro omni concipiendi aut generandi impotentia ſumimus, in ea ſcilicet ætate quæ ad generationem habilis eſſe debet, affectus periculoſus non ſit, utpote nullum ſubjecto ſuo & individuo plerumque damnum afferens, atque etiam curari ut plurimùm non poſſit, ob nativam partium genitalium aut humorum & ab hæreditaria diſpoſitione contractam pravam texturam, quæ hujus cauſa frequentiſſima eſt; de ea tamen hìc agere libet propterea quòd ſi non individuo, ſpeciei tamen propagationi noxia eſt; & ſi à cauſis inſuperabilibus ut plurimum dependeat, aliquando tamen cauſis, quæ à remediis debitè uſurpatis vinci poſſunt ortum ſuum atteſtatur adde quod non indignum eſt Medico ea etiam cognoſcere quibus mederi non poteſt, quæ juvant ad prognoſim certiùs ferendam & vitandam plerumque ignominiam, quæ incurritur dum Medicus morbum curare non poteſt; hic ergo affectus ſeu potius defectus multiplices agnoſcit cauſas, propterea quòd plura, ut ſcitis, in fœminis ad generationem concurrant, quorum ſingulorum vitium, ſterilitatem inducere poteſt.

Prima cauſa eſt pudendi & vaginæ exiguitas & ſtrictura, ratione cujus mulieres, de vetulis enim & virginibus junioribus hìc loqui nolumus, virilem penem admittere non poſſunt, aut niſi cum maximo dolore, ex quo averſio coitus ſequitur, in hac claſſe quoque ponitur vaginæ aut cervicis uteri à quibuſcumque cauſis jam relatis ubi de clauſura, vel ab omento obeſiore aut ventre ob pinguedinem nimis prominente, impedita penis in vaginam introductio, ex quibus impotentia ad concipiendum & generandum exurgat, ut facilè inferre poteſt quicumque non ignorat ſeminis maſculini in uterum introductionem & imbibitionem ad generationem abſolutè neceſſariam eſſe.

Altera ſterilitatis cauſa eſt odium inter conjuges quod etiamſi nullum in partibus genitalibus vitium adſit ſeminis maſculini actionem impedire poteſt, propterea quod cùm nullam in hoc caſu mulieres in coitu delectationem aut ſaltem parvam percipiant, partes genitales ita ſpiritibus turgere non poſſunt aut excalefieri ut ſemen à viro injectum excipiant atque imbibant, eodem enim modo hìc ratiocinandum ac de alimentis quæ reſpuuntur, quæ etiamſi mala non ſint, damnum plerumque afferunt.

Uteri frigiditas, textura denſa, tumores ſcirrhoſi, cancroſi, hydrops, ulcera, obſtructiones & infarctus, item nimia uteri laxities, humiditas ex abortu, partu laborioſo, fluore albo aliiſque cauſis externis excitata ſterilitatem quoque inducere poſſunt ex eo quòd aut maſculini ſeminis imbibitionem in uteri ſubſtantia impediant aut ejus in uteri cavitate retentionem; quod dicimus de uteri frigiditate à ſanguine aquoſo & frigido orta, dicendum etiam de intemperie ejus calida à ſanguine aciori & bilioſo orta, qua fit ut partes ſeminis à viro injecti volatiliores & ſpirituoſiores avolent, diſſipentur, & abſumantur, ſicque eum effectum in ſanguine muliebri & utero præſtare non poſſunt qui requiritur ad generationem. Præter jam dictas cauſas quæ ferè omnes ſe tenent ex parte uteri aut vaginæ, ſunt & aliæ ſe tenentes ex parte teſticulorum ſeu ovariorum aut valorum ſemen aut ova à teſticulis ad uterum deferentium, quæ cauſæ in utraque hypotheſi ſeu ſeminis ſeu ovorum valent, & ſterilitatem creare poterunt, tales ſunt prava teſticulorum ſeu ovariorum conformatio, denſa textura, mollities, exulceratio, durities, calculoſa diſpoſitio, quæ omnia apta ſunt impedire aut generationem ſeminis in teſticulis, aut ovorum fœcundationem, ſecretionem, accretionem, & ſeparationem ſine quibus mulieres generare non poſſunt, quod ſi teſticulis ſeu ovariis, & utero bene conſtitutis &

bene ſe habentibus, malè conformata ſint vaſa ſemen aut ova deferentia hoc eſt vaſa quibuſdam ejaculatoria dicta, Neotericis verò *Tubæ Fallopianæ*, idque, aut per eorum obſtructionem, anguſtiam, ruptionem, aut nimiam à teſticulis diſtantiam, quod Tubis Fallopianis præcipuè competere poteſt quæ naturaliter teſticulum non amplectuntur nec ad eum accedunt, niſi in coitu ut putant Neoterici, tunc defectu viæ per quam ſemen aut ova in uterum deferuntur ſterilitatem quoque produci neceſſum eſt. Sunt qui pro cauſa ſterilitatis afferunt etiam menſtruæ purgationis defectum, & idcircò putant, neque puellas juvenes neque vetulas concipere poſſe; ſed quanquam non negemus fermentationem illam quæ ſingulis menſibus recurrere ſolet in humoribus & ex qua menſtruorum fluxus ſequitur, multum ad conceptionem & generationem conferre utpote quæ partes genitales dilatet, eorum poros & vaſa aperiat atque peculiarem ſanguinis conſtitutionem inducat, ratione cujus ſemen virile exceptum & in ſanguinem mulierum introductum, aut in uteri cavitatem in actum meliùs deducitur, hoc tamen non impedit quin abſolutè generatio & conceptio fieri poſſit citra tamen menſtruorum effluxum, quod ne temerè dictum ſit, mulieres plurimas, quæ nunquam menſtruas purgationes paſſæ fuerant, concepiſſe & generaſſe teſtantur auctorum obſervationes, quamquam veroſimile eſt, ſi non fluxum ſanguinis menſtrui, fermentationem tamen illam quæ eum præcedere ſolet paſſas fuiſſe, namque talis fermentatio multum conducit ad eam partium genitalium diſpoſitionem, & ampliationem quæ ad generandum requiritur. Sterilitatem quæ ſymptomatica, ut ita dicam, eſt & alios affectus conſequitur, febres nempe diuturnas, paralyſim, chronicos morbos, hìc non conſideramus, illa enim propriè ad partes ſpectat genitales, nec ad ſanguinem primariò & ſolam generationem vitiantem, ſed pendet ex virium labefactatione, ſpirituum defectu, & ſanguinis depauperatione, quæ tam bene alias functiones lædit quàm generationem.

Cauſis omnibus prædictis adjungi debet certa ſeminis virilis cum mulieris humoribus improportio, ratione cujus etiamſi vitium in mare & fœmina nullum ſit invicem tamen generare nequeunt. Hoc probat duplex experientia: nam qui diu ſimul coeuntes prolem ſuſcipere non potuerunt, vir cum alia muliere generare, mulier cum alio viro, non ſemel viſi ſunt, atque etiam duo conjuges per decem, quindecim, viginti annos ſine prole invicem copulati, tandem mutatione ætatis generarunt. Suſpicandum tamen illud evenire ob exuperantem in utroque aut alterutro conjuge caliditatem nimiam aut frigiditatem ſeminis partem ſpirituoſam extinguentem aut diſſipantem, aut propter minorem maris ſeminis cum muliere heterogeneitatem, ratione cujus fiat ea fermentatio quæ requiritur ad ovum fœcundandum ex ovario detrudendum &c. vel ſi mavis ad ineundam cum ſemine muliebri in utero mixtionem & conjunctionem. Non eſt ut pro cauſis ſterilitatis afferamus maleficia, incantationes, venena quædam, plantas, mentham, zizimbrium, fabas, aliaque, ut ſunt lapis Gagates, vulva capræ aut mulæ, ſaphirus, ſmaragdus &c. de illorum enim ſterilitatem inducendi energia præterquam dubitatur à gravibus auctoribus non ſine ratione; non videtur qua mechanica id præſtare valeant, ac proinde Medicis nil niſi mechanicum admittentibus explodenda.

Diagnoſim quòd ſpectat, ſi pudendi, vaginæ, orificii uteri clauſura, compreſſio & anguſtia ſterilitatem inducat, hoc ſenſibus & ſignis jam propoſitis dignoſcetur, item facilis ejus erit diagnoſis ſi prodeat ex conjugum odio, obeſitate, uteri hydrope, ulcere, fluore albo, abortu, partu laborioſo; ſi uteri obſtructio, ſcirrhus, cancer, ulcus, infarctus ſterilitatem induxerint, ex ſignis in eorumdem tractatu relatis innoteſcet; ſi uteri & ſanguinis frigidior aut calidior intemperies, hoc notum fiet ex ſignis temperamenti calidi aut frigidi; ſi uteri textura denſa & nativa mala teſticulorum conformatio, aut

va-

vaſorum deferentium in uterum, hoc non poteſt Medicus ſuſpicari, niſi per abſentiam aliarum cauſarum, & certè non planè innoteſcit niſi per aperturam cadaverum; defectus menſtruæ purgationis, ſive à natura, ſive à cauſa præternaturali, ſterilitati occaſionem dans, per ſeipſum aut ex ægræ relatu ſatis manifeſtabitur; improportio autem illa quæ inter ſemen maſculinum, & mulieris humores requiritur, niſi excedens ſit in utroque in caliditate, aut frigiditate intemperies, vix cognoſci poteſt; alia ſigna Riverius proponit ad dignoſcendum an mulieres ex proprio vitio, & à natura ſteriles ſint, nempe ſuffitus per vulvam, intruſio allii in pudenda, aut galbani, quorum odor ſi collo circumtecto ad nares feratur putant ſterilem non eſſe, ſed illa ſicut, & alia quæ ab eodem Riverio proponuntur, & quæ non refero utpote nullius momenti, incerta omnino ſunt, & in iis immorari non debet prudens Medicus. Pro hujus affectus integra diagnoſi dum nempe à cauſis abſtruſis pendet, videndum num viri culpa generatio impediatur, fruſtra enim remedia uxori adhiberentur: ſterilitas ergo in viro dignoſcetur ex morbis partes illius genitales obſidentibus, ut excretione læſa, aut abolita, ſeminis defectu, teſticulorum carentia, tumoribus ſcirrhoſis, debilitate, frigiditate, &c. ſi verò mala ſit partium genitalium nempe teſticulorum, & vaſorum præparantium, aut ejaculatoriorum in viro conformatio, certè hoc nullo modo niſi conjectura valde levi innoteſcere poteſt.

Prognoſis ſterilitatis dum naturalis eſt ex partium mala conformatione oriunda, mala non eſt, nullum enim inde individuo damnum exoritur, licèt incurabilis ſit. Quæ ab aliis cauſis dependet varia ferenda pro varietate cauſarum; nam ſi à ſtrictura, & anguſtia pudendi, vaginæ, aut alia qualibet clauſura, denſa textura uteri dependeat, non facilem curationem recipit, ſi cauſæ clauſuram facientes à natura, & nativa diſpoſitione dependeant. Dum ſterilitas uteri frigiditati, caliditati, tumoribus, ulceri, hydropi, & fluori albo ortum ſuum atteſtatur, non diſſimilem requirit prognoſim ut dictum fuit, ubi de talibus morbis egimus. Quæ ab obeſitate, & ventre prominente dependet, aut odio inter conjuges faciliùs tolli poteſt propter majorem cauſarum levitatem; quæ à mala partium genitalium conformatione dependet, etiam omnium remediorum apparatu curari nequit; quæ demum ab improportione feminis virilis cum mulieris humoribus faciliùs curationem recipit, & plerumque ætatis mutatione ſponte ceſſat.

Curationem quod ſpectat, ſi affectus ex prava partium genitalium conformatione dependeat, aut ex uteri denſa, & nativa textura, remedia nulla utpote inutilia adhiberi debent; ſi verò ex uteri obſtructionibus, infarctu, menſium ſuppreſſione, clauſura quacumque, fluore albo, tumoribus, prolapſu, ulcere, hydrope, imò frigiditate, aut caliditate procedat, aut ſymptomatica, ut ex paralyſi, febribus, & morbis chronicis dependens, curationem eandem requirit quæ in horum morborum tractatione in præcedentibus expoſita fuit quam idcirco omittimus. Dum ſterilitas ob nimiam obeſitatem, & ventrem prominentem excitatur, curari debet victu tenui, & pauco, phlebotomia aliiſque emaciationem debitam accerſentibus; dum odium inter conjuges tali affectui dat occaſionem, tentandum omni arte ut amor mutuus inter illos concilietur, quando denique improportio ſeminis virilis ſterilitatis cauſa eſt, corrigenda per propria remedia prædominans in utroque, aut alterutro conjuge ſanguinis intemperies; ſi adſit incantationis, & faſcinationis ſuſpicio, quæ cauſæ ſterilitatis frequentes creduntur à Veteribus, plura ab ipſis traduntur remedia præter preces, & orationes, nempe priapus lupi geſtatus, adamas, hyacinthus, hepericum, ſcylla, ruta, ſagapenum, aliaque quæ videri poſſunt apud Auctores.

Nos verò hujuſmodi cauſis fidem non adhibemus, amuletorum quoque illorum

vim

vim nullam putamus ; proponuntur ab auctoribus remedia quædam quæ ſpecificare putantur in ſterilitate, quæ potiſſimum conferunt in ſanguinis , & uteri ad partium genitalium frigiditate , aut in ſpirituum , & virium defectu , tum in mare , tum in fœmina , talia ſunt theriac. mitridat. confect. alkerm. conſerv. radic. ering. ſatyrii, zinziberis condit. nuces, jugland. & moſchat. condit. ſemen , & folia erucæ , naſturtii , radix apii , renes ſcincorum , ambr. moſchat. vinum generoſum , cinnamom. crocus , ammeos ſemen , eſſentia & ſal ſatyrii , piſtachia , aquæ ſpirituoſæ , ſal. volatil. & omnia quæ calefacere poſſunt & corroborare ; quòd ſpectat ad alia magis ſpecifica dicta ut ſunt matrix leporis , priapus tauri , cervi , ſecundinæ mulieris exſiccatæ , teſticuli , & hepar porcelli , quem ſolum ſcropha edidit, aliaque multa ejuſdem naturæ penès fidem auctorum ſunto ; topica niſi in formam ſuffitus , balnei , aut fomenti adhibita nullius ſunt energiæ.

NOTA.

STerilitatis cauſæ ſunt vel notæ , & ſenſibus obviæ , vel ignotæ , aut latentes , adeo ut conjectura tantum eas aſſequi poſſimus . Priores in utriuſque ſexus organorum exteriorum prava diſpoſitione , & humorum vitio noto majori ex parte , conſiſtunt . Poſteriores verò ad organorum internorum , tum & humorum feminiſque ipſius vitio imperſcrutabili , aut difficillimè noſcendo , ut plurimùm dependent. Porrò ſterilitatem à mulierum , quàm à virorum parte potiùs , & ſæpiùs provenire præſumi ſolet, quòd cauſæ tum manifeſtæ tum occultæ plures in ſequiori ſexu quàm in altero generationem impedire poſſint , ut rem vel leviùs penſitanti facilè , & primo intuitu patebit.

Cauſas ſterilitatis ab organorum diſpoſitione tum nota , tum ignota pendentis , ut mittamus , remedia tantùm proponemus , quæ aut humorum atque adeò ſeminis craſi emendandæ , & reſtituendæ utilia ſunt ; aut , vi ſpecifica , generationi quoquo modo , inſervire creduntur.

Præter ſtimulantia à clariſſ. Auctore propoſita , ſatyrium , eryngium , ſemina acria , renes ſcinci , crocum , ambram griſeam , aromata , & alia id genus , quæ ſterilitati à frigiditate ortæ , & impotentiæ venereæ virorum æqualiter medentur ; quædam alia ſunt medicamenta , quæ ſine ulla ſtimulatione , humores ſuperfluos tum in viris tum in mulieribus abſorbent , ſalium aculeos retundunt partibus tonum reddunt , unde ſterilitati à cauſa , ſeu frigida , ſeu calida ortæ , & ab alia quacunque humorum dyſcraſia provenienti , conducunt.

Hujuſmodi eſt in primis diaphoreticum martiale , ſpecificum ſtomachicum dictum , cujus uſus , in hoc caſu multum profuiſſe non ſemel viſus eſt . Ejuſdem efficaciæ ſunt viperina juſcula , quæ non modò multùm nutriunt , & ſemen augent , ſed etiam ſalia acriora fluores mulierum facientia , inviſcare , & mitiora reddere apta ſunt . Juſcula iſta non ex viperis ſolis parari debent , quæ nauſeoſa nimis eſſent ; ſed cum viperis commodè coqui poſſunt , pulli columbini , & gallinacei , addendo ſi lubet , macis , aut cinnamomi , aut cubebarum momentum . Optimum eſt , & ſal viper. volat. in minima doſi. Lactis uſus optimus etiam hìc eſt , addendo ovi vitellos.

Specifica virtute agentia multa commendantur , decoctum , & eſſentia ligni ſaſſafras , ſpiritus meliſſæ , tinctura coralli ſaſſafrata , roſmarinus , ejuſque eſſentia ; teſticuli , & matrix cervæ , cujus doſis ad ʒ. j. Nec omitti debent remedia ex formicis petita , quæ impotentiæ virili , & ſterilitati communia ſunt . Spiritus & eſſentia formicarum , item oleum formicarum volantium externè utero illitum . Vel paratur balneum ex aqua cui incoctum ſit integrum formicarum cubile , quod balneum , poſt menſium fluxum in primis uſurpari debet . Thermæ , & hìc miræ ſunt efficaciæ ,

piæ, & aquæ minerales ferruginoſæ, & & nitroſæ. Verùm non ſufficit ut ſanguis & humores emendentur, aut partium vitium corrigatur; multùm intereſt præterea in quibuſdam caſibus ut ſpiritus ad partes generationi inſervientes allicantur, quod fieri non poteſt niſi conjugum imaginatio ideis venereis impleatur, lectione potiſſimùm ſcriptorum amatoriorum, & colloquiis liberioribus; & niſi procaces joci juvenileſve amantum nequitiæ venerem ſopitam aut languentem excitent. Venia ſit verbis; aliter hæc ſpara non tractantur, nec impurum quis jure dixerit quodcunque Hymenæi fax purgavit.

CAPUT XV.

De Morbis Acutis, & Chronicis Prægnantium.

MOrbi acuti, & chronici prægnantium non alterius ſunt naturæ quàm ii qui alios homines aut fœminas vulgò corripiunt, quique in diſcurſu morborum à nobis tractatorum expoſiti ſunt & enucleati; attamen quia diverſa eſt in gravidis dictorum morborum ferenda prognoſis & curatio, paulò magis inſtituenda erit ipſi propria propter contraindicationes quæ & à fœtu & graviditate petuntur, hinc eſt quod de iis prout in prægnantibus conſiderantur peculiari hoc capite agere voluerimus.

Eſt ergo morbus acutus, ut ſcitis, ille affectus qui celeriter percurrit cum periculo ſua tempora, & pro majori aut minori celeritate acutus, peracutus, & acutus ex decidentia. Tales ſunt febres continuæ, malignæ, cholera morbus, ileus, pleuritis, preripneumonia, angina, hepatitis, apoplexia &c. morbus verò chronicus ille dicitur qui tardiùs ſua tempora percurrit, & ad unum, duos aut plures menſes & annos interdum propagatur, cujus duplex eſt ſpecies, alius ſcilicet periculoſus & plerumque lethalis, ut cephalalgia, epilepſia, hypochondriaca affectio, obſtructiones, aliique multi affectus; talium itaque affectuum ætiologiam tradere inutile prorſus foret; idcirco ſufficit nobis ſi prognoſim eorum & curationem utpotè paulò diverſam proponamus.

Prognoſim quod ſpectat, morbi acuti & chronici in gravidis multò ſunt periculoſiores quàm in aliis, idque non ſolùm ratione virium dejectarum & depravati ſanguinis ad nutritionem fœtus dicati, ſed etiam in acutis ratione febris ſeu caloris præternaturalis quæ facilè migrat in fœtum, & ratione victus tenujoris in talibus morbis imperandi, quo mater ſuſtentari ſufficienter non poteſt, atque tandem ratione remediorum vehementium ad curationem morbi requiſitorum, quæ tamen metu abortus ſecuturi ita tutò celebrari non poſſunt; in chronicis verò quamquam quandoque tantum periculum non portendatur ut in acutis, plerumque tamen quando ſunt vehementes morbi, ut epilepſia, febrium intermittentium fortes paroxyſmi, dolor colicus & periodicus pertinax, plurimum tum fœtus, ſi non matris vita periclitatur; dum autem lethales ſunt, ut phthiſis, hydrops, paralyſis perfecta, & mater & fœtus in pari verſantur periculo; morbi chronici & acuti primis & ultimis geſtationis menſibus habito ſcilicet reſpectu ad fœtum plus habent periculi quàm aliis menſibus, hinc eſt quòd Hippocrates dicat, *ne eo tempore ſed tantùm intermediis menſibus purgentur prægnantes, aut in iis phlebotomia inſtituatur*. Hujus rei ratio eſt, quia initio & in fine geſtationis fœtus non ita firmiter utero adhæret: initio quidem propter debiliora vincula & fœtus teneritudinem; in fine verò propter pondus majus ipſius fœtus divulſionem majorem placentæ ab utero facientis & fructuum maturorum ad inſtar ſe ſe divellentis propter alimenti defectum ſuppeditati; comparatur enim fructibus fœtus, qui revera fructus eſt, qui in ortu ſuo tenerrimos habent pediculos, & maturi facti ſponte cadunt, firmiùs verò hæret mediis temporibus.

Curationem quod attinet, ea triplex potiſſimùm in gravidis remedii genus reſpicit, diætam nempe, venæ ſectionem & purgatio-

gationem; diætà in acutis morbis quamquam tenuis esse debet ut dicit Hippocrates, tamen largiorem imperant gravidis Veteres, idque ne defectu alimenti pereat fœtus, qui morbi acuti æquè ac mater pœnas luit, minori tunc indiget alimento ac proinde victu tenui, modò cum excessu talis non sit, sufficienter sustentari potest, impura enim corpora quò plus nutriuntur eò magis læduntur, adde quòd augetur morbus & febris à pleniori victu in matre ac proinde in fœtu; venæ sectionem in gravidis prohibet hic aphorismus Hippocratis, mulier utero gerens vena secta abortit, quem sequentes plures veteres Medici in prægnantibus venam secare non audebant præsertim primis & ultimis gestationis mensibus propter suprà dictas rationes, & quia insuper per venæ sectionem alimentum fœtui detrahitur præsertim dum grandior existit, sed profectò præter rationem qua evincitur indicatam à morbo matris phlebotomiam, indicari similiter à fœtu, utpote simili morbo laborante, qui morbo matris aucto augetur & primis mensibus alimentum fœtui utpote minori non detrahi, in ultimis verò si detrahatur detrahendum esse propterea quod fœtus ægrotans copiam alimenti solitam ita bene subigere non potest ut dictum fuit. Experientia quoque & observationes à Petro Salio, Amato Lusitano, Roderico à Castro, Riverio, aliisque Practicis hujus ætatis factæ, probant in omnibus gestationis mensibus venæ sectionem, dum necessitas postulat, tutò fieri posse, venæ sectio enim non ita exhaurit sanguinem nisi fiat animi deliquium, & copiosior sit, quàm adhuc sufficiens restet in corpore ad sustentandum, quantum requirit fœtus, imò sunt plures fœminæ quæ hoc remedio singulis mensibus usurpato abortu sese liberarunt, cui ante obnoxiæ erant; aliæ verò, venæ sectione in fine gestationis celebrata, feliciùs pepererunt quæ difficilè antea parere solebant; uno verbo quàm tutò in gravidis venæ sectio celebrari possit, testantur meretrices gravidæ quæ pluries tentaverunt, fœtum nondum maturum & efformatum emittere aut per purgationes fortes, aut per phlebotomiam etiam in saphena non semel celebratam, quæ omnia inutiliter plerumque facta sunt.

Purgatio prohibetur quoque ab Hippocrate in gravidis aut saltem non permittitur nisi à tertio aut quarto mense ad septimum propter minùs adhærentem initio & fine gestationis utero fœtum, attamen & ratio similiter & experientia probant celebrari posse & deberi quando opus est purgationem in quolibet gestationis mense non minùs quàm phlebotomiam, modò scilicet immodica & vehementia non sint, aut emetica remedia; in illis enim casibus propter agitatum maximè corpus & irritationes, constrictioneſque in primis viis factas, metus esset ne excuteretur fœtus; imò si affectus soporosus sit, aut epilepticus periculosus, aut alterius naturæ qui non nisi emeticis & fortibus remediis curari desideret, talia remedia sine mora adhibenda sunt, nulla habita ratione ad fœtum, quia satius est eum solùm perire quàm matrem simul & fœtum, Clysteres quoque ut de purgatione dictum est, celebrari possunt; alia remedia sudorifica nempe, diuretica utpote minùs periculosa potiùs adhiberi possunt, non verò menses moventia; modus tamen in omnibus adhibendus.

CAPUT XVI.

De Abortu.

ABortus est violenta & intempestiva, immaturi hoc est nondum perfecti fœtus & debitum excretionis terminum assecuti ex utero excluſio, qui morbus idem semper abortus nomen retinet, seu fœtus vivus sit, seu mortuus, modò immaturus & ante tempus excludatur; debent esse quatuor dies saltem à conceptione ut abortus propriè dicatur, ante enim quod ex utero excernitur, non abortus sed effluxio aut falsum germen nuncupatur, huic affectui obnoxiæ sunt omnes fœminæ cujuscumque ætatis sint & temperamenti, modò non sint

nimis

nimis vetulæ & ad concipiendum ineptæ.

Cauſæ hujus affectus duplicis generis ſunt, internæ aliæ, aliæ verò externæ; in prima claſſe reponitur primò plethora & ſanguinis abundantia, qua fit ut dum idem in vaſis redundans à fermento menſtruo exagitatur, aut præ ſui copia vaſa facilè in utero referat & menſtruum fluxum promovet, ſicque adhærens per placentam fœtus faciliùs divellitur & decidit, hoc quàm verum ſit teſtatur quarumdam prethoricarum experientia quibus niſi ſingulis menſibus, aut ſaltem graviditatis alternis, vena ſecetur obortire conſueverunt; ſecundò ſanguinis ſeu humorum & ſpirituum defectus, propterea quòd inde alimenti & copia debita & qualitate nempe puritate atque bonitate fœtus orbatur; unde tandem debilioribus factis vinculis fœtum cum utero ligantibus propter humores minùs ſuppeditatos, aut eos ob ſanguinis depauperationem nimis aquoſos & ſeroſos relaxatis, facilè fœtus ab utero ſeparatur; hinc non mirum ſi inedia immodica, ſanguinis per quamcumque partem evacuatio & alia ſpiritus abſumentia ad hunc affectum diſponant. Tertiò fœtus nimia moles & magnitudo præſertim in utero anguſto, & parvo; ſic videmus ſæpè parvas mulieres præſertim viris grandioribus junctas abortum pati ſolere, quod ſit non ſolùm ex pondere fœtum ab utero ſeparante aut uterum nimiùm diſtendendo ad excretionem irritante, ſed etiam hoc provenire poteſt in dicto caſu, quando nempe parva mulier viro grandiori deſponſata eſt à majoribus ſuccuſſionibus à membro viri improportionato & longiori, in uterum factis; ex quibus ſequitur ut ſolvatur fœtus cum utero adhæſio. Ad pondus & magnitudinem referendus eſt fœtuum numerus; nam quò plures ſunt, eò magis ponderant, & majus ſpatium occupant, adde quòd copioſiori indigent alimento, & ea eſt ratio cur frequens ſit gemellorum abortus, aut triplicis fœtus, ſi quando acciderit, ut ipſemet vidit: fœtus quoque mortuus in hanc claſſem referri poteſt qui pondere ſuo uterum ad excluſionem laceſcit, non ſecus ac corruptione & putredine per quam eandem partem irritat.

Ad cauſas etiam internas referri debent morbi utero jam gravido advenientes, inflammationes nempe, tumores, abſceſſus, ulcus &c. aut hydrops & humorum ſeroſorum in ejus corpore accumulatio, ea enim omnia aut alimenti fœtus ſeparationem impediunt, aut uteri ſubſtantiam relaxant, aut uterum ad contractiones præternaturales cient; unde nonniſi abortus expectari poteſt; Denique intrinſecè etiam abortum inducere poſſunt varii morbi nempe teneſmus, dyſenteria, diarrhœa, vomitus, calculus in veſica, hyſterica paſſio, tuſſis moleſta, epilepſia, dolor colicus pertinax, aut arthriticus, aut reheumatiſmus, aut alterius naturæ, febris continua intermittens aut partium vicinarum inflammationes, idque aut motum inordinatum ſpiritibus conciliando, aut uterum in irritationis conſenſum trahendo aut eundem concutiendo & agitando; quæ omnia quantum cohæſionem fœtus & uteri ſolvere poſſint, nemo non videt.

In ſecunda claſſe ſive inter externas abortus cauſas reponuntur varia animi pathemata, nempe ira, triſtitia, terror, pavor, imò medicamenta cathartica fortiora, emetica vehementia, menſes moventia propinata, ſaltatio, equitatio, corporis agitatio, oneris gravioris geſtatio, clamor, caſus, ictus in ventrem, ſternutationes ſæpius recurrentes, immoderatus coitus, veſtium coarctationes atque etiam compreſſio ventris aſſulis ligneis, eburneis, aut balenaceis quas mulieres ad corporis venuſtatem & rectitudinem gerunt, quæ omnia quomodo agant ſigillatim explicare non opus eſt, utpote quorum actio ex prædictis ſatis inferri poteſt; eaque uterum agitando, concutiendo, premendo, ad conſtrictionem provocando, ſpiritus inordinando, aut aliis modis ſuprà dictis affectum ſuum ſortiuntur.

Abortus dum fit aut factus eſt, ſatis ſuperque per ſe ipſum ſe manifeſtat: quæ verò eum præcedunt; & imminentem

deſignant, ſunt lumborum & coxarum gravitas, & ad motum ſegnities, propter divulſionem factam in regione hypogaſtrica & per conſequens humores versùs illas partes magis delabentes, eaſque infarcientes, atque etiam propter divulſionem ligamentorum & rotundorum qui inguinibus & principio coxarum innituntur, & latorum quæ alligantur ad oſſa illia & vicinas partes, præterea appetentia dejecta, propter humorum, inſtante abortu, agitationem & fermenti ſtomachalis impeditam ſeparationem atque actionem; rigores quoque & horrores ab eodem motu humorum, & ſeroſitatum acrium in habitu corporis ſeparatione oriundi; mammarum plerumque detumeſcentia & extenuatio, ex eo quòd humores qui in has partes ferebantur, copioſiùs alias vias affectent & in uterum aut partes vicinas potiùs determinentur.

Si verò conſequenter ad ſuprà dicta, dolores continui in infirmo ventre urgeant, qui versùs pubem & os ſacrum exporrigantur, idque cum conatu quodam ex utero egerendi, tunc abortus proximè ſtare ſignificatur qui etiam præceditur ſemper ſanguinis puri vel ſeroſi fluxu, provenientis ex diſruptione vaſorum uteri & placentæ atque membranarum fœtum involventium, quo facto per validam contractionem quam init uterus, jam à diſruptione ſenſibilior factus, fœtum quem in ſua cavitate continebat foras emittit; tuncque venter ſubſidet, conſequente majori aut minori lochiorum fluxu, prout plura vel majora vaſa diſrupta ſunt, & prout vehemens magis minus fuit ab uteri interna ſuperficie placentæ divulſio, ita ut plerumque inde hemorrhagiæ ſequantur copioſæ, aliquando etiam & alia ſymptomata nempe ſyncope, animi deliquium, convulſio &c. major erit abortus metus prout cauſæ eum producentes vehementiores aut minùs vehementes erunt, iſque pro majori aut minori ſymptomatum ſævitie citiùs aut tardiùs nempe 1. 2. 3. die ſubſequetur.

Cauſæ autem abortum facientes ſatis notæ fient, ſi obſerventur ea quæ præceſſerunt, & interrogentur ægræ atque miniſtrantes.

Prognoſim quod ſpectat, abortus quanquam plerumque lethalis non ſit, periculo tamen non caret, idque tum propter hæmorrhagias, tum etiam propter animi deliquia, dolores intenſos, deliria, convulſiones quandoque ſequentes, imò ſi violentus fuerit propter hydropem, ſcirrhum, inflammationem, gangrænam, alioſque graviores morbos abortum conſequi ſolitos, qui ad mortem ſæpiſſimè terminantur; abortus frequentiùs recurrens, fœminas ſteriles reddit ob laceraciones in utero factas; quæ dum conſolidantur, texturam uteri denſiorem faciunt. Primis menſibus non ita periculoſus eſt quàm aliis, quia non ita fortiter fœtus utero adhæret; ac proinde faciliùs poteſt ſeparari, & citra magnam hæmorrhagiam; periculoſior tamen eſt in primipara quàm multipara fœmina propter viarum anguſtiam & dolores minus aſſuetos.

Abortus multiplicem poſtulat curationem, aliam dum factus, quæ ſymptomatis ſequentibus ſuccurrat, virium nempe debilitati, quod fit per ſpirituoſa aut corroborantia, ut in ſyncope dictum eſt: hæmorrhagiæ, quod fit per injectiones & ſuffitus adſtringentes, phlebotomiam aliaque in menſium fluxu propoſita; convulſionibus, ſyncopi, apoplexiæ aliiſque gravioribus morbis quod fit per remedia in talium morborum tractatu recenſita aut inferius in tractatu morborum puerperas invadentium recenſenda. Aliam quoque requirit curationem dum nondum factus eſt abortus, idque aut in graviditate, quando metus eſt ne ſubſequatur ob prægreſſam aliquam cauſam internam aut externam & procatarcticam, vel extra graviditatem dum nempe obnoxiam abortibus fœminam ſanare Medicus vult & impedire ne iterum abortiat, hoc ultimum præſtatur, tollendo aut corrigendo pravas diſpoſitiones quæ abortui anteà locum dederunt. Si hoc procedat ex plethora, celebranda identidem venæ ſectio; ſi ex cacochymia, ſeroſa uteri colluvie, cauterium, ut Zacutus; ſi ex hydrope, tumore aliiſque morbis uteri, adhibenda, ex propriis

priis illorum capitibus remedia.

In graviditate verò futurus abortus præcavetur multipliciter, pro varietate cauſarum, qui à plethora aut inflammatione ſuperveniente dependet; venæ ſectionibus, refrigerantibus, aliiſque in tractatu de inflammatione uteri recenſitis: qui à ſanguinis & ſpirituum defectu, reſtaurantibus, analepticis, conſummatis, cardiacis, ſpirituoſis, roborantibus, theriaca, confectione alkermes & hyacinthi, opiata Salomonis, aqua vitæ, vino generoſo, aqua cinnamomi, imperiali &c. Qui ex magnitudine & pluralitate fœtus pendet propter pondus & molem in utero exiguo curationem facilè recipere non poteſt, qui vero à fœtu mortuo procedit curatur ut infrà ubi de illo agetur. Qui à tumoribus adventibus utero aut ulcere pendet curabitur remediis in propriis eorum capitibus relatis; qui ab uteri laxitate & ligamentorum propter ſeroſos accumulatos humores, curabitur benignioribus ſudorificis, attenuantibus, humores abſumentibus, toties à nobis propoſitis, interpoſitis adſtringentibus; qui ex ſupervenientibus, dyſenteria, vomitu, diarrhœa, paroxyſmo epileptico, teneſmo, doloribus &c. febribus &c. ortum ducit, per eadem ac illi morbi medicamenta curari poſtulat; qui autem à cauſis externis, ſaltatione, equitatione, abdominis compreſſione, exercitiis, pavore, oneris geſtatione, aliiſque uterum concutientibus pendet, præter præcautionem quam habere debent ut fugiant omnes vehementes illas cauſas, requirit medicamenta adſtringentia, & tonum uteri reſtituentia, corall. gran. kerm. margar. raſur. ebor. aqu. roſ. plantag. radic. tormentill. ſyrup. roſar. ſicc. de cydon. & alia in fluxu menſium immodico expoſita ex quib. julep. pulver. opiat. confici poterunt; qui verò à vehementiori cathartico aut veneno procedit, poſtulat remedia quæ his cauſis medentur, pluries in noſtro curſu relata, quibus deindè adſtringentia & roborantia ſuccedere debent, uno verbo adſtringentium uſus in omnibus caſibus locum habet præſertim dum nondum fœtus ex utero avulſus eſt, atque etiam cardiaca ut plurimùm, modò febris & inflammatio non adſint; emplaſtra pro matrice, contra rupturam aliaque ex adſtringentibus parata ventri applicata ſicut fotus & linimentum, parùm aut nil faciunt, amuleta verò quæ proponit Riverius, lapis hæmatites collo ſuſpenſus, magnes umbilico admotus, jaſpis, corall. ſmaragd. os è corde cervi &c. geſtata, ſunt meræ imaginationes & nugæ, interim ſumma quies ægræ imperanda tum corporis tum animi, coitus vitari debet aliaque quæ ægrotanti nocere poſſunt, phlebotomia, purgatio, & clyſteres modò acres non ſint præſcribi quoque poſſunt & debent, à quacumque cauſa oriatur affectus, quando Medico videbitur atque etiam laudanum narcotic. ſi ejus adſit indicatio; dum autem abortus fit, qui ſuprà dictis remediis præcaveri non potuit, juvatur quantum fieri poteſt eodem modo ac partus difficilis de quo jam incumbit agendum.

River. Riform.

NOTA.

INter præſervantia in genere commendatur à clariſs. Ettmullero, è ſimplicibus verbena, ex eaque paratum extractum, aqua, eſſentia, ſuccus, internè & externè. Grana Kermes multum etiam conducunt, ex iiſque pulvis, tinctura, confectio. Tum Ebur & omnia ex ebore, præcipuè gelatina in potu vel juſculis diſſoluta. Cancri fluviatiles quacunque ratione adhibiti; in ſpecie pulvis Cancrorum exſiccatorum qui ſpecificus Poterio auditur hoc in caſu. Item cancrorum ſuccus ex vino aut juſculo. Corallia, & ex iis varia præparata.

Externè in genere ad præcavendum abortum confert panis piperatus, melle illitus & pulvere garyophyllorum inſperſus, tum regioni pubis applicatus.

In ſpecie ubi à terrore timetur abortus conveniunt ex ebore parata; item pulvis Marchionis; tinctura corralliorum in aquis appropriatis, addendo thus & maſtich. Ubi à frigore convenit internè aqua vitæ mulierum; balſamus embryo-

num & ſimilia ſpirituoſa. Externè inunctiones ex oleo maſtichino, cum pauco ol. ſtillatitio macis & caryophyllor. & balſamo Peruviano. Si ab ira proderit ebur ſine igne præparatum, in vino acidulo, item gelatina eboris acidulata. Si ex torminibus conducit panis piperatus mox præſcriptus externè. Internè verò pulvis zedoariæ, vel per ſe vel ex pane butyro illito.

De adſtringentibus biſtorta, tormentilla, mille folio, plantagine, remediis maſtichinis & ex cydoniis; item de pulvere contra abortum Auguſtanorum nihil addimus, cùm remedia hæc vulgaria ſint.

Externè ubi imminet abortus à relaxatione uteri, conducunt bdellium & maſtiche in aceto diſſoluta, & in forma emplaſtri hypogaſtrio admota. Sunt etiam qui laudant in imminente abortu fermentum ſub umbilico, & lumbis applicatum. Balnea aluminoſa à quibuſdam commendata minus tuta videntur quòd vaginam anguſtiorem reddentia partum laborioſum faciant. Hactenus clariſſimus Ettmullerus. Ad balnea quod attinet aluminoſa; hujuſmodi remedium adhiberi debet ad præſervationem ſeu præcautionem ante graviditatem; ut ſcilicet uterus humidior exſiccetur. Imò aquæ nitroſæ, quæ aluminoſæ falsò plerumque audiunt, utiliter propinantur eodem in caſu. Hæmorrhagia quæ abortum ſubſequitur, ſi nimia ſit, iiſdem remediis curatur quæ infra dum de lochiorum fluxu nimio.

CAPUT XVII.

De Partu Difficili.

UT partus naturalis dicitur ille, qui ſalvis boniſque fœtus & matris rebus facilè, hoc eſt citra inſolitos labores & celeriter, item intra 24. horas ad ſummum fiatque etiam ſtatuto tempore, & ſine ſymptomatum vehementia; ſic vice verſa, ille præternaturalis & difficilis appellatur qui fit cum matris, aut fœtus, aut utriuſque periculo, quique ordinariæ cauſæ leges non ſervat ſed longius tempus intumit & dolores vehementiores aliaque ſymptomata graviora conjuncta habet.

Cauſæ partus difficilis vel in matrem refunduntur vel in fœtum, & in uterum & partes genitales, ex parte matris, debilitas vel nativa, vel à morbo aut aliunde acquiſita, difficultatem partus inducere poteſt, ratione cujus impar eſt partus ſubſtinendis torminibus, atque etiam faciendis conatibus qui ad fœtus excluſionem requiruntur; ex parte verò uteri multa fœtus excluſionem impedire poſſunt, talia ſunt quæcumque vias per quas fœtus tranſire debet, comprimunt & occludunt, ut ſunt pinguedo & craſſities nimia, mala vaginæ conformatio ut in claudicantibus & quæ crura diſtorta habent, calculus aut tumor veſicam & rectum inteſtinum occupans, tumores, ulcera, obſtructiones uteri, vaginæ orificii & vulvæ in clauſura uteri, atque anguſtia præternaturali in vagina &c. recenſita; ex parte fœtus multa quoque partum difficilem reddere poſſunt, ac primò quidem quando mortuus eſt frigiditate ſua ſenſum uteri ac proinde motum imminuens & uterum motu ſuo & agitatione ut accidit dum vivus eſt ad conſtrictionem non ſtimulans; ſecundò quando grandior eſt uterum nimium diſtendent & ultra tonum, ſicque ejus contractionem impediens, aut caput grandius habet, quod per orificium ſuperius uteri aut vulvæ tranſire non poteſt; tertiò dum plures ſunt in utero fœtus propter eandem rationem, ſcilicet propter uteri majorem plenitudinem, diſtenſionem quæ vincit omnem ejus conſtrictionem; atque hinc eſt quòd gemellorum partus laborioſior ut plurimùm eſſe conſueverit &c. 4o. quando in depravata figura ſe ſe offert, hoc eſt quando non capite ſed pedibus aut manibus prævviis exire conatur, vel unum pedem aut manum exerit, vel duplicatus egredi conatur nates aut ventrem ad orificium offerens. Ex parte etiam ſecundinarum quamquam rariùs, difficultas partus oriri poteſt, dum nempe membranæ fœtum obvolventes duriores ſunt nec facilè rumpuntur ut

fluant

fluant aquæ contentæ vias relaxantes, vel illæ simul cum fœtu utero pertinaciùs per placentam adhærent à quo divelli non possunt, præter jam dictas causas quæ internæ sunt, dantur & aliæ quæ externæ sunt & procatarcticæ, ut ictus, casus, vulnera quæ difficili partui occasionem præbere possunt aut fœtum enecandò, aut tonum ventriculi destruendo, aut alia quacumque de causa, similiter & obstetrix imperita errans in officio suo aut præmaturè nimis partum promovendo, aut non debitè fœtum in prava figura se se offerentem repellendo. Quod spectat ad res nonnaturales, aeris constitutionem frigidam & siccam, aut fervidiorem, aquilonaremve, alimenta cruda, adstringentia, somnum aut vigilias immodicas, motus intempestivos, prægnantis excrementorum retentiones, animi pathemata varia, illa omnia quamquam absolutè partum plerumque impedire non possint, tamen in concursu aliarum causarum multùm pariendi difficultatem augent.

Dignoscitur partus difficultas satis superque per seipsam, tum etiam per longius tempus quo tormina patiuntur prægnantes, atque insuper dolorum recursum, eorumque ad dorsum potiùs quàm pudenda propagationem; signa causarum sunt nempe, debilitas matris, pinguedinis crassities, clausuræ uteri, tumorum, ulcerum, obstructionum, ex ipsarum parturientium relatu autopsia aut ex iis quæ in præcedentibus capitibus dicta sunt facilè haberi possunt; fœtus mortui signa afferentur capite sequenti, magnitudo fœtus aut multitudo ex statura parentum & abdominis intumescentia majori dignoscetur, adhæsio fœtus firmior cum utero, per absentiam aliarum causarum nota fiet, aut saltem conjicietur, præsertim si aquæ non fluxerint, præpostera fœtus figura, ab obstetrice, aut oculis deprehendetur.

Prognosim quòd attinet, omnis partus difficilis periculi plenus est, & eo interdum mater, interdum fœtus, & interdum uterque extinguitur, si mulier. 4. aut 5. dies in partu laboret, vix fieri potest quin fœtus non moriatur, convulsiones in partu supervenientes atque etiam affectus soporosi, ut plurimum lethales sunt, sternutatio verò bona est ex Hippocrate, quia ad promovendum fœtus exclusionem aliquo modo juvat.

Curatio partus difficilis fit auferendo si fieri potest omnes causas quæ illum retardare valent, dico si fieri potest, nam obesitas nimia, mala vaginæ conformatio, angustia naturalis, magnitudo, moles, aut multitudo fœtus, aut idem mortuus corrigi non possunt, benè tamen debilitas matris per remedia in syncope proposita. Item & præpostera qua fœtus se se offert figura eum toties repellendo donec caput offerat, prægnantem in debita figura nempe supina demisso capite collocando, & uterum blandè versus superiora premendo; si verò clausura partium genitalium aut uteri varii morbi, nempe inflammatio, scirrhus, ulcus, gangræna: item si vesicam aut rectum intestinum occupantes tumores, partui difficili occasionem dederint, celebranda remedia in talium morborum tractatu recensita, fœtus mortui exclusio promovebitur remediis dum de hoc morbo agemus afferendis; præter illa omnia atque etiam causarum externarum & rerum nonnaturalium vitia tum abusum quæ plerumque partus difficultatem augent à quacumque causa partus difficilis ortum habeat, hoc est ex dictis sive aliis hoc est errore obstetricis, firma placentæ adhæsione &c. celebranda semper remedia sequentia partum juvantia, nempe adhibenda aqua cinnamomi & imperial. ad cochlear. unum aut alterum identidem propinatum, cinnamom. pulvis cum croco, confect. alkerm. in jusculo aut croc. cum vino, dictamnus creticus, radic. aristoloch. trochisc. de myrrha &c. aqu. naph. bardan. artemis. plurimùm conferunt, efficaciùs tamen oleum succin. essentia cinnamomi, sabin. extract. croci in exigua dosi ad grana & gutt. aliquot, sternutatoria quoque aliquando præstare possunt, euphorb. ellebor. alb. piret. &c. venæ sectio quoque in pluribus

caſibus celebranda præſertim dum mulier debilis non eſt, & non rarò partum facilitat ; clyſteres acres plurimùm conferunt , fotus etiam mollientes aut roborantes pro varietate diſpoſitionis uteri & fœtus . Quod ſpectat ad ſpecifica à Riverio propoſita aut geſtata aut applicata iis fidem adhibere non debet Medicus , ſublata omni ſpe partus & matre morti proxima , ſunt qui ſectionem Cæſaream inſtituunt , ſed valdè periculoſa eſt & horrenda , & rarò ſuccedit , ideò nunquam tentanda .

NOTA.

CUm ſæpius doloribus partus dolores colici accedant qui dolores partus nothi dicuntur , poſteriores à prioribus diligenter diſtingui debent . In hoc caſu præter clyſteres carminantes , exhibetur per os elixir. proprietatis ſine acido ex pauco vino , item ſpiritus ſalis armoniaci aromatis & amaris imprægnatus & ſpiritui vini maritatus ; qui etiam in veris doloribus partus confert .

In iſto caſu præterea laudantur infinita ſpecifica ſive internè adhibita . Paratur unguentum ex anguium ſenecta ſeu exuviis cum axungia vulpis & ſucco cancrorum fluviatilium quod abdomini illitum mira præſtare dicitur . Ridiculis accenſeri debet quod Hartmannus habet de oculis leporum pulveratis vertici illitis , ut ut ab aliis Medicis tanquam exploratum afferatur . Internè laudantur dictamnus cretica vera , fl. cyani & calcatrippæ , calendulæ , anthera lilior. albor. pulegium , meliſſa , lavendulæ ſemen . Hauſtus urinæ mariti ; ſtercus equinum ex vino . Spiritus ſecundinæ fœminæ priuiparæ , cujus præparatio videatur apud Ettmullerum . Ejuſdem ſecundinæ pulvis ℥ss. ad ℥j. pari cum ſucceſſu exhibetur ex aquis appropriatis pulegii ; commendant etiam ſpiritum fuliginis , cujus pulvis item ad ℥. j. exhibetur ; Caſtoreum , & ejus tincturam , ſuccinum album , & ejus oleam , aut ſal. boracem mineralem à ℈. j. ad ℥. ss. è quo & cinnamomo , & oſſibus dactylorum, myrrha , & pauco croco paratur pulvis efficaciſſimus ; teſticulos equinos ; qui pulveri jam memorato adduntur vel ſoli propinantur ex vino aut aquis ſpecificis ; jecur anguillæ aut ſerpentis , mercurium vivum ; aurum fulminans ad grana duo vel tria : oleum ex corylo ad guttas xii. propinatum & externè illitum . Opiata etiam aliquando proſunt cautè uſurpata , cum inſomnia urgent , & vires alterantur ; Vomitoria in quibuſdam fœminis multùm præſtitiſſe & ipſa viſa ſunt . Sed venæ ſectio inprimis utiliſſima eſt , nec unquam omitti debet ; cùm innumeris experimentis conſtet id remedii genus in hoc caſu feliciſſimè uſurpatum fuiſſe .

Eorundem remediorum pars cùm fœtui mortuo excludendo inſerviat ad caput ſequens nihil annotabimus .

CAPUT XVIII.

De Fœtu Mortuo .

FOetus in utero genitus & retentus non ſolùm præmaturè aliquando excluditur , ut dictum fuit ubi de abortu , non ſolùm quoque partum facit difficilem quando moles numero peccat & præpoſtera figura ſe ſe offert , ſed contingit etiam quandoque ut extinguatur & in ipſo primordialis vitæ loco ante lucis fruitionem , mortem oppetat , tuncque affectum inducit de quo nunc agendum nobis incumbit .

Talis autem mors fœtui in utero viventi accidit , aut conſpicuo ante partum tempore , & tunc ſi excludatur abortum facit , vel circa ipſum pariendi menſem , aut ipſiſſimo partus tempore ob magnos & diuturnos à partu difficili labores , contingit : aut demum extinctus multò ante partum diutius in uteri cavitate retinetur , atque in iis caſibus etiam partus difficilis ſpeciem inducit , quam à genere partus difficilis cum Riverio ſeparare voluimus & ſub notione fœtus mortui peculariter pertractare .

Cauſæ fœtum in utero , perimentes , non aliæ ſunt quàm quæ abortum inducere poſ-

poſſunt atque etiam partum difficilem, uteri morbi omnes, ictus, caſus, vulnus, equitatio, ſaltatio, ponderis geſtatio, morbi acuti & vehementes, veſtium coarctatio &c. viarum per quas tranſire debet anguſtia, matris debilitas, fœtus nimia moles, numerus, adhæſio ſtrictior ad uterum præpoſtera qua ſe ſe offert figura & alia quæ quomodo agant & mortem præſertim dum graviora ſunt fœtus accelerent, quilibet facilè intelligere poteſt & ex iis, quæ in partu difficili & abortu dicta ſunt colligere.

Dignoſcitur fœtus mortuus dum non amplius movetur in utero, etiamſi propinatis matri corroborantibus & ſpirituoſis adeſt refrigerationis ſenſus in regione hypogaſtrica ob deficientem in fœtum humorum motum, dum adeſt etiam ſenſus ponderis, & mater dum ex uno in aliud latus ſe convertit, aliquid ponderoſum ſentit lapidis adinſtar ex una in alteram partem devolvi, tunc enim quamvis in mole actus non ſit fœtus ponderat tamen magis ob deficientem ſpirituum & humorum motum fermentativum, qui multum contribuit ad levitatem animalis, ea eſt ratio cur mortui magis, quàm vivi ponderant, item, & qui inediam paſſi ſunt quàm qui cibis uſi fuerunt; præterea mortuo in utero fœtu facies matris pallida eſt propter vitiatum & minus mobilem factum ejus ſanguinem, ab ipſius fœtus corruptione & frigiditate, mammæ flacceſcunt, quia ſanguis maternus in ſua craſi vitiatus, ob miaſmata à mortuo fœtu exhalata non ſuppeditat, ut antea bonum chylum qui per glandulas ſeparetur, & quia colotoria lactis anteà hiantia & patula concidunt ob deficientem ſpiritum & humorum motum, nec ampliùs ſuo monere defunguntur, oculi minùs vividi ſunt propter defectum ſpirituum & ſi diutiùs moretur fœtus ob putredinem & corruptionem, quam concipit, halitus fœtidos per pudendum emittit & humores ſanioſos fundit, convulſiones accerſit propter corpuſcula putrida in ſanguinem & pulmones matris penetrantia, tetrum odorem toti corpori matris atque ejus halitui communicat.

Quoad prognoſim periculoſiſſimus eſt in utero fœtus mortuus, & niſi citò excludatur, febres, lipothymias, ſyncopes, convulſiones, & tandem mortem accerſit, dum præſertim putredinem contrahit; nam ſi citra putredinem nutritionis officio in ipſo ut in lupia, verrucis, tumore ſcrophuloſo, carnium excreſcentia perſeverante, ita ut jam non propria anima ſed veluti anima matris informetur tunc ad plures menſes, imò & annos retineri citra matris noxam, aut mortem, ut plures teſtantur Schenkii obſervationes & quæ noviſſimè facta eſt Tholoſæ à Domino *Baile*, imò etiam obſervarunt quidam in fœminis robuſtis & tono uteri firmiori donatis, etiam corruptum fœtum, mortem matri non intuliſſe, ſed per partes excretum fuiſſe modo per vulvam, modò per alvum aperto ſcilicet utero & recto, modò per abdomen apertum.

Curatio fœtus mortui tota verſatur in excluſione, aut extractione ejuſdem; excluſio ejus promovetur iiſdem medicamentis quæ in partu difficili propoſita fuerunt quæ proinde repetere non opus eſt, atque ex iis fortiora eligenda, ut ſunt trochiſc. de mirrh. ariſtoloch. rotund. dictamn. cretic. ſabina, & ejus eſſentia, borax ad ʒ. j. extract. croci; eſſentia cinnamom. ſternutatoria fortiora imò & vomitoria, ſi tutò celebrari poſſunt, ut teſtatur Angelus Sala, quæ uterum exagitant & comprimunt ad fœtus excluſionem, purgationes quoque, & clyſteres paulò fortiores ſi tutò exhiberi poſſint, quia dum incitant ad dejiciendum, incitant etiam ad excludendum fœtum, quidam commendant guttas aliquot olei heraclei, alii oleum ſuccini, alii teſtes equi exſiccatos quos habent pro ſecreto ſicut & ſtercus equinum, topica quod ſpectat fotus & cataplaſmata emollientia conveniunt atque etiam ex emollientibus paratus in ſeſſus aut ex oleo, inunctio ventris ex unguento de arthanita aliquando etiam juvat, ſuffitus quoque ex decoct. emoll.

aut

aut ex galban. gumm. ſed in primis peſſaria acriora in vaginam immiſſa eaque peracta ex ariſtoloch. colocint. agric. elebor. nigr. fell. taur. euphorb. pulver. hier. ſucc. rec. cucum. aggreſt. gumm. ammoniac. opoponax, ſal. gemm. & nitr. quæ omnia excipiuntur melle cocto ut in ſuppoſitoriis, vel pulverata in ſacculo includuntur in decoct. aut aqua ſabinæ madefaciendo.

His non ſuccedentibus ad extractionem deveniendum quæ ſit manu obſtetricis aut Chirurgi; oleo inuncta vel inſtrumentis uncis ad id adaptatis quæ inferuntur in uterum, ut fœtum apprehendente & retrahant, quomodo ea fiat operatio & quænam cautiones ſumendæ, videri poſſunt apud Paulum Æginetam & alios Chirurgos. Interim aliquando accidit ut propter præpoſteram fœtus mortui figuram pedes aut brachia primò exeant, tunc autem apprehendi debent illæ partes & ſic extrahi fœtus ſi fieri poteſt ſecus abſcindendæ illæ partes ut minoratus in ſua mole fœtus, deinde faciliùs in extractione procedatur, ſemperque corroborantia & cibi optimi ægræ exhibenda.

CAPUT XIX.

De Secundina Retenta.

UT Partus ſecundum naturam & rectè fiat non ſufficit fœtum poſt ruptas membranas eum involventes & factum humorum iis contentorum fluum exire, & ex utero excludi, niſi conſequenter tales membranæ cum placenta hoc eſt ſecundinæ, ſic dictæ, quia ſecundò exeunt idque propter continuitatem & cohæſionem quam habent cum fœtu mediante funiculo umbilicali; ſi itaque quacumque de cauſa non ſequantur fœtum tales ſecundinæ & in utero poſt fœtus exitum retineantur; illud præter naturam fit & affectus inducitur matri, de quo jam loqui volumus hæc eſt ſecundinarium retentio quæ graviſſima matri ſolet inferre ſymptomata.

Cauſæ illius retentionis plures ſunt, ac primò quidem nimia placentæ ad uterum adhæſio & coalitio ratione cujus quamvis uterus conſtringat ſe ſe ad fœtum excludendum, ipſeque membranas rumpat & exeat, ſecundinæ tamen in utero retinentur propter jam dictam rationem, tuncque aut funiculus rumpitur aut elongatur, & quamvis trahatur fortiter nullo modo tamen ſequuntur ſecundinæ.

Altera ſecundinarum retentionis cauſa eſt ruptio, funiculi umbilicalis à quacumque cauſa fiat, quàm plerumque poſt ſolum fœtum excluſum ſequitur valida cervicis uteri adſtrictio propter dolorem à diſtenſione & ſic ſecundinæ retentio; quæ ruptio à multis induci poteſt, errore ſcilicet obſtetricis fœtum violentiùs trahentis aut nimis citò funiculum reſecantis, aut reſectum etiam tenentis pondere nimio ipſius fœtus grandioris tenuiori præſertim exiſtente funiculo; denique virium exolutio à laborioſo partu ſecundinarum retentioni occaſionem præbere poteſt, quatenus in illo caſu poſt fœtus excluſionem non valet uterus fortem illam conſtrictionem elicere ad reſtantes in ſua cavitate ſecundinas extrudendas, quod idem præſtari poteſt conſequenter ad nimiam diſtenſionem ut ductum eſt cervicis uteri & vaginæ in fœtu craſſiori excludendo ac proinde dolore, quo fit ut non priùs fœtus excluſus fuerit quin ſtatim ſeſe orificium uteri validè contrahat, ſicque rupto ut plurimùm umbilicali funiculo membranas & placentam retineat.

Cauſæ externæ quæ extrinſecus advenientes ad hunc affectum diſponere poſſunt, ſunt primò frigiditas utero in partu ſuſcepta quatenus aer frigidus aut cervicem uteri ad contractionem ſubitam ſtimulat, vel idem in uteri corpore ſuſceptus vim ejus conſtrictoriam infringit, ſecundò terror & pavor in ipſo partu adveniens quatenus ex ſubito motu ſpirituum, excluſo fœtu validè orificium uteri contrahitur; tertiò imprudentia & moroſitas prægnantis quæ aliquando præ dolore in ſitu debito ſe continere non vult,

vult, & variè ſe exagitat, & commovet, unde ſequitur vel uteri cervicis contractio vel funiculi umbilicalis ruptio, ac proinde ſecundinarum retentio.

Diagnoſis ſecundinæ retentæ per ſe facilis eſt, ut eam fuſiùs tradere non opus ſit, quando tamen fruſtulum illius placentæ nempe, aut membranarum propter ruptionem à reliquo ſeparatur, aut in utero remanet quod aliquando quamquam rariùs accidere poſſit, non ita facile dignoſcitur; illius tamen ſigna habentur ex eo quòd poſt partum uterus in excernendo laborat, hoc eſt motus conſtrictivos continuò patitur propter irritationis ſenſum à retento ſecundinæ fruſtulo, ex eo quòd etiam reſtat in utero quandoque doloris, & irritationis ſenſus, & ſucceſſu temporis propter corruptionem, & putredinem fruſtulo illi retento inductam, teter odor; & cadaveroſus ex utero exhalat.

Quoad prognoſim, periculoſiſſima eſt ſecundinarum retentio, & ſi non cito expellantur fœdam acquirendo putredinem graviſſimos accerſit affectus, febres acutas nauſeam, lipothymiam, ſyncopem, hyſtericam ſuffocationem, epilepticos inſultus, ſudores frigidos, & tandem mortem, aliquando tamen curari poteſt dum nempe robuſta eſt, & bonum uteri tonum habet puerpera, ut pluries factum fuiſſe obſervationes teſtantur.

Curatur hujuſmodi affectus iiſdem prorſus remediis, quæ in partu difficili, & fœtu mortuo relata ſunt; adeſt enim in his omnibus affectibus eadem indicatio curatoria, nempe promovendi rei in utero contentæ excluſionem, repetanturque ex prædictis capitibus remedia ſecundinæ retentioni appropriata, ſunt tamen quædam quæ ſpecifica hujus morbi dicuntur ab auctoribus, talia ſunt teſticuli equini exſiccati, & pulverati, oleum juniperi ad guttas 30. ſuccus porri & cepæ cum vino epotus, ſuccus leviſtici, borax mineral. vomitoria, ſternutatoria, fotus & alia in præcedentibus dictis morbis allata, non negligendo univerſalia ſi neceſſum fuerit, inter omnia vero remedia, magis commendant manus obſtetricis peritæ, aut Chirurgi ut dictum eſt de fœtu mortuo, aut inſtrumenta Chirurgica quæ in uterum immiſſa, antequam inflammatio, aut inflatio adveniat, apprehenſas ſecundinas extrahant, cavendo ne hoc nimis vehementer fiat, metu hæmorrhagiæ ſecuturæ, quòd ſi propter fortiorem adhæſionem ſecundina educi non poſſit, ſed retenta in utero putreſcat & corrumpatur, tunc faciendæ identidem injectiones, modò emollientes ut adhæſio ſolvatur, modò detergentes, & vulnerariæ ut ſordes abluantur, & uteri corruptio impediatur, addendo modò baſilicum, ad evacuandam ſuppurationem, ægyptiacum, modò ſaccharum, & mel, imò collyrium Lancfranci quando neceſſarium videbitur.

NOTA.

IN ſecundina retenta, præter remedia in ſuperioribus allata prodeſt ſuffitus ex porris in vino coctis, Clyſteres acres ſubinde injiciantur; in quibus in primis decoquantur radices ariſtolochiæ, & cyclaminis.

CAPUT XX.

De Fluxu Lochiorum Immodico.

LOchia nihil aliud apud Medicos audiunt quàm ſanguinis ille fluxus, qui conſequenter ad partum per duos, 3. 4. 5. 6. dies ſenſim fieri ſolet, qui fluxus ſanguineus à menſtruo differt, ex eo quòd iſte fiat per viarum apertionem in utero conſequenter ad fermentationem quandam ſanguinis, quæ ſingulis menſibus in mulierum, & virginum adultarum humoribus excitari ſolet, idque propter peculiarem eorum texturam, & propriorum fermentorum in ipſis certam & præfixam accumulationem.

Fluxus verò lochiorum nonniſi puerperas, & enixas invadit, aut in abortu; aut in partu, idque non conſequenter ad fermentationem ullam ſanguinis,

ſed

ſed convenienter ad divulſionem & ſeparationem cohærentis utero placentæ, quo fit ut extremitates arteriarum uterinarum quæ propter cohæſionem hiabant in placentam, jam ipſa cum membranis ſeparata, & divulſa propter aperta eorum orificia, ſanguinem fundant, ſi ergo fluxus ille intra naturæ limites ſe contineat, hoc eſt mediocris ſit, ſenſim non affatim factus, & citò terminetur benè eſt, ſi verò copioſior, affatim factus, & diuturnior ſit, morboſus dici debet & immodicus, hoc eſt modum non ſervans, & in hoc ſenſu à nobis conſideratur; ſed innuendum priùs eſt quantitatem ſanguinis fluentis, ſicut nec durationem fluxus in puerperis præfixas & determinatas eſſe poſſe, quia mulieres non ſunt omnes ejuſdem temperamenti, ætatis, ſtaturæ, repletionis, vitæ generis, & plethoræ, undè aliæ majorem, aliæ minorem ſanguinis copiam fundunt; aliæ ſimiliter diutiùs, aliæ breviùs hoc fluxu tentantur, quare fluxus illius immoderatio petitur magis ex virium dejectione & difficili tolerantia, ubi enim talia adſunt ſymptomata, fluxus lochiorum præternaturalis, & immodicus dici debet, præſertim dum maxima ſanguinis copia, & affatim rejicitur, aut ad longum ſenſibiliter tempus extenditur.

Cauſa fluxus lochiorum immodici non alia eſt quàm vaſorum uteri apertio nimia, & dilaceratio facta in partu difficili, aut violenta ſecundinarum ab obſtretrice extractione; cùm enim fluxus lochiorum fiat tantùm convenienter ad placentæ ab utero ſeparationem quo cum toto geſtationis tempore adhæret ut ſit humorum matris in fœtum commeatus inſtrumentum, quò violentior & fortior erit talis ſeparatio & divulſio, eò magis vaſa in parte uteri concava lacerabuntur, ſicque aut nimis aperta, aut difficilius conſolidanda ſanguinem immoderatè fundunt.

Idcircò quæcunque cauſæ violentæ, ictus nempe, caſus, ſaltus, ſternutatoria, vomitoria, & alia in difficili partu, & fœtu mortuo recenſita, talem violentam placentæ ab utero divulſionem facere poſſunt, ſivè hoc fiat tempore partus ſivè ante, lochiorum fluxum immodicum creare valent, conferentem etiam ſuum ſymbolum plethorica conſtitutione, aut ſangninis tenuitate, & acrimonia.

Dignoſcitur lochiorum fluxus immoderatus, non ſolùm per copiam magnam rejecti ſanguinis eumque affatim fluentem, grumoſum, aut per diuturnum tempus; ſed etiam ex viribus indè dejectis, ob ſpiritus exhauſtos, cibi faſtidio, pulſu debili, & frequenti, viſus obtenebratione, animi deliquio, quæ omnia ſymptomata ſpirituum defectum arguunt; convulſiones verò dum ſequuntur dependent ex ſanguinis depauperatione conſequenter ad fluxum immodicum, ſpiritus inordinante, neque enim imminuta multùm ejus maſſa tonum ſuum & diatheſim conſervare poteſt.

Prognoſis, ſi omnis hæmorrhagia ſaltem quæ immodica eſt, periculoſa ſit, ob exhauſtum vitæ theſaurum, ſcilicet verum calidum innatum, certè fluxus lochiorum immodicus, periculi plenus dici debet utpote qui viribus jam fractis à partu difficili, aut abortu contingere ſolet, majus tamen, aut minus periculum eſt pro majori, vel minori ſanguinis copia, pro morbi diuturnitate, & ſymptomatis gravioribus, aut levioribus; undè Hippocrates aphoriſm. 35. ſect. 5. ſi muliebri profluvio convulſio, aut nimium deliquium ſuperveniat, malum.

Curatio ſanguinis fluxus immoderati, tota in illius cohibitione verſatur cum ea tamen cautione, ut quæ naturaliter ſanguinis copia in partu excerni ſolet non retineatur, undè non ſtatim à partu inchoanda curatio, ſed poſtquam cognovit Medicus, ſufficientem ſanguinis copiam rejectam fuiſſe.

Quæ autem immodicum lochiorum fluxum cohibent ſunt venæ ſectio ſi vires ferant ex brachiis non ex pedibus celebrata, victus incraſſans, & refrigerans, aut adſtringens ut ſunt amygdalatà, avenata, orizata, yitell. ovorum,

uſus

uſus frequens julep. ex aqu. roſacea, plantag. lactuc. cum bolo, trochiſc. de terra ſigillata, ſang. dracon. corall. margarit. cum ſyrup. de roſis ſiccis de cydon. ſale prunell. ſyrup. corall. juſcul. aut decoct. ex adſtringent. parat. plantag. nempe millefol. foliis ſymphyt. radic. centinod. gran. mirth. balauſt. malicori, &c. addendo ſi velis ſuccos, depuratos plantag. millefoll. & præſertim urtic. qui præ aliis hæmorrhagias compeſcere aptus eſt, conſerv. radic. ſymphyt. cichor. cynorrhod. huic morbo etiam appropriata ſunt ex quibus cum acacia, trochiſc. de karabe, margar. corall. thur. aliiſque poſſunt componi opiatæ, addendo ſyrupum aliquem adſtring. Si purgatio celebrari debeat propter quamcumque indicationem ea fortis non ſit, ſed mitis ex pulp. tamarindor. caſſ. mann. rheo, ſyrup. de cichoreo compoſit., ne vehementiùs humores commoveat, interim fatiſcentibus viribus ut plerumque accidit, corroborantia identidem, & ſpirituoſa ſæpiùs à nobis allata, ægræ propinari debent, ut morbo ferendo par fiat. Topica quæ celebrari poſſunt, ſunt fotus hypogaſtr. ex oxycrat. aut decoct. adſtring. item ſuffumigia ex oxycrato calido aut dicto adſtring. decocto, injectiones quoque adſtringentes, additis ſupra dictis ſucc. ſal. prunell. imò & aliquot gutt. acet. aut ſpuma acidorum; ſi ſuſpicio ſit eſſe grumos ſanguinis in utero, in recto ſtatu collocari debet ægra ut decidant & injectio detergens facienda.

NOTA.

PRæter ſimplicia ab auctore indicata, in fluxu lochiorum immodico laudatur lyſimachia flore purpureo. Commendantur & lapis hæmatites; crocus martis adſtringens, antihecticum Poterii, opiata, aqua ferrata; alumen crudum à ℈j. ad ℈ij. ex conſerva roſarum; ſuccinata, & imprimis trochiſci de Karabe. Nec parùm juvat ſemen ſophiæ Chirurgorum ad ʒj. ex aqua plantaginis. Videantur & alia remedia ſupra capite de hæmorrhagia, aut fluxu menſium immodico allata.

Externè applicatur aqua ſpermatis ranarum, fuligo cum aceto roſaceo ſubacta, unguentum comitiſſæ. Tandem cingulum ex foliis hellebori albi, experimento Hartmanni.

Si ob retentum placentæ fruſtulum, aut molam talis fluxus perſeveret, injiciantur clyſteres ex arthemis. matricaria, & camomilla in juſculo decoctis, addendo mel mercuriale; non neglectis interim adſtringentibus mixtis cum expulſivis.

CAPUT XXI.

De Suppreſſis Lochiis.

NOn minùs à ſtatu naturali recedit fluxus lochiorum ſuppreſſus aut imminutus de quo nunc, quàm idem copioſior & immoderatus; & ratio hujus eſt, quia ſicut ex magna ſanguinis poſt partum & diutiùs excreta copia, multa ſubſequentur & gravia ſymptomata, ita ex ejuſdem ſanguinis qui in partu naturali in mediocri copia poſt ejectum fœtum per aliquot dies effluere debet, ſuppreſſo fluxu plurima nec minùs gravia naſcuntur mala, nempe febres acutæ, phrenitides, maniæ, melancholiæ, convulſivi motus, inflammationes internæ in pulmonibus, hepate, utero &c. propterea quòd ſanguis in uteri ſubſtantia vaſiſque per ipſam diſſeminatis toto geſtationis tempore ſtagnans, hoc eſt lentiùs circulans, & potiſſimùm circa ultimos graviditatis menſes propter preſſionem grandioris fœtus, impurior eſt & per moram quam in utero facit magis fermentativus & in aciditate exaltatus, quo fit ut ſi excluſio fœtu non effluat ipſe, ſed in maſſa ſanguinis retineatur & in ejus ſinum reſorbeatur, dum ad cerebrum defertur, ſpiritus ibi variè exagitat & inordinat, aut in nervis & muſculis exploſiones facit, aut demùm reliqua ſanguinis maſſa heterogeneas in ſanguine fermentationes & turgeſcentias excitat, undè febris, phre-

phrenitis, convulsiones, mania, &c.

Causæ hujus lochiorum suppressionis aut imminutionis sunt obstructio, sive infarctus nimius uteri, quo fit ut propter vasorum sanguinis compressionem aut à sanguine crassiori obturationem, vias liberas non inveniat sanguis per quas fluat. Item & frigus in uterum tempore partus susceptum, quo orificia vasorum jam ab avulsa placenta & fœtu hiantia & aperta constipantur & occluduntur, non secus ac pori corporis à nimia frigiditate occludi soliti. Animi quoque pathemata varia, timor, tristitia, mœror, lochia supprimere apta sunt & imminuere quia motum sanguinis retardant eumque incrassant, cujus motus vias apertas tenere solet. Refrigeratio etiam pedum & tibiarum atque potus nimiùm frigidus idem præstare possunt propter corrugationem uteri à partibus frigorificis seu nitrosis ad ipsum usque in talibus casibus penetrantibus.

Diagnosis hujus affectus per se manifesta est, nullatenus enim fluit sanguis à partu, imminuta verò lochia cognoscuntur ex minori sanguinis quantitate, respectu tum habito ad staturam, molem, temperamentum, constitutionem puerperæ; neque enim, ut in præcedentibus innuimus, æquè copiosus aut æqualis est in omnibus puerperis lochiorum fluxus; atque etiam hoc notum fiet ex symptomatibus quæ non supervenirent, si non imminutus esset aut suppressus fluxus; talia symptomata sunt abdominis intumescentia ob retentos humores qui evacuari debebant, spirandi difficultas ob eandem rationem ex qua sequitur impeditus diaphragmatis descensus, convulsiones, phrenitides, syncopæ, oculorum perturbationes, aliaque superiùs allata.

Prognosis tota petitur ex symptomatis supervenientibus atque ex viribus & constitutione ægrotantis puerperæ; si namque graviora sint symptomata, mulier à partu difficili, aut alia de causa debilis, temperamentum minus vegetum, pessimi morbus est ominis, melioris verò si res secus se habeant.

Curatio suppressorum lochiorum in eorum provocatione tota consistit; quæ autem provocant, sunt clysteres frequentiùs injecti emollientes & purgantes & paulò acres quia humorum fluxum promovent versus rectum, frictiones in cruribus, cucurbitulæ siccæ coxis admotæ, venæ sectio in malleolo aliquando etiam in brachio dum infarctus est sanguine uterus, pessaria acria in præcedentibus præscripta, suffumigia ex aqua vitæ, vino in quod lateres igniti projecti sint, decoct. scoriarum regul. antimon. aut decoct. radicum & herbar. aperientium, & aromaticarum, fotus abdominis ex emollientibus herbis decoctis addendo radic. bryon. cucum. agrest. aristoloch. fol. sabin. Per os exhibebuntur aperientia & attenuantia in mensium suppressione adhibita, trochisc. de mirrha, dictamnus creticus, croc. sabinæ essentia aut decoct. vinum album, absynthites, chalybeat. merum, sales volatiles, aquæ spirituosæ, confectiones cardiacæ, &c. Purgatio tandem suo tempore celebranda.

NOTA.

CUratio suppressorum lochiorum varia esse debet pro variis symptomatibus & affectibus subsequentibus. Cùm autem febris continua & affectus inflammatorii ut plurimùm suppressionem hanc sequantur, cavendum ne fluxum promovere aut vasa uterina aperire intendentes, febrim & inflammationem augeamus; quod fieret si medicamenta calidiora, qualia ab auctore indicantur, in usum indifferenter revocaremus. Quin in hoc casu venæ sectio iterata tum in brachio tum in malleolis, & cucurbitulæ femoribus & tibiis admotæ sola ferè sunt efficacia remedia, à quibus si meliùs non habeat puerpera, vix ulla spes salutis affulget.

Clysteres præterea detergentes aut partim aperientes partim refrigerantes & emollientes injiciantur, ex decocto malvæ, parietariæ, mercurialis, cum pauca arthemisia & matricaria, in cujus colatu-

ra

ra diſſolvatur pulpa caſſiæ, cum nitri drachma una, & ſaccharo aut melle.

Uſurpentur etiam interne herbæ vulnerariæ agri Genevenſis, de quibus ſuprà capite de Hæmoptoe & alibi; earumque decoctum aut infuſio in aqua communi cum ſaccharo calidè propinetur bis aut ter de die; vel eædem herbæ juſculis incoquantur eodem modo ſumendis.

Potus interea ex emollientibus, & aperientibus minùs acribus non negligantur, nec ſuffumigia ex iiſdem parata omittantur.

Emulſionibus ex ſeminibus frigidis, pineis & piſtaciis, addantur nuclei perſicorum aliquot. Tandem corticis Peruviani infuſio in aqua parata, ter aut quater de die exhibeatur. Purgantes ptiſanæ, primis elapſis diebus, etiam hìc locum habent.

CAPUT XXII.

De Torminibus à Partu.

LIcèt tormina partium comitari & conſequi ſolita omnibus parturientibus & puerperis communia ſint, ita ut vix ulla tales dolores effugere poſſit, utpote qui ſolis mulieribus gravidis in pœnam peccati à primis parentibus perpetrati, adeo affixi ſunt, atque in eo ſenſu Medicorum opem non expoſtulant, intra biduum ſcilicet aut triduum ceſſantes; contingit tamen aliquando ut hujuſmodi dolores, aut acerbiores ſint & acutiores quàm vulgo eſſe ſoleant, aut ut diutiùs hoc eſt ad plures dies perſeverent, tuncque Medicorum auxilium puerperæ requirant. Talia verò tormina & dolores non in alia parte fiunt quàm in utero partus conabitur labefacto, & in ſuperficie ejus interna ob placentæ ab utero ſeparationem & divulſionem lacerato & veluti excoriato; quorum cauſæ ſunt vel ſanguinis copia in uterum laxiorem factum decumbens, ejuſque membranas diſtendens, vel ejuſdem ſanguinis aut ſeroſitatum acrimonia partem uteri laceratam vellicans, & pungens, vel flatus ab humoribus in ejus ſubſtantia fermenteſcentibus elevati & tunicas ejus cum humoribus turgeſcentibus divellentes.

Diſtinguuntur hi dolores ab aliis qui ventrem infeſtare ſolent: primò ex partu prægreſſo, ex regione tantum hypogaſtrica dolente, ex ejuſdem per fluentia lochia mitigatione, per ſuppreſſa verò intenſione atque ex eo quòd ſequantur excretiones lochiorum interpolatæ, hoc eſt augeantur antequam fiant, dum factæ ſunt minuantur; ſanguinis copia morbum creans dignoſcitur ex minùs libero aut ſuppreſſo lochiorum fluxu, ex imi ventris tenſione aliquali, ex ſymptomatis gravioribus lochiorum retentionem ſequentibus; ejuſdem acrimonia, ex dolore punctorio & acuto, lochiis nimia ſeroſitate dilutis, minori eorum ſuppreſſione &c. innoteſcit; flatus verò ex dolore vago ex una in aliam partem excurrente; quibus omnibus cauſis occaſionem etiam dare poteſt aer frigidus utero ſuſceptus.

Quoad prognoſim, moleſtiſſimi ſunt hujuſmodi dolores & quanquam non lethales ſemper, periculo tamen non deſtituuntur, ſi præſertim cum lochiis ſuppreſſis conjungantur.

Curationem quod attinet, in ſanguinis copia uterum infarciente, diſtendente & lochia ſupprimente, aut imminuente, celebrari debent venæ ſectiones ex brachiis, malleolo, aperientia deinde exhiberi, menſes moventia, ſuffitus, fotus emollientes, & calefacientes, aliaque in ſuppreſſione lochiorum propoſita, in ſanguinis acrimonia demulcendi humores per balnea tepida, aut ſemicupium, per mucilagin. ſemin. pſyll. & cydonior. in aqua portulacæ per oleum amygdalarum dulcium exhibitum, aut ex clyſteribus injectum, alimenta lenientia, ſerum lactis, lac &c. aliaque in humorum acrimonia à nobis non ſemel recenſita, in flatibus, vinum hippocraticum convenit cum oleo amygd. dulc. exhibitum clyſteres carmin. decoctum florum camomil. propinatum, ſuffitus ex nuce moſchat. croc. cum vino albo exhibitus; aliaque in colica flatuoſa recenſita non negligendo univerſalia, quæ cùm dum indicantur tutò ſi ſaltem habeatur ratio virium, celebrabuntur.

Ra-

Ratione dolorum à quacunque cauſa proveniant, conveniunt clyſteres ex lacte cum vitell. ovor. item & Narcotica, laudanum nempe & ſyrup. papaver. alb. & nymph. ſuffitus ex aqu. vitæ, decoct. ſcoriar. regul. antimon. quia ea ſulphurea ſunt, fotus emollientes, additis attenuantibus & uterinis, cataplaſmata verò & inunctiones nullius ſunt virtutis, victus debet eſſe euchymus & corroborans ob vires à partu debilitatas.

NOTA.

TOrmina partum ſequentia levant aromatica carminantia; ſemina cymini, fœniculi, aniſi, carvi; majorana, pulegium, matricaria; roſmarinus, camomilla Romana, in vino, aut juſculo infuſa, aut cocta. Germani zedoariam hìc pluris faciunt à ℥. ss. ad ℥. j. Multum juvat, & ſpirit. ſalis armoniaci aromatizatus & amarus, aut carminantibus mixtus. Item tincturæ hyſtericæ, ex caſtoreo, zinzibere, cardamomo, cinnamomo, & cæteris aromatibus. Clyſteres ex matricaria, arthemiſ. chamomilla, in juſculo capit. vervec. coctis. Diſſolvendo in colatura theriacæ drachmam, cum ſacchari rubri & ol. nucum ſine igne expreſſi à ℥.ij. Parantur etiam cataplaſmata ex cæpis in aqua vel ſub cineribus coctis, addendo ſemen lini & cymini contuſum, cum pulver. chamomillæ & farina hordei. Fiunt & litus ex oleo camomillæ, ejuſdemve eſſentia, cum ol. ſtillatit. ſpicæ, ſuccini &c. Cataplaſma aliud paratur ex baccis lauri pulveratis cum radic. althææ & pauco calamo aromatico, addendo exungiam anſeris. Si dolor à ſanguine concreto, laudatur ſperma ceti à ℥. ss. ad ℥. j. in juſculo vel aq. cardui benedicti. In eodem caſu prodeſt decoctum radic. gramin. recentium, & cerefolii, addendo maceris, & croci momentum.

Opiata quod attinet, cautè his utendum ne lochiorum fluxus ſupprimatur. Urgente verò neceſſitate cum ſtimulantibus jungi debent, aromaticis, carminantibus aperientibus &c.

CAPUT XXIII.

De Morbis acutis Puerperarum.

MOrbos tantùm acutos puerperarum conſideramus propterea quod puerperii tempus non valdè longum ſit, ac proindè in ſuo ſpatio morbos chronicos non poſſit continere; bene tamen acutos qui etiam ipſis ſupervenire ſolent, ut ſunt febres continuæ, tum eſſentiales hoc eſt in ſanguine primò genitæ, tum ſymptomaticæ, quæ ſcilicet inflammationes internas puerperarum plerumque comitantes conſequuntur: Item phrenitides, ſoporoſi affectus, convulſiones, &c. Eſt etiam peculiaris febris ſpecies, quæ omnibus propemodum tertio à partu die advenit, quæ lactea febris appellatur ex eo quod turgentibus tunc mammis lacte, excitetur, nec tamen credendum lac hujus cauſam eſſe; lac enim fermentationem in ſanguine excitare nequit, ſed oritur hujuſmodi febris ut alia particulis heterogeneis paucioribus ex utero per circulationem raptis, dum autem lochia non rejiciuntur, & in materiam ſanguineam poſt partum reſorbitis, eique efferveſentiam inducentibus, concurrente humorum à partu exagitatione, quæ tamen quia ut plurimùm parùm durat ad 3. nempe aut 4. dies facit febrem in genere ephemerarum extenſarum quæ curatione non indiget ſed ſponte ceſſat, alii verò ſupradicti morbi acuti puerperis advenientes, ſufficienter ex iis quæ diximus in noſtro morborum decurſu intelligi poſſunt, neque enim diverſam naturam, ætiologiam imò & diagnoſim habent quanquam prognoſis & curatio varia, quæ hæc eſt ratio cur à nobis hìc ſeparatim quatenùs in puerperis ſunt conſiderantur, illorum autem effectuum cauſæ in puerperis quanquam eædem eſſe poſſint, quas eſſe diximus ubi de illis egimus, frequentiùs tamen, imò ferè ſemper pro cauſa agnoſcunt aut lochiorum ſuppreſſionem, imminutionem, aut eorumdem fluxum immodicum, aut errorem in victu, agi-

tatis

tatis præſertim & partus laboribus, ſpiritibus & humoribus, dum ſcilicet pluribus & copioſis ſe ingurgitant cibis, quæ ſubigi non poſſunt, aut dum in partu aut poſt ipſum aeri frigido ſe exponunt, quo tranſpiratio impeditur; eſt & alia cauſa ſatis frequens febris, aliorumque morborum acutorum puerperarum, nempe ſecundinarum aut portionis illarum retentio, quæ in utero retenta putreſcit, & corruptione ſua ſanguinem & uterum inficit, undè varii morbi exurgere poſſunt, idem quoque efficere valet ſubita à partu cervici uteri, & vaginæ coarctatio conſequenter ad nimiam diſtenſionem & dolorem producta; quæ eſt cauſa cur ſanguis in cavo uteri gtumeſcat & retineatur, undè prædicti morbi emanare poſſunt. Morbi illi ſicut & illorum cauſæ ex iis quæ dicta ſunt in præcedentibus dignoſcuntur ſufficienter.

Prognoſim quod ſpectat, morbi illi in puerperis, ob vires à partu debilitatas, multò periculoſiores ſunt. Agitant quæſtionem Veteres, an in morbis puerperarum in expectanda criſi debeat fieri computatio dierum à partu, aut verò à principio morbi. Dicunt quòd ſi partus ſit naturalis & lochia bene fluant, talis computatio à principio invaſionis morbi fieri debeat; contrà verò ſi partus ſit præternaturalis & lochia aut ſecundinæ retineantur propterea quòd tunc morboſus ſit partus & in illo œconomia corporis perverti incipit; quæ computatio etiam fieri ſolet in capitis vulneribus licèt febris non invadat niſi poſt quartum aut quintum diem, ſed quæſtio illa hocce tempore ubi nec criſis expectatur nec dies critici obſervantur inutilis omnino eſt.

Curatio affectuum acutorum puerperis advenientium duo reſpicit remedia, magna ſcilicet venæ ſectionem, diætam, purgationem &c. & parva ſeu alterantia; quoad ultima ea quandoquidem minoris ſunt energiæ, eædem in puerperis eſſe debent quæ adhibentur in aliis; venæ ſectio verò quanquam de ea magna eſt controverſia, ea cum cautione celebranda eſt, ut ſi morbus ſtatim à partu invadat parcior ſit ob virium debilitatem, paulò largior vero aut frequentiùs repetita, ſi à partu aliquod tempus effluxerit, quia tunc refectæ ſunt quodammodo vires; item copioſè fluentibus lochiis, minor eſſe debet, ſuppreſſis verò major & repetita ex ſaphena, reſpicienda quoque morbi magnitudo, febris nempe intenſio, & incendium, aliaque, in iis enim caſibus phlebotomia vitari non poteſt, niſi fluxus lochiorum contra indicet atque puerperæ debilitas; eaque parcior, aut copioſior fieri aut una vel repetitis vicibus fieri debet pro contraindicantium majori aut minori gravitate interim notandum in iis occaſionibus corroborandam ſemper eſſe puerperam, ut nempe venæ ſectionem ferre poſſit & morbi magnitudine viribus jam debilioribus non opprimatur, idque per aliquot cochlearia aut guttas liquorum aquarum cardiacarum, aut tantillo confect. alkerm. hyacinth. &c. in parva ſemper copia, ne morbum augeant. Diætam quòd ſpectat, ea quidem tenuis eſſe debet, ut dictum fuit in morbis acutis prægnantium ob morbi acuti præſentiam, & quia ſi plenior eſſet, alimenta in ſtomacho non benè ſubigerentur ac proinde materiam morbificam augerent, impura enim corpora quò plùs nutriuntur eò magis læduntur, ſed ita tenuis eſſe non debet ut inde vires puerperarum minuantur, imò inter plenam & tenuem media eſſe debet & juſcul. frequentiùs propinari debent; quod dicimus de venæ ſectione, dici debet de purgatione quæ ſi neceſſaria videatur eò tutiùs & paulò fortior inſtitui poteſt quo plures à partu dies elapſi ſunt; imò ſunt quidam caſus ubi vitari etiam fortior non poteſt, ſuccedentibus nempe puerperio morbis ſoporoſis aut aliis gravioribus, tunc enim ſatius eſt anceps remedium experiri quàm nullum, peccantibus aut qualitate aut quantitate imminuta lochiis; fuſiùs adhibetur purgatio quam naturaliter aut immodicè fluentibus, eam verò niſi morbi graves fortiora remedia poſtulantes ſuperaverint, blanda ſemper & benigna eſſe debet; cly-

ſteres etiam locum habere poſſunt propterea quod non ita humores commovent & primas vias eluunt, vitandi tamen acres in lochiorum fluxu immodico, in aliis verò caſibus quando neceſſitas requirit, iniici poſſunt.

Uno verbo ex iis quæ dicta ſunt in capite de morbis acutis prægnantium, colligere poſſumus quid in puerperis ſimilibus morbis laborantibus agendum ſit.

NOTA.

MOrbi acuti puerperam ut plurimum difficilis curationis ſunt; quia ſanguis, qui per totum geſtationis tempus lentiùs & ægriùs circulavit fixioribus & craſſioribus particulis ſalino ſulphureis ideò onuſtus, facilè fermentatur atque in omnia viſcera, ipſumque imprimis uterum, particulas illas deponit, quæ ægrè & ipſæ circulantes obſtructionem, febrem, & inflammationem faciunt. Idque eò magis ſi propter vim in partu adhibitam, vel leviſſima uteri dilaceratio aut divulſio acceſſerit, quæ ſanguinis & ſpirituum curſum eò determinet. Quo in caſu febris puerperarum non inepte comparatur primo cum vulneratorum febre, ſummo periculo nunquam vacante: ſi vulnus ad viſcus quodpiam nobile penetraverit: Secundo cum febribus malignis; ratione putredinis peculiaris humorum, defectu circulationis, ut dictum eſt contractæ.

Hoc poſito remedia in aliis inflammationibus, nec non in febribus, malignis vulgo vocatis, propoſita, locum hic habere nemo non videt; qualia ſunt venæ ſectio ſæpiùs repetita, alkalina omnia, ſal & ſulphur præcipitantia, & putredinem arcentia, antimonium diaphoreticum, oculi cancrorum, corallia, cornu cervi, ebor, myrrha, &c. Curatio verò ſymptomatum febris hujuſce, diarrhœæ putà, motuum convulſivorum &c. ex propriis capitibus peti debet.

CAPUT XXIV.

De Ulcere Uteri.

ULcus illud præter omnia quæ communia habet cum aliis aliarum partium ſupradictis ulceribus, aut inflammationem, aut ab humoribus acribus generatis, habet cauſas quaſdam diverſas ſibi non aliis ulceribus appropriatas, tales ſunt fluor albus, pus acrius factum propter ejus moram in utero; tales eſt virus venereum ex gonorrhœa in uteri cavitatem ſerpens & ulcus producens propter ſuam vim corroſivam; ulcus autem uteri in variis ejus partibus ut de inflammatione dicetur generari poteſt, fundo, cervice, laterali parte, anteriori, poſteriori, quo fit ut continuata deinde exulceratione ad veſicam & rectum, per urinas & per alvum pus effluat, ut aliquando obſervatum eſt, præterea ratione magnitudinis, figuræ & qualitatis aliud ulcus magnum eſt & profundum, aliud parvum & ſuperficiarium, aliud fiſtuloſum, phlegmonoſum, ſcirrhoſum, cancroſum, quæ omnes differentiæ apud Chirurgos tractatu de ulceribus videri poſſunt.

Signa ulceris uteri ſunt inflammatio uteri & abſceſſus prægreſſa, dolor & mordicatio in utero, interdum puris & materiæ purulentæ excretio dum ulcus ad cavitatem internam penetrat; præterea febricula adeſt; & tabes ſenſim ſine ſenſu advenit: quæ diagnoſis ampliùs illuſtratur ſi cauſæ quæ præceſſerunt examinentur; ſi ulcus cervicem uteri occupet: ipſo viſu deprehenditur immiſſo ſpeculo matricis, vel immiſſo obſtetricis digito, vel in coitu ex dolore manifeſtatur, ſi ulcus excitatur in ſuperficie uteri externa per abſentiam prædictorum ſignorum dignoſcetur ex eo quod nullum pus per vulvam effluat, injectiones in uterum non tantas irritationes faciant, fluctuatio quædam in abdomine præſentiatur, cùm ſcilicet pus extrinſecus effluit & in magna copia; ſi ulcus ſimplex ſit & benignum in cavitatem uteri penetrans,

trans, pus erit album & minùs fœtidum & in parva copia, ſi verò malignum depaſcens, pus erit ſanioſum, viride, lividum, aut varii coloris atque etiam fœtidum: ſi venereum ulcus ſit, ex gonorrhœa, aut luis venereæ ſignis ſe ſe manifeſtabit; ſi cancroſum, dolorem acutiorem inferet & magis punctorium, imo & major aderit durities, & renitentia in infimo ventre. Prognoſis in ulcere uteri ferenda nunquam bona eſſe poteſt, ſicut in omnibus ulceribus internis, imò difficiliùs curantur ulcera in hac quàm in alia parte excitata ob humorum pravorum illuviem in uterum exonerari ſolitam, quo fit ut ab humoribus ſeroſis ſemper foveatur ulcus, quòd ad ſui curationem ſiccari deſiderat, quò majus eſt eò periculoſius; item & quando malignum, depaſcens, fiſtuloſum; ſi in cervice uteri, cavitate interna vulvæ ſit, faciliùs curatur, quia remedium & injectiones huc faciliùs per ſyringam pertingere poſſunt.

Curatio ulceris uti præter univerſalia remedia atque etiam alterantia, quæ in aliis ulceribus pulmonum, hepatis, renum & veſicæ præſcripſimus, quæque hìc brevitati ſtudentes non repetimus, peculiaria & ſibi propria requirit, præſertim dum ulcus internum eſt, qualia ſunt injectiones ex ſola aqua hordei, addito etiam melle & ſaccharo, vel ex vino rubro, vel ex decoct. vulnerar. vel ex lacte, aut emulſione, ſi dolor ſæviat; addendo identidem adſtringentia, qualia ſunt ſuccus plantag. burſa paſtor. cydon. terebinth. vitell. ovi ſolura injectioni mixta plurimum prodeſt ad ulcus detergendum, item & ſi ulcus malignum ſit, fœtidum & putrilaginoſum addi poterit in injectione collyrium Lanfranci vel parum unguenti Ægyptiaci. Ad ulcus verò exſiccandum conveniunt injectiones adſtringentes additis trochiſc. Gordon. aut amylo ſine calce parato; ſuffumigia quoque inſtitui poterunt, ex thure, maſtiche, myrrha, cum tantillo terebinth. vel etiam addito cinnabari, ſuffitus quoque ex ſcoriis regul. antim. in aqua communi decoctis non infimi eſt uſus, potus denique aquar. thermal. imò & acidularum, hìc etiam vitari non debent, ſi ulcus ſit in uteri collo, unguentum, liniment. illuc admoveri poſſunt ut aliis ulceribus internis, deinde pulveres exſiccantes ex alumine uſto, ceruſſa, tuthia, ſarcocolla; ſi à lue venerea vel conſequenter ad gonorrhœam fiat ulcus in utero, ſuffumigia cinnabaris conveniunt, injectiones ſupradictæ, creber uſus mercurii dulcis, pilulæ mercurial. decoct. ſudorifer. aliaque in luis venereæ & gonorrhœæ curatione uſurpare ſolita.

PATHOLOGIA
PECULIARIS ARTICULORUM,
SIVE
TRACTATUS DE AFFECTIBUS ARTICULORUM.

CAPUT I.

De Arthritide.

ARthritis ut nomen significat, affectus est ad articulos pertinens, Barbaris gutta dicitur, aliis podagra, à pedibus desumpto nomine qui potissimùm, & sæpius hoc morbo afficiuntur; definiri potest articulorum plurium vel unius tantum dolor periodicus, & subinde recurrens ab humore acri, & salino in partes articulis adjacentes tendines nempe, ligamenta periostia depluente ortum habens, ejusque multiplex statuitur differentia, nam dum plures simul afficit articulos, universalis dicitur, particularis dum unam tantùm articulationem invadit, in manu chiragra, in pede podagra, in genu gonagra, in coxendice dolor ischiadicus nominatur; in maxillæ articulatione syagonagram, in cervice trachelagram, in spina dorsi rachilagram, in humero homagram, in cubito pechagram, & sic de cæteris Paræus appellat, quæ tamen omnes species uno arthritidis generico nomine comprehenduntur, similiter alia fixa est cùm dolor eandem semper articulationem affigit, alia vaga dum dolor ab una articulatione ad aliam excurrit, alia brevioribus, alia longioribus intervallis recurrere solita; alia nodosa & tophis in articulis excitatis stipata, alia inflammatione, aut saltem dispositione inflammatoria, alia febri levi, alia graviori antecedenti, vel consequenti conjuncta, alia tandem insita & congenita à parentibus hæreditaria dispositione contracta, alia adventitia, & acquisita ex erroribus in victu, aut sex nonnaturalibus dependens.

Causa arthritidis proxima & conjuncta nulla alia esse potest quàm humor serosus, aut lymphaticus isque acidior, hoc est, sale acido, multum corrosivo imprægnatus qui in partes articulationibus adjacentes ob laxiorem earum compagem ruens, easdem utpote membranosas, ac proinde valde sensiles vellicat & pungit, unde intensissimi illi dolores sequuntur arthriticos afficere soliti.

Humor autem ille prout in majori aut minori copia fluit in articulos, prout item magis, aut minùs corrosivus est, intensiores, aut mitiores dolores inducit, modòque tumore œdematoso, modò inflammatorio, cum partis rubedine stipatus, & tandem successu temporis, & habituali facto morbo, tophi seu nodi in articulo generantur; qui alium humorem non agnoscunt quàm lympham, quæ tales partes copiosius invadit, quæ morari & concrescere præ aliis omnibus humoribus apta est, concurrente præsertim acìditate in ipsa sicut, & sanguine prædominante, de parte affecta, seu recipiente, nempe membranis, periostiis, tendinibus, ligamentis, nullum est dubium, ossa enim sensibilia non sunt; partes verò mandantes, quanquam plures à Veteribus statuantur cerebrum nempe, hepar, lien, ute-

rus

rus &c. hodie ea locum habere non poſſunt ut pluries in præcedentibus inculcavimus: humores ſiquidem arthritidem producentes non niſi à toto corpore, ſanguine nempe à corde per ſyſtolem mandato mediantibus ſolis arteriis procedere poteſt, humores in hoc affectu acrimonia peccare nemo negare poteſt, quomodo enim dolores illos excitarent, ſed hoc potiſſimum ſero & lymphæ imputari debere, ſaltem tanquam cauſæ conjunctæ, probat ſeroſior arthriticorum ſanguis, hoc eſt ſeroſitatibus in quibus ſales diſſolvuntur, dilutus, & partium affectarum texturæ, quæ utpote membranoſæ, ligamentoſæ, tendinoſæ, copioſiorem quàm aliæ partes lympham, quæ acidior ſimiliter eſſe debet, in ſui nutrimentum poſtulant.

Quod autem ſeu ſerum, ſeu lympha aciditate potiùs quàm alia qualitate peccet, hoc arguitur non ſolùm ex cauſis externis arthritidis quæ acidi abundantiam, in ſanguine facere poſſunt, ſed etiam ex ſymptomatibus atque etiam remediis arthritidi conferentibus infra recenſendis quæ aciditatem potiùs probant quam aliam quamcunque ſanguine diatheſim Vvilliſius derivat hujuſmodi morbum ex ſucci nervoſi & ſanguinis quos heterogeneos ſupponit in articulos fluxu & efferveſcentia per quam fiunt diſtenſiones ac proinde dolor, & poſtea ſequitur coagulum præcipitatum ſeu tophus, ſed illud merè hypotheticum eſt & rationibus ſolidis deſtitutum, ac proindè à nobis brevitati ſtudentibus non refellitur.

Cauſæ arthritidis externæ ſunt alimenta craſſa & coctu difficilia, acida, ſalſa crapula, ebrietas, venus immodica, exercitia vehementia, vita otioſa, ſomnus longior, metus, triſtitia, ſolicitudo, quæ omnia acidi in ſanguine & ſero exaltationem facere poſſunt, item & illa quæ articulos debilitare valent & laxos facere, ut contuſio, luxatio, conatus, validi articulorum refrigeratio, ſigna hujus affectus diagnoſtica, alia imminentem, alia præſentem arthritidem denunciant: imminentis ſigna ſunt ſenſus exquiſitior in articulis & cùm à minima compreſſione læduntur, febris plerumque viget, corporis & formicationis ſenſus adeſt. Præſens arthritis nota ſit doloribus vehementibus, quos plerumque tumor & rubor partis comitantur, in podagra pollex pedis primus dolet, item febris ſi non præceſſerit, ſtatim excitatur & perſeverat quandiu dolores vigent, convulſiones non conſequuntur in hoc affectu propterea quòd articuli tantum non verò muſculi afficiantur, adde quòd materia non eſt ſpaſmodica. Periodicus verò & per intervalla recurrens talis dolor eſt propterea quòd humores qui jam fluxerunt infarciunt tales partes, eiſque poſt excitatum dolorem quaſi ſtuporem inducunt, ob viam ſpiritibus in partibus hiſce nervoſis præpeditam, qui tandem ſi diſcutiantur aut in vaſa reſorbeantur, ſenſibilitas hiſce partibus reſtituitur, unde fluentibus de novo humoribus, redit dolor, adde quod humorum fluxus in articulos ab humorum agitatione periodicè facta dependet, notandum conſequenter ad dolores arthriticos & humorum acrium in articulos, in coxendicem præſertim, fluxum eumque ſæpiùs repetitum, luxationem interdum ſubſequi; quod fit per relaxata ligamenta oſſa invicem conjungentia. Antiqui putabant, omnes humores pituitam nempe, bilem, melancholiam &c. arthritidis cauſam eſſe poſſe & idcircò ſigna eorum diſtinctiva tradebant, nos verò qui unicam tantùm conſtituimus cauſam in his afferendis ſignis immorari non debemus.

Prognoſim arthritidis quod ſpectat, ea periculoſa non eſt ſed morbus ille omnium atrociſſimus & contumaciſſimus eſt; perſeverat enim plerumquè uſque ad mortem quanquam præſervet ab aliis morbis, inveterata & hæreditaria difficiliùs curationem recipit quàm recens, & acquiſita in ætate ſenili, item & quando ſunt tophi nulla arte curari poteſt; in juvenibus verò & quando nondum calli concreti ſunt faciliùs ſanatur; quanquam arthritis plerumque eradicari penitus

non poſſit, poſſunt tamen arthritici inſultus retardari aut etiam minorari per debitam remediorum & diætæ inſtitutionem.

Curatur autem arthritis per multiplicis generis remedia, venæ ſectionem, purgationem per potiones aut pilulas potiùs validam quàm benignam, vomitoria ſi facilè vomat ægrotans; ſudorum provocationem per ſtuphas, decoct. ſudorifer. ex antimon. chin. ſalſa parill. radic. ling. ſanct. radic. tapſi major. ſeu bardan. item ſuffumigia totius corporis ex decoct. ebul. laur. ſalv. roriſmar. aut aqu. vitæ aut decoct. ſcoriarum regul. antimon. & etiam hepat. antimon. aut aqu. thermal. pro baln. Vigentibus valde & cruciantibus doloribus ad narcotic. confugiendum, laudan. nempe & ſyrup. papaver. alb. & nymph. exhibenda quoque quæ humorum acrimoniam demulcent & ſanguinem incraſſant, amygdalat. orizat. lac, ſerum lactis, vitando ſalſa, acida, tartarea, & vinum, item quæ alkalina & ſulphurea ſunt, liquores nempe ſpirituoſi, ſales volatiles & fixi præſertim miteſcente febre conveniunt; clyſteres quoque frequentiùs injiciendi ex decoct. attenuant. cum hiera picra diaphænic. aliiſque opiatis diagridiatis. Electuar. caryocoſtin. Bauderoni morbum juvat & præcavet, & jus caſſ. commendatur, item vitell. ovorum aut juſcula ex iis parata, alimenta ſulphurea & pinguia.

Topica quòd ſpectat ea varii ſunt generis, anodina nempe repellentia, diſcutientia, quæ pro varia indicatione adhibentur; anodina ſunt fotus ex lacte, cataplaſmata ex herbis emollientibus & rad. de mica panis, ex pulpa caſs. applicata ex farina hordei, fabarum, ſemin. lin. &c. cum butyro, oleis aut adipe, anodinis ex flor. camœmeli imò & narcotic. hyoſciam. ſolan. ſemper vivo, radic. mandragor. addendo etiam laudan. cave tamen à nimio uſu emollientium & narcoticorum, illa namque articulos laxant; iſta materiæ diſſipationem impediunt, repellentia topica quæ initio ſemper adhiberi debent fiunt ex cataplaſmate aut fotibus adſtringentibus, ex verbaſco, plantagin. nucibus cupreſſi, malicorio radic. biſtortæ & tormentill. roſis ex oxycrat. aut linimentis ex ceruſſa, litharg. tuthia, ſal. ſaturn. chalchtid. vitriol. maſtic. thur &c. Reſolventia ſunt ſimiliter cataplaſmata, fotus, linimenta ex urina, ſale fuligin. ſpirit. vini camphorat. foliis nicotian. calce decoct. fol. & flor. ſambuc. in aqu. vitæ, aquis antipodagricis Rulandi, Quercetani, & ſal. ammon. aqu. ſoluto, ſapone, oleo ſcorpion. oleo ceræ, radic. bryon. aniſ. ireos florent. ſtercor. animalium, pice, lixivio ſarmentorum; atque etiam emplaſtra, qualia ſunt emplaſtrum de Vigo, diachylum ireatum, oxycroceum &c. remedia alia quamplurima invenies tum interna tum externa apud auctores quæ aut morbum ſublevant, aut ipſum præcavent, quæ tamen nos omittimus ne longiores ſimus. Veſicatoria non probantur.

Dolorem iſchiadicum de quo ſeparatim agit Riverius cum prædicto affectu confundimus, eſt enim arthritis particularis tam bene quàm chiragra, gonagrà &c. ac proinde eandem cauſam agnoſcit iiſdem prorſus remediis curari debet, nec ab aliis arthritidis ſpeciebus niſi per locum affectum ullo modo differt.

NOTA.

PArs affecta in Arthritide ſunt tum membranea ligamenta articulos firmantia & colligantia, tum perioſtium ipſum in locis articulationi vicinis. Cauſam efficientem acido volatili ſpirituoſo, ſui tamen generis ſeu ſpecifici ſaporis, ſpiritui influo maritato, acceptam refert Tachenius, quod acidum *ſynoviam* imprimis, & conſequenter partes membranaceas, de quibus modo, inquinans & affligens dolorum arthriticorum auctor eſt. Per *ſynoviam* autem, Paracelſo fictum vocabulum, nihil aliud intelligunt Chymici quàm rorem dulcem & chyloſum, alkali temperato, dum naturaliter ſe habet, turgidum, qui ceu nutrimentum immediatum ligamentorum, membranarum,

rum, tendinum, ipſorumque forſan oſſium abundanter intra articulos colligitur, ut præterea motum eorum, quaſi axungiæ ſpecies facilitet. In hanc, inquam, ſynoviam proximè agit, eique ſe immiſcet acidum, unde acida & ipſa fit, atque inſtar albuminis ovi ſpiſſa evadit, & tandem cretaceam ſeu gypſeam naturam induit; unde dolres, tophi, & alia arthriticorum ſymptomata.

Prima acidi illius dolorifici origo, ſecundùm eundem auctorem, in ventriculo quærenda, cujus fermentum naturale ab acido hoc ſpirituoſo ſenſim ac ſine ſenſu ſuperatur, adeò ut chylus, ſanguis, tota humorum maſſa, ipſaque adeo ſynovia acidi iſtius odorem & ſaporem neceſſariò referant.

Quid ſi rori iſti lympham ſubſtituamus à glandulis, in articulationibus nuperrimè repertis, ſtillantem, & non difficiliùs quam ſynovia, in hoc caſu, aceſcentem, minùs forſan à ſcopo aberraverimus. Atque hæc de arthritidis cauſis duobus verbis attigiſſe ſufficiat.

Curationem quod attinet, etſi ea vix ſuſcipi debere videatur, cùm morbus hic Medicorum opprobrium hactenus audierit; non ideò tamen animo prorſus deſpondendum oſtendit ſimpliciſſimum remedium, cæteris tamen omnibus palmam facilè præripiens, *Diæta Lactea*, qua affectum contumaciſſimum debellari & radicitus extirpari poſſe, teſtatum fecerunt nupera multa experimenta.

De hac diæta cùm viri doctiſſimi Greiſelius, & Valſchmidius ſcripſerint, non eſt quòd hic actum agamus. Uno verbo tantùm indicabimus. Lac, in iſto caſu, pro omni cibo eſſe debere, adeò ut carnibus, oleribus, & aliis quibuſcunque eduliis valedicendum ſit, & potiſſimùm vino, licere tantùm ſemel in die aliquid panis lactis addere, & rarò ovi vitellum unum aut alterum ſorbere.

De aliis remediis, vomitu putà, purgatione, diureticis, opiatis, anodynis, veſicatoriis, venæ ſectione conſuli poterunt auctores.

CAPUT II.

De Rheumatiſmo.

ITa affinis eſt arthritidi Rheumatiſmus ut de eo prælectionem peculiarem facere inutile prorsùs foret, quandoquidem & eandem agnoſcit cauſam & eadem quoque remedia poſtulat, à quibuſdam arthritis univerſalis vocatur ex eo quòd omnes plerumque non ſolùm externæ ſed etiam aliquando internæ doleant partes, ac proinde non ſolùm articulis inhæret, ſed etiam media inter articulos ſpatia, muſculi nempe eorumque membranæ, perioſtia quoque oſſium, uno verbo totus corporis habitus eo occupantur.

Aliquando hic affectus conjungitur cum impotentia ad motum, quæ impotentia non tam provenit ex nervorum obſtrictione quàm ex dolore intenſo, præ quo muſculi ſe contrahere non poſſunt, item aliquando univerſalis eſt in omnes partes æqualiter ſæviens, aliquando verò non ita univerſalis ita ut nonnullas partes tantùm afficiat, aut unum latus vel etiam adinſtar vagæ arthritidis ex uno latere in aliud excurrit aut ex una parte in aliam. Notandum notabilem differentiam eſſe inter rehuma & rheumatiſmum; rheuma enim dicitur dum humor ſeorſus in tracheam, aut pulmones depluit; rehumatiſmus verò dum in omnes aut plures corporis partes à cerebro potiſſimùm diſſitas decumbit & dolorem intenſum iis infert, uterque tamen affectus de catarrhi eſt genere. Ex dictis, & rheumatiſmi natura & ejus ab arthritide ejuſque ſpeciebus differentia, ſatis innoteſcit, reliquum eſt ut ad cauſas ejus progrediamur, non curantes ut facit Riverius an morbus novus ſit & Veteribus incognitus, quæ quæſtiones ad rem nil faciunt.

Cauſa rheumatiſmi quam ſuperiùs eandem eſſe ac in arthritide, inculcavimus, eſt humor ſeroſus, ſalinus, acidus copioſiùs in ſanguine redundans quàm in arthritide & ratione ſuæ copiæ non ſolùm in articulos depluens, ſed etiam in

partes totiùs corporis membranoſas & ſenſiles, idque mediantibus arteriis in corpus univerſum diſſeminatis; hoc quàm verùm ſit teſtatur ſanguis venæ ſectione extractus in rheumaticis, qui totus ferè in ſeroſitates abit, reſtante in medio exigua portione ſanguinis coagulata. Teſtantur etiam & vires à ſequenti phlebotomia minùs labefactatæ, quàm in aliis, morbis quod provenit ex eo quòd plus ſeri quàm ſanguinis educatur.

Ratio quoque illud ſuadet, quatenus in partes dolentes nulla adeſt coloris mutatio, nullus tumor, dolor mobilis & ab una parte in aliam partem facilè migrat, ſudoribus morbus ſolvitur & levatur, quæ omnia arguunt humorem morbificum tenuem eſſe & ſubtilem & in parte extravaſari & exilire aptum qualis nullus alius eſſe poteſt, præter ſerum quod niſi ſalſum & acre eſſet, dolores illos lancinantes, & pungitivos in toto corpore non excitaret; flatus quod ſpectat quos Avicenna, & cum illo Riverius hujus morbi quandoque cauſam eſſe putat, ex eo quod dolores ut in colica flatuoſa accidit ab una parte in aliam excurrant, certè illud omni probabilitate deſtituitur, neque enim tantam copiam flatuum generari ullus credat quæ in toto corpore dolores, & diſtenſiones excitet, adde quod flatus in partibus ſolidis & membranoſis artuum & habitus corporis facilè generari & coacervari non poſſunt defectu ſpatii & cavitatis, accumulantur enim ſemper in cavitatibus, ſimiliter credendum non eſt humorem illum ſeroſum à capite aut hepate in alias partes mandari ut Veteribus placitum eſt, ſed primaria morbi origo eſt ipſe ſanguis ut jam innuimus, multò ſeroſior quam in arthritide factus & ſale acido pariter onuſtus, qui ſanguis nonniſi per arterias in ipſas defertur ut ſuprà dictum eſt, nec tumorem aut anaſarcam habitui corporis inducit, quia non niſi in pauca copia extravaſantur ſeroſitates.

Diagnoſis rheumatiſmi ex dictis ſatis innoteſcit, dolores etiam rheumatici à venereis differunt ex eo quòd iſti non tam univerſaliter partes invadant, nec tam continui ſunt noctu tantum, rariùs interdiu excruciant, nec ægros ab officiis ſuis avertunt; rheumatici verò dolores ægros lecto affigunt, ita ut plerumque ſe movere non poſſint, talis quoque dolorum differentia fit optime per cauſas quæ præceſſerunt, ſanguinem ſeroſum & ſalſum efficientes aut viru venereo inficientes; alia ſymptomata rheumatiſmi præter dolores in omnibus partibus intenſos, ſunt primò febris quæ ut plurimum viget eaque parva idque ob dolores atroces ſpiritus & per conſequens ſanguinem exagitantes, ſecundo ſanguinis extracti in ſeroſitates converſio, tertio imbecillitas illa remanens poſt remiſſos dolores ut in arthritide contingit propter humoris rheumatiſmum facientis majorem tenuitatem ac faciliorem diſſipationem.

Quoad prognoſim morbus iſte rariùs aut nunquàm vitæ periculum infert, ſed longitudine ſua & dolorum vehementia magnam parit moleſtiam, ad duos enim aut tres menſes, ſi ſit ſine febre, imo ad annum perſeverat, qui cum febre conjunctus eſt brevior eſſe ſolet & moleſtior, ſudores in hoc affectu boni atque urinæ copioſæ.

Curationem quòd attinet, hic affectus plures quàm arthritis requirit phlebotomias, quia iis non labefactatur æger, purgatio nonniſi in declinatione adhibenda, ſecus enim morbum auget, eaque ex caſſ. ſenn. electuar. diacartham. mann. reſina jalapa Riverio, poſt primam purgationem commendatur, clyſteres purgantes ſingulis aut alternis diebus injiciendo, diſſolvendo opiatas diagridiatas atque etiam urgentibus valde doloribus, vinum emeticum, ſudorifica ſulphurea, narcotica, ſanguinis acrimoniam lenientia, ut ſunt baln. lacc. corall. & ejus tinctura, antimon. diaphoret. aliaque alkalina plurimum juvant, cibi quoque euchymi & boni ſucci eſſe debent: item ſuffitus totius corporis in arthritide propoſiti ſtuphæ &c. hìc locum habent, uno verbo remedia omnia

quæ

quæ arthritidi convenire diximus, huic etiam morbo opitulantur.

NOTA.

RHeumatiſmi curationem aggrediuntur Germani ſudorificis potiſſimum, à venæ ſectione ut plurimùm abſtinentes. Fieri ſanè poteſt ut gens iſta remedio illi aſſueta, & vitæ majorem partem in hypocauſtis tranſigens, poros cutis ita diſpoſitos habeat, ut ſeroſa ſanguinis colluvies rheumatiſmi cauſa materialis, illac facillimè evacuari poſſit. Galli verò qui non ita facilè ſudant à ſola venæ ſectione levamen in eodem affectu ſentiunt, ſanguinemque eo frequentiùs, & largiori manu mittunt quod, ut à Clariſſ. Auctore obſervatum eſt, rheumatiſmo affecti evacuationem illam faciliùs quàm aliò quocunque morbo laborantes, ferant.

Venæ ſectioni tamen utiliter junguntur præcipitantia, & abſorbentia alcalina, quæ in quibuſdam ſudores movent, qualia ſunt oculi cancri, antimonium diaphoreticum, cum aqu. papav. rhæad. &c. Nec negligenda itidem anodyna, quæ hìc omninò neceſſaria eſſe indicat dolor continuus, modò unius partis modò plurium. Purgantia demum leviora in decurſu, aut declinatione morbi cum fructu exhibentur.

TRACTATUS DE PESTE.

PEstis nomen ipsum quidquid excogitari potest humano generi infensissimum indicat, ut patet ex vulgari ejus acceptione; talis enim appellatio qua propriè morbus de quo hìc nobis quæstio est designatur, ad res etiam quascumque pernicioſissimas indicandas in usu communi fuit translata, nec prosus immeritò. Est etenim pestis in quantum unica descriptione comprehendi potest, morbus summè malignus, epidemicus, contagiosus, humano generi infensissimus & pernicioſissimus, qui in plurimos, modò in regione simul integra, modò in urbe aliqua aut oppido simul grassatur, quo plures intereunt, & pauciſſimi liberantur, functiones omnes vitales in primis subitò aut citissimè & plerumque animales etiam labefactans, graviora inducens symptomata, lassitudinem spontaneam, vomitus sæpè immanes, cardialgiam, subitam virium prostrationem, cordis palpitationes, syncopes aut lypothymias frequentes, precordiorum æstum, sitim, dolorem capitis, vigilias pherenitidem & sæpe tandem convulsiones; febrem ut plurimum habens conjunctam; & tumoribus præterea varii generis, bubonibus nempe carbunculis, exanthematis, pustulis malignis aut maculis in cute erumpentibus vulgò comitatus.

Præter prædicta symptomata quibus non quidem semper & omnibus simul, sed modò his, modò aliis, nunc pluribus, nunc paucioribus, stipari solet pestis, nullus ferè excogitari potest morbus quem sibi comitem ea non possit, & sæpè non soleat accersere; unde pestilentia variè complicata, modò anginas, modò pleuritides, diarrhœas modò, alias dysenterias (& sic de reliquis) efficit pestilentes, quod ansam præbuit nonnullis auctoribus dicendi pestem nullum esse certum morbi genus sed affectus omnes æquè posse esse pestilentes, qui communiter grassantur & majorem hominum partem interficiunt.

Causam pestilentiæ primariam aliqui Deum solum humanorum scelerum ultorem agnoscunt, sed licèt hanc labem hominibus aliquando cœlitus immitti posse, nemo inficias ire audeat; quia tamen Medici pestilentiæ causas quæ & merè naturales esse possunt & vulgò solent esse considerant, hujus generis causæ hìc potissimùm veniunt inquirendæ, à causa etenim præternaturali licèt manare posse pestem dictum fuerit, ad eam tamen plerique sæpius sine ulla necessitate recurrunt, cùm non desint causæ plures merè naturales ex quibus potiùs talis origo debeat deduci: adde quod alii vel quidem à Deo, ex altiori tamen quàm oporteat principio morborum pestilentium originem repetunt, ex maligno videlicet astrorum influxu & coitu planetarum superiorum Saturni, Jovis &c. sed cùm influxus hic vel primò per qualitatem occultam explicetur patet hunc in sola Astrologorum imaginatione subsistere.

Causas igitur minùs sublimes inquiremus, easque ut multiplicis ordinis sunt eodem servato ordine afferemus, ab immediata & proxima ducendo initium, à qua mox ad primarias & remotiores facilior fiet transitus.

Causam igitur proximam & immediatam quæ pestem in singulis hominibus tempore quo ea grassatur producit, fermentum summè malignum, maximè activum esse asserimus, naturali humorum & masæ sanguineæ constitutioni seu texturæ immutandæ & pervertendæ aptissimum, à qua prædictorum humorum (quos idcirco primariam pestis sedem

statui-

ſtatuimus) perverſione, ſupra enumerata omnia quotquot ex peſte pullulant ſymptomata, & ſi plura eſſent exoriri arbitramur: quoniam autem talis humorum & conſequenter etiam ſpirituum perverſio peſtilentia omnia ſymptomata, mortemque ipſam brevi accerſere valens, nobis duplicis generis eſſe poſſe concipitur, ideo ratione duce nec refragante experientia, quinimò ex ſignis in variis peſtis ſpeciebus apparentibus hanc duplicis generis conſtat aliquando reperiri putamus prædictam humorum perverſionem ſeu peſtiferam diatheſim, modò in omnimodam (ſaltem ubi morte terminatur peſtis) humorum coagulationem, modò vero in integram eorum diſſolutionem poſſe deſinere, pro varia ſcilicet natura fermenti peſtilentis, à quo modò dicto humorum alteratio & corruptio peragitur; unde patet duplicis quoque generis admittendum eſſe fermentum ſeu venenum peſtilens humores corrumpens, aliud ſcilicet quod ratione intenſæ qua & natura ſua præditum eſt aciditatis, humores ſuo more depravans, vim ſuam eaſdem coagulando potiſſimùm exerit, aliud verò quod ob alkalinam & acrem quam ſortitum fuit naturam, humores peculiari & contrario modo pervertens, eorumdem diſſolutionem molitur aut perficit; pro diverſa igitur fermenti peſtilentis natura quod ut jam diximus, modò acidum, modo acre reperiri poteſt, conſtat formalem peſtis rationem modò in ſanguinis & humorum coagulatione imprimis, aliàs verò in eorumdem diſſolutione præcipuè poſitam eſſe poſſe, in ſupradicto igitur fermento poſita eſt quidem cauſa peſtis proxima, & immediata. Sed cùm peſtis morbus ſit vulgaris & in plures ſimul ſæviens, imò & paucos, in locis ubi graſſatur, intactos relinquens; ſupereſt inquirendum undè aut à quo communi fomite prodeant particulæ hujuſmodi venenatæ maximam hominum partem in regione integra aut urbe tantùm aliqua ſimul adorientes. Inter præcipuas igitur cauſas fomiteſque funeſtum hoc fermentum hominibus ſubminiſtrantes non immeritò ſuſpectus inprimis habetur aer quem omnes æquè ob inevitabilem ſpirandi neceſſitatem haurire cogimur; & qui ut plurimum morborum juxta varias ſui affectiones & corporum quæ afficit diſpotionem, non infrequens cauſa eſſe ſolet, ac eorum potiſſimùm qui endemici aut epidemici dicuntur, ita peſtis ipſius auctor frequentiſſimus non immeritò cenſeatur; non quidem ut pluribus ex Antiquis placuit, aliquo primarum qualitatum exceſſu peccans, licèt talem aliquando exceſſum ad ortum peſtilentis cauſæ occaſionaliter concurrentis rationem habere poſſe fateamur. Verùm præterà quòd ſeminiis peſtiferis, hoc eſt particulis corpuſculiſque ſupradictum fermentum peſtiferum conſtituentibus aut acidis aut ſummè acribus, ac proinde humores noſtros citò coagulandi aut diſſolvendi vi præditis, onuſtus reperiatur, à quibus, dum inſpirato eodem aere aut alia ratione in corpus immiſſis, peſtifera in homines eo quo dictum fuit modo, virtus exeritur; ſed rurſus cùm aer, ex propria natura venenata hujus generis corpuſcula nulla contineat, inveſtigandum venit undè hæc ipſis temporibus advenire poſſint, & ſoleant. Aerem igitur quem inſpirando attrahimus, non purum eſſe nec propriis ſolum & ad nativam illius compoſitionem pertinentibus particulis conſtantem nemo non novit, quandoquidem nihil magis patet quam hunc halitibus varii generis perpetuò ex terra & aquis calore Solis elevatis, aut ex inſito cuique corpori expirationis principio emanantibus nunquam non onuſtum reperiri.

Quamobrem non aliundè repeti poſſe videtur origo peſtilentis modò dictæ qualitatis aeri aliquando inductæ, quàm ex ſuprà dictis corpuſculis extraneis ſeu halitibus, ſi ii maligni & venenati, hoc eſt ſuprà dictis particulis acidioribus aut ſummè acribus conſtantes ex terræ viſceribus, aut aquis aliiſve corporibus alicubi puteſcentibus quacumque occaſione prorumpentes per aerem fuerint diſperſi: Ut enim ex halitibus ſucciſve in terra interiori variè coeuntibus, plures mineralium venenatorum ſpecies generantur,

ita

ita dubium non eſt quin halitus particulis conſtantes arſenicalibus, antimonialibus, mercurialibus, ſulphureis, ſaliniſque corpuſculis malignitate qua pollent, lædentibus, extra ſuperficiem terræ quandoque poſſint erumpere, qui per aerem diſperſi eundem efficiant peſtiferum, quod contingit potiſſimùm ubi aperta alicubi, aut nimiùm ob quamcumque cauſam dehiſcens terra auræ cujuſdam hujus generis venenatæ, aut halituum ex aere, aut aquis diu concluſis, & putreſcentibus eruptioni occaſionem, & locum dederit. In ipſa quoque terræ ſuperficie, ſi putreſcere contingat corpora plurima, & cadavera in primis inſepulta, dubium non eſt quin elevata ex iis miaſmata aerem inficere valeant, eumque peſtilentem efficere, quemadmodum aer cujus communis in reſpirando uſus eſt, peſtem quæ communiſſimus morbus, inferre valet; ita ad eandem non ſolùm prædiſponere aptus eſt communis victus, ſi pravis, & venenatis potiſſimùm corpuſculis infectus fuerit; verùm & ab iſto etiam fonte aliquando peſtilentiam ortum trahere poſſe arbitramur. Ex uſu etenim talium ciborum cùm pravos in nobis humores generari ſequatur, nullatenus videtur impoſſibile corruptionis gradum poſſe acquirere ut ex iis particulæ quædam emergant, tali natura, & malignitate præditæ, ut humores reliquos ut in peſte fieri ſolet, pervertere, hoc eſt pro diverſa earum natura, vel coagulare, vel diſſolvere aptæ ſint ac proindè veram peſtem efficere cùm & aliis communicare valeant peſtilentiamque propagare; talis igitur fermenti peſtilentis generatio cùm in pluribus ob commune ciborum quibus utuntur vitium fieri poſſit, & in alios in quibus talis non fit productio ob meliorem fortè conſtitutionem idem fermentum transferri valeat, evidenter patet, ex communi pravorum ciborum uſu peſtem alicubi abſque ullo ſaltem primario aeris ipſius vitio poſſe excitari, ideòque profectò in annonæ caritate, caſtris, obſidionibus diuturnis, ubi pravorum ciborum uſus eſſe ſolet, ſæpiſſimè peſtis exoritur ex peculiari humorum corruptione, in nobis fermentum peſtilens generari poſſe; inde quoque patet, quòd quando aliquando quoſdam videre eſt, in urbe aliqua dum ſuſpecta eſſe non poteſt aeris conſtitutio, & reliquis bene ſe habentibus, affectu quodam peſtilentiali detentos cum quibuſdam imò pluribus peſtis ſymptomatibus, iſtos peſte ſolùm ſecundùm magis, aut minùs diſcrepante detineri, tunc enim generatum in talibus hominibus fuiſſe fermentum talem affectum inducens ferè dubitari nequit ex peculiari ſcilicet humorum in ipſis facta corruptione, quod cùm à fermento peſtilenti parum differat, & forſan in eo ſolùm, quòd eo plures non afficiantur ob meliorem humorum diſpoſitionem. Cur illo etiam malignius aliquando non poterat, præſertim ubi ob communem, & ex communi cauſa ortam in pluribus hominibus, humorum corruptionem, illud in iis eodem tempore contingat generari, & ab iis in alios contagione transferri.

Ex potu ſimiliter corruptarum, aut particulis venenatis infectarum aquarum, uti graviſſimos, & in plures ſimul ſævientes aliquando ortos fuiſſe morbos ex conſcriptis Practicorum Medicorum obſervationibus conſtat; ita eadem de cauſa induci poſſe peſtilentiam nequaquam dubitamus, cùm in iiſdem aquis corpuſcula etiam peſtifera non minus quàm alterius cujuſcumque generis recondi poſſint; quarum omnium cauſarum virtus efficacior ad peſtem inferendam haud dubiè futura eſt, ubi cum iis ſimul prava quæcumque concurret aeris diſpoſitio; verùm quandoquidem in pluribus locis nonnunquam excitari videmus peſtem ex aliis in quibus ea graſſabatur merè occaſionaliter translatam, propterea quod aliquis aliunde migrat, aut quod res quæcumque ſcilicet veneno infecta eodem transfertur; ubi tamen nulla antea venenatæ aeris conſtitutionis, aut parvorum ciborum uſus poterat eſſe ſuſpicio, fatendum eſt ad primum huic morbo aliquo in loco ortum tribuendum, & in Urbem, aut Regionem

inte-

integram spargendum sufficere, solum etiam adveniens aliunde contagium, ut etiam venenum ab hoc infecto, aut rei alterius cujuscumque beneficio ab una Regione in aliam fuit translatum illud, sic uni aut pluribus communicatum ab istis in alios transfertur qui deinde etiam alios eodem contagio & hi alios similiter & sic de cæteris, imò & aerem ipsum inficiunt, donec communis in tota urbe morbus hic factus fuerit more suo. Nec incredibile putet aliquis quasdam veneni tantùm particulas pestilentes, fortè quæ translatæ fuerunt totam aliquam urbem potuisse inficere; ita enim venenata fermenta ferè omnia solent soboleſcere & propagari, ut insensibilis etiam eorum portio suscepta, si humores alteret & pervertat, sibique ut ita dicam assimilet, ut ejusdem fermenti copia fiat ad plures imò & innumeros deinceps inficiendos: sic communicata à cane rabido minima veneni quantitas sufficit ad humores sic immutandos & corrumpendos, ut ii toti ferè venenati fiant, & qui eandem suscepit urbem integram rabidus factus possit deinceps inficere, undè non mirum videri debet pari modo agens fermentum pestilens minima licèt quantitate, priùs translatum in urbem aut Regionem universam possit per contagium disseminari. Atque non alia certè ratione culcitra infecta ut refert Alexandrinus Benedictus ex angulo domus in quo septem annis latuerat ab extincta peste, educta rursus pestem excitavit; item & pellea vestimenta, aut funis ille de quo apud Trincavellum mentio fit; quo ægri tempore pestilentiæ ferebantur; mortuique ad sepulturam portabantur, qui postquam per viginti annos latuisset à quodam servo motus ipsi pestilentialem intulit febrem, cujus contagii occasione ita plures deinceps infecti ut 10000. homines hac occasione mortui fuerint.

Hæ sunt causæ pestis quæ tamen dum populariter grassatur alios aliis citius invadit, pro varia cujusque dispositione, & humorum textura, ratione cujus illi veneni pestilentis actioni magis aut minùs resistunt, faciliùs aut difficiliùs pestilentem corruptionem acquirunt quamobrem ad faciliorum hujus morbi susceptionem multum facit morbosus quicunque apparatus, & humorum cacochymia, variaque insuper animi pathemata in primis timor, tristitia &c.

Signa pestis ex suprà allata illius descriptione depromenda sunt, modò ita accipiantur, ut non omnia simul in omni peste, sed disjunctivè tantùm, modò hæc, modò illa, modò plura, modò pauciora reperiri censeantur, hæcque licèt spectata in se signa pestis pathognomonica dici nequeant, quod in aliis etiam febribus & præcipuè malignis à peste ipsa diversis quandoque observentur; eadem tamen, & ex iis potissimùm bubones, carbunculi, hujusque generis tumores alii, eo saltem tempore quo alicubi plures affectu afficiuntur similibus symptomatis stipato & per contagium diffuso, quoque plures passim occumbunt, pestem certissimè indicant; nec tamen cum quibusdam opinamur primos qui tali affectu corripiuntur & intereunt vera non laborasse peste, etiamsi fortè illud tunc affirmari certò non potuerit, quamtumvis nos alliciat ad hanc opionionem Professor quidam hujus Universitatis, quem talem quidem olim sententiam in cathedra forti animo sustinente audivimus, *De Chatellain*.

Ad pestis etenim rationem formalem, nec pertinet nec requiritur, quòd nos eam certè possimus dignoscere, nec illud etiam, quòd ea actu plurimi corripiantur & intereant, alioquin qui unus in deserta fortè insula reperiretur homo peste corripi non posset, sed sufficit quod talis natura sit affectus ut in plures aptus sit propagari & funerum frequentiam inducere.

De febre similiter inter se auctores disputant, an scilicet ea ad pestis essentiam pertineat, illiusque perpetuò comes existat, quam controversiam si nulla occurreret ratio, sola experientia dirimeret, constat etenim ex plurium Scriptorum relationibus visam fuisse non semel absque febre pestilentiam, & præterea

cùm

cùm febris, ubi in peſte adeſt, ſympto-
ma fit reliquis omnibus conjunctum, &
ab iis omnibus ſeparabile, quare ſine
febre aliquando ea reperiri nequeant, ac
proindè tamen peſtis exiſtere cùm aliun-
dè prædicta ſymptomata ſaltem præcipua
febrem ipſam pro cauſa non agnoſcunt,
ſed potiùs diſſolutionem ſanguinis aut
coagulationem in quarum alterutra jam
ſuprà dictum fuit formalem peſtis ratio-
nem præcipuè conſiſtere, nec illud ne-
ceſſariam febris in peſte præſentiam argue-
re putandum eſt quòd prædicta aut coa-
gulatio ſanguinis, aut diſſolutio à fer-
mento peſtilenti via fermentationis pe-
ragatur, ac proindè quod febris etiam
quæ in ipſa præternaturali fermentatio-
ne conſiſtit indè neceſſariò ortum ſit ha-
bitura; inde etenim quamvis concedatur
in peſte ut plurimum excitari febrem
aliquo ſaltem morbi tempore ſenſibilem
non toto illius decurſu perſeverantem,
minimè tamen ſequitur hanc peſtem de-
bere perpetuò comitari, nec illud mi-
rum videri debet cùm notum ſit plura
alia eſſe venenata fermenta quæ ſangui-
nem univerſum abſque ſenſibili efferve-
ſcentia præternaturali in qua ſola con-
ſiſtit febris, valent invertere; quamo-
brem nec conceptu arduum videatur
quòd fermentum peſtilens utpote ſumma
pollens activitate humorum texturam
ſive coagulando, ſivè diſſolvendo ita
facilè & citò poſſit pervertere, ut in
hoc nulla ipſius & ſanguinis pugna ſive
fermentatio niſi maximè inſenſibilis fiat,
nec calor item præter naturam intenda-
tur, in quo caſu, certè nemo febre
adeſſe dixerit. Cæterum ſymptomatum
turbam peſtem comitari non mirum eſt
poſtquam eam in perverſa & corrupta
penitus à fermento peſtilenti humorum
diatheſi conſiſtere diximus, eaque ita
immutetur, & particulæ ejuſdem quæ
naturaliter invicem certa ratione cohæ-
rent ita disjungantur & diſſocientur, ut
ipſius veluti in partes integrantes, ſeu
prima principia fiat reſolutio: indè
etenim quot & quantæ in naturali œco-
nomia inordinationes ſint emerſuræ, nemo
non videt, donec iis demum nec diu
expectata finem attulerit mors; horum
igitur ſymptomatum præcipua hìc
breviter attingere operæ pretium ducimus,
ex quibus explicatis ratio aliorum quæ
brevitatis ergo omittere animus eſt facilè
deduci poterit.

Ea autem omnia in quatuor potiſſi-
mùm claſſes commodè à nobis diſtribui
poſſe viſa ſunt ex quadruplici partium
in quibus ea ſe ſe prodere ſolent ſpecie
repetitas; alia etenim ſunt quæ partes
naturales vulgò dictas, alia quæ vita-
les, alia quæ animales, alia quæ demum
cutaneas ſeu habitum corporis infeſtare
conſueverunt: in partibus prioris generis
ſeu abdomine contentis, in primis occur-
runt cardialgia, vomitus aut diarrhœa &c.
cardialgiæ quidem ſeu dolores ventri-
culum infeſtantes vomituſque à pravis
humoribus à reliquis particulis quibuſ-
cum cohærebant, vi fermenti peſtilen-
tis diſſociatis & ex oſculis arteriarum
cum portione fermenti ejuſdem in ven-
triculi tunicas & cavitatem irruentibus,
quique pro varia quam obtinent natura
modò partibus ipſius ſenſibilibus infixæ
dolorem ibidem acutiſſimum pariunt,
modò verò fibras ipſas ſtomachi mo-
trices pervadendo inito cum ſpiritibus
in iiſdem degentibus congreſſu, con-
tractiones earumdem convulſivas in qui-
bus vomitus conſiſtit efficiunt; diarrhœas
verò haud dubiè producunt humores
ejuſdem generis dum in inteſtina de-
pluunt, vel ex hepate aut ciſtide fellea
undè cujuſcumque naturæ ſint ad bilio-
ſam accedunt, quæ majori copia pro-
fluere poſſunt, aut etiam ex Pancreate, ſi
humorem acidum & melancholiam An-
tiquorum redoleant per patentes earum
partium ductus in eadem inteſtina de-
rivantur.

Partes vitales quæ reſpiciunt ſympto-
mata præcipua ad motum cordis inter-
turbatum ſpectant circa quem obſer-
vantur ſyncopæ, ſypothymiæ, pal-
pitationes, debiles aut inæquales pulſa-
tiones, &c. A debili pulſu incipiendo,
contingit ille, ſive coagulatio fiat, ſi-
vè diſſolutio, quia ſanguis in utroque illo

ſtatu

ſtatu pauciſſimos tantùm ſpiritus cerebro ſuppeditat, unde nonniſi exigua ſimiliter quantitate ab ipſo in cor ad ipſius motum transferantur, quibus ab eodem ſanguine debilis præterea accedit requiſita ad fibras ipſius cordis muſculares contrahendas copula elaſtica, unde ipſum debiliter contrahi, arteriaſque in quas parvus, & debili impulſu propellitur ſanguis, iſque ad rarefactionem minus aptus debiliter quoque pulſare neceſſum eſt.

Inæqualis verò fit motus cordis tum ob ſpiritus ex cerebro in illius fibras modò majori, modò minori copia influentes, tum ſanguis modò magis, modò minus depravatus, & particulis activioribus orbatus in cor ingreditur, undè modò debiliùs, mox validiùs ab ipſo exploſivum ſpirituum accedit fermentum; Syncope oritur quoties ad tempus ſpirituum in fibras cordis defluentium ſeries interrumpitur, qualis ſaltem ad motum cordis ſenſibilem efficiendum requiritur aut effœta admodum ad ventriculos ejuſdem appellit ſanguinis pars, particulis exploſivis prorsùs deſtituta, indè etenim cùm ſolito more contrahi nequeant, fibræ cordis muſculoſæ ſanguinem in ventriculis ipſius ſtagnare nec in extremas partes propelli ſequitur. Lypothymia cauſas ſecundum magis, & minùs à cauſis ſyncopes tantum diverſas agnoſcit.

Palpitatio verò ex vitiata ſpirituum cum copula ſanguinea ob occurſum heterogenearum particularum exploſione oritur, vel à ſanguine coagulato & grumeſcente, aut eodem etiam præter modum diſſoluto producitur: grumoſus enim & craſſior ſanguis cùm ſibi è ventriculis cordis exitum præcludat nec una ſyſtole totus ejici poſſit in parietes ejuſdem reſilit, undè violentæ illius vibrationes; diſſolutus verò ac tenuioris conſiſtentiæ ſi fuerit ſanguis intra ventriculos cordis inæqualiter hærens, totus ſimul etiam foras propelli nequit, unde eadem ratione parietes cordis in dilatione concurrit, unde palpitatio.

Partes functionibus animalibus obeundis deſtinatas infeſtantia ſymptomata habentur in primis deliria, phrenitis, motus membrorum convulſivi &c. quæ omnia vel à motu ſpirituum intra cerebrum inordinato, vel à præternaturali eorundem cum particulis elaſticis in ipſis partium exteriorum muſculis facta exploſione dependent. Inordinatus qui contingit in cerebro ſpirituum motus, delirii aut phrenitidis auctor à particulis heterogeneis ex ſanguine ubi ipſius principia, ut dictum fuit, priſtinam inter ſe cohæſionem amplius non ſervant, in cerebrum mediis ipſius glandulis unà cum ipſis ſpiritibus effuſis eoſdemque inordinatè agentibus inducitur, pro quorum natura & ratione varia nunc vigiliæ tunc continuæ, nunc ſimplex delirium, nunc vero phrenitis excitatur; ſi verò in nerveos canales cum iiſdem particulis heterogeneis ſpiritus inordinatè effervescentes, & inde in muſculos fuerint translati, ſpaſmi, aut motus convulſivi orientur qui eadem ratione fieri poterunt, ſi nempe ſpiritibus ipſis in fibris muſculorum hoſpitantibus ex ſanguine immediatè copia acceſſerit elaſtica cum qua ipſi ingredientes, ad violentas muſculorum contractiones efficiendas proritentur.

Quòd ad habitum corporis, ſeu erumpentes in eo vulgò tumores, puſtulas, carbunculos alioſque hujus generis tumores maculaſve ſpectat; eæ omnes ac varii quidem generis tumorum eruptiones à portionibus ſanguinis, & fermenti peſtilentis extra vaſa miſſis, & ſub cute hærentibus producuntur; ſegregantur verò, & à reliquis ſecedunt hujuſmodi ſanguinis portiones, dum actiones fermenti peſtilentis, vel diſſolutæ, aut in grumos concretæ nullam amplius cum reliquis cohæſionem ſervant circuituum cum iiſdem peragendorum ſolitam retinent aptitudinem; unde modò bubones ſi in glandulis hærentes ibi inflammationem pariant modò vero exanthemata, modo puſtulæ rubræ, aut nigricantes, & pro peculiari etiam hujuſmodi particu-

ticularum combinatione, modò carbunculi exoriuntur.

Prognosim nullus morbus habet quàm pestis periculosiorem nec magis incertam, solus enim hic affectus, de cujus ratione est maximam partem inficere, quique per funerum frequentiam in primis dignoscitur. Nullum hic præterea ut in reliquis affectibus ex symptomatum remissione, aut benignitate habetur præsagium, quamplurimos etenim de medio tollere consuevit; aliqua tamen de futura salute conjectura esse potest, si tumores subito, & confestim erumpant, & ad loca minus periculosa, ac post eorum eruptionem symptomata remittant, si secus verò contingat, summum putandum est imminuere periculum, ut si alienatio mentis continuo perseveraverit, si perpetuæ vigiliæ, aut convulsiones adfuerint, si æger tremores cordis, aut frequentia patiatur animi deliquia, hæc etenim omnia aliaque si pejora fuerint symptomata mortem plerumque solent portendere.

Contra pestem pugnare solent Medici vel imminentem, vel præsentem, quandoquidem qui tempore pestilentiæ ea actu afficiuntur, curari; qui verò etiam tunc immunes degunt ab eadem præservari postulant; unde duplex potissimum occurrit tempore pestis adversùs tam ferum hostem indicatio præservatoria una, altera verò curatoria, illaque præservatoria rursus, vel ad totam aliquam Urbem, seu Rempublicam, vel ad certos divisim homines dirigitur. Quoad Rempublicam à peste ubi ea grassari incipit præservandam, solent ubi unus, aut alter tali morbo corruptus advertitur, infectos cum omni suppellectile infecta, aut suspecta extra urbem in locum commodum transferre domumque infectam à pestilenti labe expurgare, quod quomodo fiat æquè ac cautiones aliæ quæ in tali casu adhiberi solent apud Sennertum aliosque videri possunt; si verò pestis in plures disseminata fuerit, & contagium publicè grassetur, singulis quidem tutissimum est, modo id liceat, fugere & locum mutare; sed quoniam id omnium rationes non ferunt, aliis ideo præsidiis opus est quorum beneficio quisque à pestilenti contagio illæsus queat subsistere; talia autem potissimùm sunt alexipharmaca vulgò dicta remedia, quæ sicut ad pestem ipsam præsentem oppugnandam, ita & ad eandem imminentem præcavendam cum pari efficacia adhibentur; qualia sunt in primis theriaca, mithridatium, confect. alkerm. aqu. theriacalis, extracta antipestilentia dicta quæ plurima apud authores prostant; elixir. pestilentiale Crollii, aliaque hujus generis remedia innumera, quorum descriptio apud unum Sennertum videri potest, quibus omnibus si ulla adsit cacochymia blandè purgans remedium præmitti debet, corpusque in primis ab omnibus excrementitiis humoribus omnique putredine vacuum servari. Ad purgationem igitur ubi ea opus est instituendam adhiberi solent in primis pilulæ pestilentiales ideo dictæ aliave cum alexipharmacis etiam præparata remedia, quibus omnibus accedit præprimis recta vivendi ratio ex cibis nempe boni succi, & facilis coctionis, pravos omnes vitando quique facilè putrescere possunt; inter alimenta allium, & cæpa, licet pravi succi esse credantur, antidoti tamen præstantissimi rationem habent, quare eorum, moderata tamen quantitate, usus esse debet. Cibis insuper sive liquidis, sive solidis pulveres convenientes ex alexipharmacis parati, aut electuaria eadem vi pollentia immiscentes. In reliquis demum omnibus, quæ ad diætam pertinent, motu scilicet, quiete, somno, vigilia, venere, & animi affectibus mediocritas pari ratione servanda, atque aer in primis pestilenti contagio inquinatus quantum fieri poterit vitetur aut corrigatur. Nec ullum si fieri possit cum hac labe infectis sit commercium: quæque loca suspecta habebuntur igne accenso purgare curæ sit.

Curationem verò pestis ipsius quod attinet,

tinet, ejus recta administratio ex perspectis prius indicationibus omninò dependet; alia quippe dissolutio humorum si adsit postulat; alia verò coagulationi eorumdem opponi debent. Præterea circa venæ sectionem in peste celebrandam vel omittendam, maxima apud auctores agitatur controversia, cum alii eandem instituendam censeant, alii verò ea abstinendum esse prorsus judicent: cum illa humorum quæ fit in peste corruptioni impediendæ planè sit inutilis, & vires quarum conservandarum præcipuè in peste cura est, debilitet. Quique venæ sectionem improbant suam (experientia ipsa cujus in primis est hujusmodi lites dirimere) sententiam comprobarunt, quotquot enim ferè Medici, susceptа pestis curatione, in hac re observanda diligentiam adhibuerunt, plures quibus vena secta non est, quàm quibus secta fuit evasisse scriptum reliquerunt. Quamobrem putamus, & nos ponderosæ experientiæ & authoritati suffragantes, satius esse sæpissimè venæ sectionem omittere, quàm eam instituere ubi in primis in initio morbi Medicum vocari contigerit, nec pestis in corpus plethoricum concidet, nec intensam febrem habebit comitem & sanguinis aderit dissolutio. Si verò ipso morbi initio & viribus adhuc vigentibus vocatur Medicus, & aut plethoram aut febrem adesse advertat, metusque sit ne ad cerebrum, aut partem aliam principem fiat metastasis, sanguinis fieri videatur missio, & eam instituere intrepide poterit Medicus, habita tamen naturæ ægrotantis, & virium ratione, sic etenim modo dicta præcavebuntur imminentia pericula, febris compescetur & majus spatium sanguini ad circuitum suum continuandum procurabitur.

De purgatione non minùs inter Practicos auctores controvertitur, qua de re ut brevi etiam mentem nostram aperiamus, dicimus nonnunquam purgans aliquod remedium quidem esse præscribendum ac quidem ipso morbi initio, ubi scilicet corpus cacochymicum invadit pestis, aut huic interna humorum corruptio, ortum aut occasionem dedisse videtur. Nisi vero se se prodat cacochymia morbusque solius vi contagii naturalis acciderit, purgantia minùs utilia videantur. Quidquid de venæ sectione & purgatione dictum fuit, id tamen ita volumus accipi ut sive ea conveniant sive non, primus tamen locus remediis venenum pestilens oppugnantibus & excludentibus, sive alexipharmacis concedatur, ab iisque semper incipiatur curatio. Ea autem ejusdem propè generis sunt quæ ad indicationem præservatoriam adimplendam fuerunt proposita; in iis tamen aliisque alterantibus quæ in hoc morbo licèt acutissimo maximè prosunt adhibendis, primariæ indicationis præsentis scilicet dissolutionis sanguinis aut coagulationis ratio habenda est, ubi etiam dissoluti sanguinis signa aderunt, alexipharmaca calidiora in statu morbi præcipuè præscribuntur, initio etenim ubi nondum multum dissolutus est sanguis ea tamen exhiberi possunt, quæ per habitum corporis pestilens fermentum expellere apta sunt ut pulvis aut sal viperinum, lapis bezoard. mineral. &c. Alexipharmacorum autem omnium assumptioni tum interjicienda sunt quæ sanguinem refrigerare, eumque à dissolutione ob coagulandi vim qua pollent, vindicare valent, in hunc finem potiones propinandæ seu julepi cordiales simul & refriger. ex aqu. acetosæ, plantag. rosar. &c. cum succo citr. granator. aliisque hujus generis; addendo si lubeat, quemdam syrup. pariter acidum, granat. scilicet. acetos. & citr. &c. Si oppositam verò naturam nactum pestilens fermentum coagulando in primis, humorum massam videatur corrumpere, alterantia omnia calidiora sint & alexipharmaca sale volatili constantia, vique dissolvendi potissimùm prædita seligantur, eorumque usus

frequens ; talia ſunt prædictus pulvis , & ſal viperin. bezoard. mineral. theriaca , mithridat. aqu. theriac. elixir. proprietatis ſine acido ſpiritu præparatum , corall. margarit. & alia quæ , aut venenati fermenti expulſionem promovere , aut humorum coagulationem prohibere valent . Denique ad ſymptomata etiam cura dirigenda eſt : ſic buboues præcipuè , carbunculi &c. propriam curandi methodum expoſtulant , ſed eorum ſeorſim ſi proponeretur curatio prolixior fieret hic tractatus , cùm ea aliunde ad Chirurgiam pertineat .

TRA-

TRACTATUS

DE FEBRIBUS.

CUm in omni febre cujuſcumque naturæ illa ſit, maſſa ſanguinis fermentetur, ita ut in hoc ſeculo non ampliùs ſub nomine caloris præternaturalis in corde accenſi, & hinc per arterias in totum corpus diſtributi, ſed fermentationis dumtaxat, ſeu fermentativi, & inteſtini motus partium ſanguinis nota ſit apud Medicos, non ineptè nos facturos putavimus ſi antequam ad febrium naturam, differentias, cauſas, &c. eruendas accedamus, quidquam de fermentatione in genere dixerimus, à cujus notitia non parùm tractatui noſtro lucis accedet. Fermentationis ergo nomen, quòd à fermento illius frequentiſſima cauſa, ſeu occaſione potiùs, aut fervore quem frequentiſſimè fermenteſcentia corpora concipiunt, derivatur, iis tantùm olim tribui ſolebat compoſitis quæ, aut ex fermenti additione, & cum ipſis mixtione turgeſcebant, motumque in ſuis partibus quaſi intrinſecum acquirebant, ut in paſta farinacea, atque etiam cereviſia accidit, aut ſuccis quibuſdam ſpirituoſis, vinoſis, ſpiritumve ardentem in diſtillatione fundentibus, quæ ſpontè ſua, citra cujuſcunque corporis admixtionem, agitationem, & motum in ſuis partibus ſuſcipere conſueverant, qualia ſunt muſtum pomaceum aliique liquores, ex fructibus, plantiſque ſpiritu abundantibus, expreſſi; nunc verò communior multò facta fermentationis eſt vox, & non ſolùm paſtæ, muſto, cereviſiæ, &c. tribuitur à novatoribus Medicis, ſed extenditur etiam ad quamplurima alia, ita ut nullus ferè ſit motus ſaltem humidiorum in triplici regno, mineralibus nempe, vegetantibus, atque animantibus, qui fermentatio non dicatur, quod non ſine ratione factum exiſtimo, cùm maxima inter humorum ſuccorumvè in plantis, animalibus & in ipſa terra contentorum atque etiam paſtæ, muſti, cereviſiæ, aliorumve ſuccorum motum quem inter fementeſcendum ſubire ſolent ſimilitudo ſit & analogia.

Atque ut ad humores in corpore humano contentos ſeu maſſam ſanguineam ſermonem reſtringamus, quæ materia multò magis pertinet ad hanc noſtram diſſertationem, nemo ſanæ mentis negare audeat, calorem hunc naturalem dictum, quo gaudet homo, ſicut & alia animantia, à motu circulari ſanguinis per totum corpus, & præſertim fermentativo dependere; ſine quo principia ſanguinis conſtitutiva, quæ varia, & plura ſunt invicem mixta & confuſa, ſervari nequirent, & à ſe mutuò ſecederent, ut accidit in ſanguine vena ſecta extracto. Et quidem cùm calor, apud varios Philoſophos, à motu particularum cujuſvis corporis calidi dependeat, inſuper corpora fermenteſcentia oleoſa præſertim, ſulphurea, ſpirituoſa ſemper incaleſcant; calidus animalium ſanguis, & quidem eo magis aut minùs excalefactus quo magis in ſuis partibus integrantibus agitatur, & commovetur, non alteri cauſæ, quàm majori, aut minori in ipſo excitatæ fermentationi, ſeu mutuæ principiorum ejus & particularum luctæ calorem ſuum acceptum referre poteſt. Eo magis quod ſicut in paſta, muſto, cereviſia &c. ſunt variæ heterogeneæ & ſibi mutuo improportionatæ particulæ ad fermentationem dicta corpora diſponentes, in ſanguine pariter, ut chymica conſtat analyſi, ſunt diverſa principia, ſpiritus, ſal, ſulphur, aqua, terra, aut diverſæ & multiplicis figuræ partes, ſimi-

lem in ipso effectum præstare valentes.

Verùm antequam progrediamur ulteriùs, exponenda venit ipsius fermentationis natura ejusque tradenda definitio ne opus hoc nostrum obscuretur potiùs quàm elucidetur; hanc igitur concipere licet *per intestinum expansivumque motum partium heterogenearum & sibi mutuò improportionatarum, in humido convenienti, & spatio libero, citra causam sensibilem, hoc est sensibiliter advenientem, factum, cum totius aut partium mutatione, hoc est totali aut partiali corporis fermentati mutatione seu alteratione*, hæc definitio omnium quæ tradi possunt exactissima videtur, ut patebit per omnium verborum factam sigillatim explicationem. Ac primo quidem fermentatio motus dicitur intestinus & expansivus; motus quidem is plerumque in corpore fermentescente percipitur ut in pasta, musto, aliisque supradictis, aut quandoque sensibilis non fit, dum scilicet minor est & modica fermentatio; ratione tamen sufficienter colligi potest ex calore aliisque alterationibus corporibus fermentatis supervenientibus, & per illud convenit cum aliis multis motibus qui fermentativi non sunt, qualis verbi gratia est motus aquæ, vini, pastæ per manum immissam agitatæ, qualis est motus liquorum fluentium &c. intestinus vero expansivus dicitur ex eo quòd quasi in centro aut visceribus ipsius corporis excitetur & intrinsecæ particulæ illius motæ à centro ad circumferentiam tendere videantur, & denique ex eo quòd corpus fermentatum infletur semper & turgescat, quod non observatur in aliis quibusvis humidorum motibus. Cùm additur in definitione fermentationem partium heterogenearum & sibi mutuo improportionatarum motum esse, hoc ita fit ut intelligatur non quamlibet partium heterogeneitatem, seu diversam particularum figuram ad fermentationem requiri, sed tantum eam quæ magna inter easdem particulas improportione, & irregularitate stipata est, seu quæ, ut infra dicemus, liberum æthereæ materiæ, seu subtilis ingressum, & difficilem exitum præbet; secus enim liquores omnes quorum partes, in pluribus, diversæ figuræ sunt essentialiter in motu, fermentari dici possent, quod falsum esse nemo nescit, atque hinc est quod ea omnia quæ particulis consimilibus, hoc est ejusdem figuræ, & conformationis constant in eo statu permaneant, si verò aliæ aliis permisceantur, ut spiritus vini spiritui terebinthinæ, oleum vitrioli, oleo tartari, statim effervescent. Præterea adjicitur in humido convenienti, propterea quod fermentatio propriè ad humida pertineat, aut saltem quæ humiditatem in se aliquam habent, quamvis enim pasta farinacea, theriaca, aliaque spissa ac proindè minùs humida videantur, non sunt tamen ita arida & sicca quin humiditatem in se aliquam habeant à qua mollia dicuntur, & hujus ratione, fermentari, turgescere, atque per motum in suis partibus inflari possunt: undè colligitur arida, sicca, & dura ad fermentationem suscipiendam apta non esse, ut experientia patet; utpote quorum partes strictiùs inter se uniuntur & nimis in quiete sunt constitutæ quàm ut se mutuò pervadant, & humidorum molliorum ritu, in quibus laxa admodum est particularum unio, motum in suis partibus distributive suscipere valeant. Præter jam dicta adjungitur fermentationis definitioni, in spatio libero, quia impossibile ferè est, fermentativum motum excitari in aliquo, nisi sufficiens sit locus & spatium ad corporis fermentati inflationem & turgescentiam, ubi enim est corporis cujuscumque rarefactio, ut est in omnibus quæ fermentantur, & novæ materiæ ingressus, ubi extensionem augeri necesse est, ac proindè locus, & spatium magis amplum requiritur. Hinc est quod dolia vino recenter facto, aut musto nimis repleta, & clausa, diffringantur; hinc est quòd vasa terrea, aut vitrea rumpantur, dum liquores iis inclusi in nimia copia effervescunt vehementius; hinc demum est quòd vasa sanguinea in febribus plerumque rumpantur præsertim dum adest plethora: in quibus omnibus casibus spatii defectus accusandus

dus. Quòd si vasis parietes ita fortes sint ut vim corporis fermentescentis superent, in illo casu segniter aut nullo modo fit fermentatio. Dicitur quoque fermentationem fieri citra causam sensibilem seu sensibiliter advenientem, ut distinguatur à combustionis & ebullitionis motu, aqua enim bulliens, aut lignum combustum fermentari proprie non dicitur, sicut nec quicumque liquores aere insufflato agitati, propterea quod tales motus agnoscunt causas sensibiles, ignem nempe, aerem, quorum adventus corpora prædicta agitat & movet. Ultimò denique ponitur in fermentationis definitione cum totius aut partium mutatione, hoc est totali, aut partiali mutatione seu alteratione, ut intelligatur fermentationis terminum non alium esse quàm fermentati corporis mutationem in aliud, vel integram & perfectam, ut fit in rerum generatione & corruptione in quibus, quia partes à fermentatione novum ferè omnes situm, novum ordinem, novamque acquirunt figuram, compositum novum produci dicitur & novam formam advenire: vel partialem & imperfectam, quatenùs fermentationis motus plerumque valdè intensus, aut longus particulas corporis fermentescentis non deordinat adeò, aut figura sua spoliat, ut novam sensibiliter faciem inducat corpus fermentativum, tuncque alterari tantùm non generari aut corrumpi dicitur. Explicata hìc fermentationis natura, ejus veniunt afferendæ differentiæ, ac primò quidem ratione motus majoris aut minoris in corpore fermentescente excitati, alia dicitur effervescentia dum scilicet particulæ corporum ita intensè agitantur, ut eorum motus & tumultus non audiatur solùm, verùm & oculis deprehendatur, & aquæ bullientis ad instar inflentur maximè, vaporesque & fumos emittant, atque etiam calorem plerumque intensissimum concipiant. Hujus fermentationis speciei exempla multa suppeditat chymia, tum in variorum & sibi contrariorum liquorum aut spirituum mixtione, putà spiritus vitrioli cum oleo tartari, spiritus terebenthinæ cum spiritu vini uno verbo acidi & alkalini; tum etiam in lapidum & metallorum dissolutione, quæ etsi sola utpote dura & solida fermentescere non possint, ut superiùs annotatum est, dum tamen ipsis liquores acidi & corrosivi affunduntur, proportionis defectu qui inter lapidis & metalli superficiem, parteisque liquoris ipsi immediatè applicatas, ita validè concutiuntur ut alias ab aliis secedere & separari necessum habeant, donec totum corpus dissolvendum in tenuissimas partes divisum sit, quæ in liquoris dissolventis poris reconditæ ipsique magis proportionatæ facta, effervescentiæ finem imponunt. Altera fermentativi motus species effervescentiæ contraria, quæ nomen generis retinet & dicitur fermentatio, illa est in qua non tantus est particularum corporis agitatarum motus, nec tanta fumorum vaporumve exhalatio, item nec tam intensus calor, ut in pasta accidit, musto, cerevisia novella, aliisque quamplurimis, lenius multò & blandiùs fermentescentibus.

Similiter ratione subjectorum in quibus excitatur, alia naturalis dicitur fermentatio; in qua scilicet ars seu artificis manus nihil præstat, sed totum opus à natura absolvitur, ut videre est in vegetabilium succis, in visceribus terræ ad mineralium productionem, animalium sanguine & humoribus ad nutritionem, generationem, calore nativum fovendum &c. alia artificialis quæ in illis tantùm excitatur, quæ arte parata sunt potissimùm dum alia aliis permiscentur & activa passivis applicantur, ut in chymicis experimentis & præparationibus accidit: rursus fermentatio naturalis alia perfectiva dicitur, dum compositum ab ipsa perfectiorem statum acquirit, alia corruptiva, dum indè in pejus ruit; sed profectò cùm generati unius fit corruptio alterius non valdè magni momenti est illa divisio sicut nec multæ aliæ accidentales quæ fieri possint quatenus scilicet aut brevius aut diutius durat, aut mineralibus, vegetabilibus, animalibusque competit.

Causas fermentationis quòd attinet, plures sunt variorum hac de re opiniones; alii siquidem putant motum fermentativum ab intrinseco excitari, nulla causa ab extrinseco adveniente, eumque à spiritibus, scilicet principio corporis magis activo & magis subtili deducunt, quatenus illi mobilitate & agilitate sua fugam meditantur & avolare tentant, quod præstare non possunt, nisi particulas crassiores quibus implicantur commovendo & agitando, plus minus pro majori aut minori spirituum copia. Qui pro primis corporum elementis aquam, aerem, terram & ignem statuunt, particulas ignis in composito reconditas pro causa fermentationis afferunt, ita ut de ipsis non secus ac Chymici de spiritibus ratiocinentur; putantque ex iis multi quod illa corpora quæ nos alkalia nuncupamus cum igne & calore reverberata sint, maximam copiam talium igneorum corpusculorum in suis poris quasi incarceratam continere, quibus si quecumque occasione pateat exitus statim præ volatilitate sua, maximo impetu elevantur: sic ajunt affusa calci aqua, maximus oritur tumultus, sic liquores acidi, lapideis, metallis aliisque calcinatis affusi motum fermentativum excitant. Alii causam fermentationis duplicem statuunt, acidum scilicet & alkali ex cujus mutua actione, mutuoque concursu motus fermentativus excitatur, putantque nihil in natura esse quòd suo acido suoque alkali non gaudeat; cujus hypotheseos argumentum assumpserunt ex artificialibus & in chymia solitis effervescentiis consequenter ab acidi cujuscumque cum alkali corpore mixtione; acidum verò appellant illud corpus quod particulis longis aculeatis donatum, organum gustus fortiter ferire & in ipsum altè insinuari aptum est, ut succ. limon. spirit. vitriol. spirit. nitri &c. Dicunt alkali illud corpus quod calore aut igne calcinatum propter transitum frequentem corpusculorum igneorum per ipsius substantiam, porosum secundùm se totum, factum est, sicque acidum. utpote aculeatum in se ipso absorbere maxime idoneum, præeunte tamen fermentatione, & tumultu quem procedere arbitrantur ex motu ipsius acidi, quod penetrando in alkalini corporis substantiam suisque particulis veluti totidem cuneis, corporis cui occurrunt partes à se invicem dividunt; donec, aut acidum successu temporis in alkali poris intricatum fuerit, & motum suum amiserit, aut alkali totaliter dissolutum sit. Alii demum res penitùs indagantes, & magis philosophicè quàm medicè, id est sensibiliter inquirentes, quorum hìc sententiam amplectimur, existimant corporum fermentescentium motum etiamsi ab intrinseco, hoc est à partibus corpus constituentibus, suscitari videatur, revera tamen adventitium esse; hoc est à causa extrinsecùs adveniente primò excitatum, quæ causa nulla alia est, quàm subtilis materia, & ætherea apud Philosophos hujus ætatis dicta, cujus existentiam multis probant rationibus, & experimentis, motu perniciissimo à Deo accepto veluti ipsi essentiali, corporumque omnium poros replens, & pervadens, omnium motuum in sublunaribus excitatorum causa unica statuitur, ac proinde fermentationis, quam producit quoties liberum patentemque in corpora, seu illorum poros ingressum invenit, difficilemque exitum, tunc siquidem mobilitate sua tenuitati suarum partium conjuncta, dum corpora quæcumque copiosiùs pervadit, & penetrat, partes ejus crassiores resistentes, & remorantes effringit, & quaqua versùs agitat; unde corporis turgescentia sequitur major, aut minor pro majori, aut minori materiæ subtilis ingressu majorique, aut minori partium contranitentium resistentia; quæ turgescentia continuatur, & durat, donec illa materia ætherea, vias undequaque faciles sibi fecerit, liberumque adeò exitum atque ingressum invenerit, in illo namque casu cùm facilem habeat commeatum, nullam diffractionem, agitationem nullam parit, corpusque tunc quietum & pacificum apparet, quemadmodum in iis quæ non fermentescunt non

solùm

ſolùm fieri deprehendimus, ſed conſequenter etiam ad validiſſimas effervescentias.

Cauſa autem occaſionalis & diſpoſitiva quæ parat & diſponit corpora ad copioſum illum & ſolita majorem materiæ æthereæ ingreſſum, eſt particularum in præcedentibus relata heterogeneitas ſeu irregularitas, immiſcibilitas, improportio &c. qua fit ut cum aliæ aliis facile applicari, adaptari, & uniri non poſſint, inde viæ latiores materiæ ſubtili cudantur atque ſternantur, ac proinde ipſa copioſiùs ingrediatur, unde fermenta omnia, corpora tantum quibus immiſcentur fermenteſcere faciunt in quantum improportionatam corpori fermentando in ſuis partibus figuram habent; in tantum liquores chymici alii aliis affuſi & mixti invicem agitantur in quantum particulis diverſæ & contrariæ figuræ gaudent, in tantum acida cum alkalinis fermentationem, aut effervescentiam concipiunt in quantum illorum iſtorumve integrantes partes eam non habent configurationem per quam invicem ſine tumultu, & colligari, & cohærere poſſint. Uno verbo, ubicumque eſt partium miſcendarum & jungendarum ſufficiens heterogeneitas, ibi propter jam dictam rationem turgeſcentiam ſuboriri neceſſe eſt, atque hinc eſt quod in omnibus ſanguinis fermentationibus partes heterogeneæ ſemper accuſantur.

Hæc ultima propoſita hypotheſis quæ totum fermentationis opus ipſi materiæ æthereæ tanquam primæ, præcipuæ & efficienti cauſæ tribuit, optima omnium videtur hodieque apud ſaniores Medicos recepta eſt, corpora ſiquidem quæcumque illa ſint, quibuſcumque ſpiritibus aut particulis igneis referta ſint & qualecumque acidum & alkali contineant certè neque ſpontè neque per fermenti additionem, neque dum alia aliis miſcentur, motum majorem acquirere poſſunt quàm in ſe habeant. Conſtans enim motus lex eſt, corpora in eo ſtatu ſemper perſeverare in quo jam conſtituta ſunt, niſi ab agente extrinſeco hinc dimoveantur; quomodo igitur fermentum quod nullo motu ſenſibili donatum percipitur, paſtæ, cereviſiæ, aliiſque permixtum, quæ etiam in ſe nullum motum habent commotionem majorem in dictorum corporum partibus faciet atque calorem intenſiorem producet, ut accidere in iis videmus dum invicem effervescunt. Quomodo ſpiritus vitrioli oleo tartari, aqua calci affuſa, quæ omnia ſeparatim in motu ſenſibili poſita non ſunt effervescentiam tumultuoſam excitabunt; quomodo acidum alkalino occurrens corpori, motum, quem antea non habebat, majorem acquirit; quomodo particulæ ignis in calcinatorum poris incarceratæ ac proinde minus agitatæ in motum iterum vehementem ciebuntur. Quomodo demum ſpiritus antea infricati & minùs mobiles jam fermenteſcente corpore extricabuntur & morbilitatem acquirent, certè illud propter jam aſſignatam, & ab omnibus Philoſophis receptam motus legem concipi non poteſt; niſi materia quædam ſummè mobilis & agitata extrinſecus adveniat, qualis eſt materia primi elementi ſeu materia ſubtilis quæ pro varia corporum fermenteſcentium effervenſcentiumve diſpoſitione ſeu partium configuratione & pororum hiatu modò majori, modò minori copia irruit & penetrando partes huc illuc, nunc cum tumultu, nunc blande & jam minori impetu propellit. Dum autem materiam ætheream fermentativi motus primariam & præcipuam cauſam ſtatuimus, non excludimus ab hoc opere alias varias & juvantes cauſas quales ſunt aeris elaſticæ partes; quæ dum poros corporum à materiæ ſubtilis motu & ingreſſu latiores factos, ut plurimum ſubeuntes vi qua pollent elaſtica ad partium divulſionem & ſeparationem non parum conducunt, & fermenteſcenta corpora in bullas plerumque elevant; quales etiam ſunt particulæ tenuiores & magis ſubtiles, ſive ſpiritus qui motu majori quem faciliùs ſuſpiciunt à materia ætherea ipſis multò tenuiori communicatum, juvant ipſam ad hunc effectum faciliùs

promptiuſve præſtandum. Effectus verò fermentationis ſeu terminus, ut ſuperiùs innuimus, corporis in quo ipſa excitatur partes variè agitando, ſeparando, attenuando, in unam quaſi naturam redigere ſeu proportionem iis quandam conciliare ut cohæreant, ita tamen ut materiæ ſubtili & una & alia parte liber tranſitus ſit; vel craſſiores maximè reſiſtentes in fundum per præcipitationem propellere aut foras ſi ſint viæ patentes eliminare, aut ad corporis fermentati ambitum per motum expanſivum protrudere. Hoc quàm verum ſit probat unum inſtar omnium muſtum in doliis fermenteſcens. Non negamus quoque, materiam ſubtilem pro cauſa fermentationis admittendo, acidi & alkali in promovendo fermentativo motu efficaciam dum applicantur invicem aut admiſcentur; eò magis quod à poſteriori, per multa ſcilicet in chymia fieri ſolita experimenta notum habemus illa ſemper ubi ſibi mutuo occurrunt turgeſcere & fermentari. Sed antequam explicemus in quo ſita eſt talis efficacia, & quomodo ex applicatione horum duorum corporum turgeſcentiæ motus ſuboriatur, juvat hìc monere nomen acidi & alkalini plerumque non eſſe aliquod abſolutum, ſed merè reſpectivum, nam inter acida quæ ſunt multiplicis generis ſicut & alkalina, ſi talia abſolutè eſſent, nulla excitaretur fermentatio; ſimiliter & inter alios pleroſque liquores quorum neuter acidus eſt ut inter ſpiritum terebinthin. & ſpiritum vini & urinæ &c. nullus turgeſcentiæ motus ſuperveniret; quod tamen falſum eſſe experientia comprobat, nam inter acida multa dantur ſibi mutuò heterogenea & quæ invicem mixta fermenteſcunt; dantur ſimiliter multi alii liquores ſulphurei aut acres, qui dum ſibi mutuò affunduntur fermentationis motum concipiunt, dantur & multa alia corpora quæ nec acida nec alkalina guſtu deprehenduntur, quæ invicem confuſa fermentantur, ut videre eſt apud Graef, maximo argumento dicendi acida alkaliaque talia dicenda eſſe habito reſpectu ad alia corpora quibuſcum fermenteſcere ſolent; ſic aqua, etiam ſi acida non deprehendatur, talis tamen dici poteſt reſpectu calcis vivæ & aliorum calcinatorum, ſpiritus vini reſpectu ſpiritus urinæ, utpotè quæ acidorum vice funguntur, ex acidis verò diverſis ſimul fermenteſcentibus liquoribus, alius alkalinus dici poteſt cujus vicem ſupplet, & ſic de cæteris; habent enim corpora omnia invicem fermenteſcere ſolita, etiamſi acida aut alkalina guſtu non deprehendantur eam ad ſe muſtò habitudinem partium invicem mixtarum ſitum, ordinem, pororum configurationem quæ eſt in veris acidis & alkalibus ſibi mutuò affuſis ſpiritu vitrioli & ſale tartari, unde non mirum ſi eorum ritu efferveſcentiam aut fermentationem concpiunt. Uno verbo omnia quæ fermentationis aut efferveſcentiæ motum ſubeunt id præſtant improportione & heterogeneitate ſuarum partium; ut jam dictum eſt; undè cùm corpora innumera reſpectum aliorum quamplurimorum tali modo ſe habere poſſint concludendum quòd ſi alkali & acidum confuſa & mixta fermententur, item & omnia alia cujuſcunque naturæ ſint corpora, id pendere ſemper ex jam repetita partium heterogeneitate quæ modò ſupradicto tumultuoſum magis aut minus materiæ ſubtilis ingreſſum permittit. Atque hinc debet peti maxima quam habent ad ſimul fermenteſcendum diſpoſitio alkalia atque acida, ſic cùm variam & multiformem in ſuis partibus aculeatis figuram habere poſſint, & multiplicia quoque & multiplicis ut ſupra innuimus eſſe, alia enim habent partes cylindricas, alia triangulares, quadrangulares, pyramidales &c. alia acumen tenuius, alia obtuſius, alia in formam acus, alia in formam cuſpidis, & hinc eſt quod reſpectiva ſit ſemper actio illorum, ſpiritus nempe vitrioli, ſulphuris, ſalis, nitri, aqua regal. acetum deſtillat. ſucc. limon. ſucc. berberis, &c. etiamſi in aciditate conveniant; varios tamen ſortiuntur effectus, ratione variæ partium configurationis; ſi ab eorum liquorum quibuſdam argentum, ferrum,

rum, cuprum ſolvitur; ab aliis aurum, quidam cum peculiaribus fermenteſcunt corporibus, quidam cum aliis quidam plumbum ſolvunt, quidam non, quidam corpora à liquoribus ſalſis aut acribus ſoluta præcipitant, quidam non, quidam demum lapides, terras teſtas &c. diſſolvunt; ratio petitur ex varietate figurarum in partibus, quæ dicta corpora utpotè in poris ſuis variantia ſubire æqualiter & penetrare non poſſunt.

Quod diximus de acidis dicendum pariter de alkalibus quæ in multas ſpecies dividuntur, alia namque ſicca ſunt, ut calcinata omnia, lapides, teſtæ, tetræ, metall. corall. margarit. ſales fixi & volatiles &c. alia humida quæ propriè nihil aliud ſunt quàm jam dicta ſalia volatilia aut fixa in aqueo humore ſoluta, ut patet ex oleo tartari & alio ſalium fixorum per deliquium facta ſpiritu urinæ, fuliginis, cornu cervi, armoniaci aliiſque ſpiritibus volatilibus, quæ nihil aliud ſunt quam ſales volatiles ſoluti. Item ex alkalinis alia ſalſa ſunt, ut ſales omnes volatiles & lixivioſi, alia compoſita & corporea, ut lapides, terræ corall. &c. Nec putandum (quod hìc per tranſennam obſervari volumus) liquores omnes aut corpora compoſita quæ invicem effervescunt id præſtare ratione acidi aut alkalini ſalis quod in ſe contineant, ut quidam volunt, ut potè quod intricatum eſt & nondum ſui juris factum, ſed potiùs per partes ſuas integrantes in quibus ſufficit ut reperiatur improportio & irregularitas ad promovendum majorem materiæ ſubtilis ingreſſum eo quo ſupra dictum eſt modo; Præterea differunt etiam alkalia & in alias ſpecies dividuntur per diverſos, quibus referta ſunt, poros, ut enim acidorum ratio conſiſtit in longitudine partium, acutie & duritie, ita alkalium natura in poroſitate ut ita dicam & meatuum abundantia ſita eſt; unde pro varietate illorum meatuum ſeu pororum qui modò oblongi ſunt modò rotundi, triangulares, hexagoni, quadrati &c. variæ exurgunt alkalium ſpecies, variis abſorbendis acidis, quæ nempe ſuis foraminibus proportionata ſunt & in poris ſuis recipi idonea.

Non prætermittendum autem dum de fermentatione agimus interdum quamvis rariùs, nullum calorem in corpore etiam validius fermenteſcente excitari, ut, verbi gratia, accidit in fermentatione corall. cum aceto diſtill. quamquam aliunde ſtrepitus ſatis fortis excitetur; quod ex eo procedere exiſtimo, quod nullæ aut pauciſſimæ adſint in utroque corpore partes ſulphureæ, quarum motus ad calorem corpori cuicunque conciliandum plurimùm omnino juvare conſtat ex omnium oleoſorum ſulphureorumve effervescentia, quæ calorem intenſiſſimum plerumque comitem habent; item & ex fermentatione aliorum, quæ magna ſulphurum copia non abundant, in qua minor multò calor percipitur. Aut ſi mavis prædictum phænomenon per Philoſophiam Cartheſianam explicare, dici poteſt moveri quidem in fermentatione, ſeu diſſolutione corall. partes aceti & corall. ſed non ea ſpecie motus, vorticoſi ſcilicet, quæ requiritur ad calorem conſtituendum.

Aliud quoque notatu dignum in plerorumque ſuccorum liquorumve, aut aliorum corporum fermentatione ſuboritur, dum enim alia aliis confunduntur, & immiſcentur poſt connatum inde ob heterogeneitatem fermentationis aut effervescentiæ motum, modò partium diverſi corporis ſtrictiſſima unio ſuperveniat citra ullam præcipitationem, ut ex ſpiritum vitrioli ſupra ſal tartari, ſed ſalſum quid ex utriuſque mixtione generantur, quodque multiplicis ſpeciei eſt, ut de acidis & alkalinis dictum eſt, pro vario acidi aut alkali prædominio, variaque diverſorum acidorum alkaliumve mixtione, unde alumen, vitriolum, nitrum, ſal gemm. ſal marin. ſal armoniac. tartarum vitriolatum, non ejuſdem, ſed diverſæ ſpeciei dicuntur; modò à corporum invicem mixtorum effervescentia non ſtricta unio ſuccedit, ſed partium corporis diſſoluti in liquore diſſolvente occultatio citra ullam quoque præcipita-

pitationem, ut in aur. ab aqua regal. diſſolutione, argenti, mercurii; nam etiamſi illa metalla in ſuo ſinu contineant, diaphaneitatem atque pelluciditatem non amittant, propter exiguitatem dictarum particularum quæ tranſitum lumini parum aut minimè denegant, quæque quamvis ſimul junctæ gravitatem ſufficientem habeant, qua fundum petant, ſeparatæ tamen & in minimas diviſæ particulas aut moleculas magis levitant, & à præcipitatione arcentur non ſolùm liquidi motu, illas in continua agitatione detinentis, ſed etiam particulis diſſolventium aculeatis in poris partium metallicarum infixis illas veluti ſuſpenſas detinentibus.

Modo denique ex jam ſæpiùs dicta liquorum heterogeneorum aut corporum efferveſcentia, præcipitatio ſequitur, quæ etſi omnes non comitetur fermentationes, ipſa tamen nonniſi fermentatione præeunte eaque ſenſibili aut inſenſibili contingere poteſt, idque quatenus aut craſſiores corporum mixtorum partes quæ cum aliis uniri facilè non poſſunt per fermentationis motum deturbantur, aut quatenus eadem propria gravitate a tenujoribus ſeparantur & fundum petunt, aut demum quia ex junctione variorum corporum, craſſiores exurgunt moleculæ. Sic ſpiritus urinæ cum ſpiritu vini poſt intenſiſſimam efferveſcentiam coagulum facit, & præcipitat? quod eodem modo in aliorum plerumque mixtione aut confuſione contingit. Verùm præter jam dictam quæ ſpontè accidit ex variorum contrariorumve corporum aut liquorum mixtione & efferveſcentia præcipitationem, etiam & alia ejus ſpecies datur, quæ ſpontanea minimè eſt, quæque poſt fermentationem corporumve ſolutionem non ſubſequeretur, niſi novus affundatur liquor qui præcipitationi veluti occaſio ſit, liquor verò effundi debet, non unius & ejuſdem naturæ, ſed varius pro varietate liquorum mixtorum, corporum diſſolutorum & menſtruorum diſſolventium; ſic oleum tartar. aut ſpiritus ſalis armoniaci, aurum ab aqua regal. diſſolutum præcipitat, aqua marina aut ſalſa mercurium à ſpiritu nitri ſolutum; oleum item tartari, plumbum & coral. in aceto deſtill. ſolutum; flores ſulphuris ab aqua ſal. tartar. imprægnata ſolutos, aqua ſimplex; jalapa in ſpiritu vini ſoluta, & ſic de aliis pleriſque quæ propriis menſtruis ſoluta, variis diverſiſque indigent liquoribus aut corporibus quæ ſolutioni affuſa aut addita corporis diſſoluti præcipitationem promoveant.

Notandum tamen quòd non unus liquor aut unum corpus præcipitationem facit in certis ſemel ſolutis corporibus, ſed duo, tria, quatuor &c. propterea quòd quamvis eadem abſolutè non ſit, habent tamen eam in ſuis partibus proportionem plus minus aptam eundem præſtare effectum.

Notandum quoque quòd quæ ab alkalibus ſoluta ſunt ab acidis potiſſimùm præcipitari ſoleant, & quæ ab acidis, alkalia ad ſui præcipitationem requirant; quomodo autem & qua mechanica ex diverſorum affuſione variorum corporum præcipitationes fiant diverſa eſt plurimorum ſententia. Alii putant ea quæ ſolutionibus affunduntur novum pondus addere corporibus ſolutis ratione cujus verſus inferiora deſcendant; alii per impetum liquoris affuſi deturbari particulas corporum ſolutorum, quæ ſuſpenſæ detinebantur à particulis menſtruorum & diſſolventium in poris dictorum corporum ſuperficie tenus infixis, ac proinde facilè ſeparabilibus; quod probant potiſſimùm acidorum exemplo metalla aut corpora ſolida ſolvere ſolitorum, quorum particulæ aculeatæ in minimas ſoluti metalli moleculas, hinc inde leviter tantùm & ſuperficiariè infiguntur, ita ut ab illis in menſtrui ſinu ſuſpenſæ detineantur, quæ deinde dum novus affunditur liquor aut corpus verſus inferiora præcipitatur, ſoluti ſcilicet diſſolventis & diſoluti particularum unione, per impetum corporis in ſolutionem cadentis, hoc eſt ruptis extremis particularum acidarum aculeis quæ in poris metalli aut corporis diſſoluti infixi erant; hinc petunt rationem cur præcipitata omnia

nia præſertim, quæ ab acidis diſſoluta ſunt aciditatem in ſe aliquam retineant, & pluries lavari, & elui debeant ut edulcorentur, cùm enim infixos in ſuis poris habeant extremos, ut jam dictum eſt acidorum aculeos aciditatem, quæ à dictis aculeis promanat vimque aliquo modo corroſivam non poſſunt non habere quæ per lotionem ex aqua tollitur propterea quod maxima vehiculi copia fulciuntur hujuſmodi aculeatæ partes in aqua facile ſolubiles, eorumque virtus utpote magis diſperſa imminuitur, & infringitur, inde petunt inſuper rationem cur etiam valde acidum, & corroſivum menſtruum præcipitatio poſt ſolutionem metallo vim ſuam corroſivam atque aciditatem maxima ex parte amiſerit, ita ut aliis diſſolvendis non amplius aptum ſit, ruptis enim ut jam dictum eſt particularum menſtrui acuminibus illæ magis inde obtuſæ evadunt ac proinde corpora ſolida pervadere minus idoneæ.

Alia demum circa ſolutorum corporum præcipitationem ex liquore, aut corpore affuſo ſententia, quæ ſtatuit ideò præcipitari ſemel ſolutas corporum variorum partes ex eo quòd liberæ relinquantur ac proinde propria gravitate decidant, dum particulæ menſtrui acidæ, aut alkalinæ pro natura ipſius corporis de novo affuſo occurrunt quo cum majorem habet diſpoſitionem ut uniatur; atque hinc volunt derivari vim præcipitatorum alkalinorum corporum, quæ ab acidis ſoluta ſunt, & acidorum corporum ab alkalinis diſſolutorum; ab aliis tamen aliter explicatur hujuſmodi diſpoſitio, quam habent menſtrua, ut ſoluta corpora relinquant, & novo affuſo liquori, aut corpori occurrant, hancque deſumunt ex motus legibus, corpora enim eò magis ferri ſunt apta quò minorem inveniunt reſiſtentiam, ſeu quò majorem habent facilitatem ut tendant. Non mirum ergo ſi acida per humoris alkalini affluxum agitata metalli partes relinquant, ut verſus alkalinum liquorem ferantur, & vice verſa; minorem namque verſus affuſum additumque corpus inveniunt reſiſtentiam facilioremque viam; huic explicationi addi, ut mihi videtur, poteſt materiæ æthereæ actio quæ in ſemel facta ſolutione liberum habens tranſitum, dum deinde novus affunditur liquor, aut corpus, patentiores à corpore affuſo in ſolutionis ſuperficie vias invenit, & ſolito majori copia ingrediendo, remorantes ſolutorum corporum partes in fundum detrudit.

His de fermentatione in genere ejuſque genericis effectibus prælibatis, ordo poſtularet, ut ad fermentationes ſpecificas, & quæ potiſſimùm in mineralibus, vegetabilibus atque animalibus, imò etiam, & meteoris fieri ſolent deſcenderemus, variaſque inde exortas mutationes, alterationes, generationes, corruptiones in triplici Regno conſideraremus; verùm quia febris, quæ fermentationis ſpecies eſt, natura, ex iis quæ jam dicta ſunt de fermentatione in genere ſufficienter erui, & colligi poteſt, & ea omnia quæ hic deſiderari poſſunt fusè explicata videri facile eſt apud Vvilliſium alioſque qui de hac materia ex profeſſo egerunt, ad eam tantum effervescentiæ, ſeu fermentationis ſpeciem properamus, quæ febris dicitur apud Medicos, & quæ præcipuum unicumve eſt hujus tractatus objectum.

Ut igitur illius quandam ſtatim cognitionem ingeramus ipſiuſque delineatio quædam fiat definienda cum ſanioribus Medicis venit febris; *Inordinatus expanſivuſque, permanens tamen, humorum circulantium, ſeu maſſæ ſanguineæ motus ejuſque effervescentia immodica pulſum ſupra ſtatum naturalem accelerans immutanſque, & calorem excedentem, vel in toto corpore, vel in principibus partibus excitans:* ad cujus definitionis perfectam intelligentiam, meminiſſe debemus eorum, quæ in principio hujus tractatus dicta ſunt, ſanguinem ſcilicet revera in noſtro corpore fermenteſcere, & circulari, in quo duplici motu calor naturalis, & vita conſiſtunt, quæ fermentatio tandiu naturæ congrua dicitur, quandiu moderata, hoc eſt, quandiu functionibus ab ipſa mediatè, aut immediatè dependentibus, ſecundùm ætatem,

tem, ut clarius loquar, quandiu principia ſanguinis conſtitutiva quæ varia ſunt & diverſa, moderata qua gaudent inter ſe heterogeneitate, per benignum, minuſque vehementem materiæ æthereæ ingreſſum leviter commoventur, & inter ſe mixta exactè, & confuſa; ſymbolum conferente motu ejuſdem ſanguinis circulari, qui cordis per ſyſtolem ſuam impellentis beneficio fit, caloremque ut & alimentum toti corpori communicat. Sanguinem enim ut & alia corpora variis conſtare partibus, quæ diverſæ rationis diverſæque figuræ ſunt, nulli dubium eſſe poteſt, ſpirituoſis ſcilicet, admodum ſubtilibus mobilibuſque, ſulphureis, ſeu bilioſis, ſalinis volatilibus, aut fixis, aqueis, aut ſeroſis, & tandem tartareis, ſeu terreſtribus, quæ prout variè inter ſe combinantur, varièque ſibi mutuò junguntur, prout dominium obtinent, varias ſanguini inducunt diatheſes, ſeu conſtitutiones, diverſaſque faciunt temperamentorum, ſi in ſtatu naturali ſint, imò etiam morborum, ſi præternaturaliter ſe habeant, differentias. Ita ſe habere non ſolum evincit ſanguinis facta analyſis, quæ totidem jam dicta principia exhibet in ſanguine, verùm & ratio atque experientia illud idem demonſtrant; ſalſedo enim quæ in urina ſero, & ſaliva reperitur ſalſi in ſanguine præſentiam certam facit; bilis flavi caloris ut ſulphur, quæ continuò per hepatis ſubſtantiam filtratur, atque eſt etiam inflammabilis in pluribus corporibus, ſulphureas arguit ſubſtantias ſeu particulas: Spiritus animales per corticem cerebri filtrati de quorum exiſtentia nemo dubitat, materiam ex qua generantur, ſubtilem, mobilem, & ſpirituoſam denotant; urina verò, ſudor, lachrymæ, imo ipſa ſanguinis liquiditas aquam ſeu phlegma ſanguinis deſignant. Craſſities demùm ſeu coagulatio ſanguinis extracti, imò etiam ex ipſo intra corpus geniti calculi & lapides, terreſtres ejus indicant particulas, uno verbo cum ex iis conſtemus omnes quibus nutrimur, ſpirituoſa, ſulphurea, ſalſa, aquea, terrena alimenta quibus indifferenter veſcimur, non poſſunt niſi chylum ſimilibus conſtantem principiis quamquam minus craſſis generare, unde ſanguis deinde prædictis conſtans partibus producatur. Præterea chylus qui continuò in ſanguinem appellit ad ſanguinis reſarciendas jacturas, qui ipſe ex variis & diverſæ figuræ particulis ipſi maſſæ ſanguineæ ſatis improportionatis conſtituitur, atque etiam lympha, quæ è glandulis ubi ſecreta eſt, iterum in ſanguinem advehitur, quæque acido referta eſt, cùm mercurium extinguant, non parum concurrunt ad fovendam, conſervandamque materialem in humani corporis humoribus fermentationem. Chylus quidem quatenus, ut jam jam innuimus, ipſi ſanguini cui ſenſim & guttatim in ſubclavia vena affunditur non totaliter homogeneus eſt, ſicque dum una cum ipſo per cor & vaſa ſanguinea circulatur ob partium ſuarum irregularium, improportionatarum, immiſcibilium aliquo modo heterogeneitatem, fermentationem in maſſa excitat ex qua ipſius in ſanguinem mutatio ſubſequatur, & propter ejuſdem chyli utpote ſulphurei & pinguis à ſale acri ſanguinis diſſolutionem, coloris albi & lactei in rubrum tranſmutatio, lympha verò quatenus acido referta alkalinæ bili quæ ſemper in ſanguine hoſpitatur contraria eſt, & ut ipſum veluti acidum ad alkali ſe habet, effectum proinde ſimilem ſeu motum fermentativum producere apta. Quantùm autem chylus maſſæ ſanguineæ confuſus fermentationem illius augere & promovere idoneus ſit, patet præprimis ex calore corporis aucto, pulſuque elevato, & vehementi facto atque etiam paululum accelerato, duabus aut tribus à paſtu horis, quod tempus præcisè eſt quo chyli diſtributio fit, ejuſque à venis lacteis, receptaculo Pecquetiano, ductuque thoracico in ſanguinem inſtillatio.

Fermentationi verò illius ſanguinis quæ ſecundùm naturam dicitur, quequæ ex mutua principiorum variorum ſanguinis lucta, mutuoque occurſu particularum diverſæ naturæ, tum ſanguinis, ipſiuſque tum chyli, tum lymphæ excitari

tari ſolet, non parum cunducunt, ut in omnibus aliis fermenteſcentibus corporibus prædominantes, in ipſo ſpirituoſæ atque ſulphureæ partes illæ, ſiquidem magis ad motum diſpoſitæ, dum ſemel à materiæ ſubtilis ingreſſu in motum conſtitutæ ſunt, juvant plurimùm ad alias ut de fermentatione dictum eſt in genere craſſiores exagitandas, attenuandas, atque ſubtiliandas, atque hinc eſt quòd tenuis, vividus & qui ſpiritibus & ſulphure tenuiori turget ſanguis, ut in calidioribus fervidioribuſque temperamentis accidit, multò magis fermentetur, minùs verò ubi phlegma, terra, principia paſſiva dicta, dominium ſupra activa obtinent, eaque aut nimis intricant aut diluunt; hinc quoque eſt quòd in omni febre ſulphurearum ſanguinis particularum exaltatio ſemper accuſetur, utpote quæ calorem febrilem corpori præ aliis omnibus conciliare aptæ natæ ſunt. Quæ itaque fermentatio naturalis eſt ſanorum propria dicitur, dum æquabilis & moderata eſt, ob cauſas jam ſatis fusè recenſitas; præternaturalis & morboſa dici debet non ſolùm dum minus lentiuſque & ſegnius fit, unde ortum habent morbi frigidi, obſtructiones, cachexiæ, chloroſis, melancholia &c. verùm etiamſi dum eadem vehementiùs, intenſiùs & cum majori integrantium ſanguinis partium exagitatione peragitur, unde omnis generis febres deducendæ videntur, ita ut fermentatio febrilis ab ea quæ ſecundum naturam fit, non alio modo differat, niſi ſecundum magis & minus, cauſaſque eaſdem magis aut minùs intenſas agnoſcat.

Ad febrem ergo quandoquidem ſe noſter iterum convertit ſermo, jam exponenda veniunt ſingula illius definitionem exponentia verba. Dicitur primò febris, motus inordinatus & expanſivus humorum, propterea quod talis motus præternaturalis eſt & verè fermentativus, cùm omnia paria habeat cum aliis aliorum corporum fermentationibus, & hoc tenet vicem generis. In definitione additur, motum illum permanentem eſſe, hoc eſt una ad minimum aut altera die durantem, ut diſtinguatur a motu illo ſanguinis intenſiori, qui excitatur conſequenter ad curſum aut alia valida exercitia, ex quo corporis incaleſcentia & ſudor plerumque ſequuntur; neque enim æſtus ille & ſanguinis agitatio febrilis aut morboſa eſt, quia de ratione morbi, ſecundùm Pathologicos, eſt ut in corpore permaneat; nec citò tranſeat. Secundò dicitur febris pulſum ſupra ſtatum naturale accelerare & immutare, & hoc experientia quotidiana confirmatur qua compertum eſt nullum eſſe febricitantem, in quo pulſus frequentior non ſit, imò etiam & plerumque alio modo immutatus, dum nempe vehementior, eſt, magis elevatus, inæqualis, intermittens, cujus ratio petitur à mutata, per immodicam fermentationem ſanguinis conſtitutione, ejuſque particulis magis & magis ſolutis & attenuatis, atque etiam ſpiritibus animalibus mobilioribus magis factis, quæ omnia ad accelerandam cordis ſyſtolem multum contribuunt atque etiam vehementiorem efficiendam, ſanguis enim & ſpiritus animales conſtrictionis cordis cauſæ ſicut & aliorum muſculorum veræ ſtatuuntur. Tertiò & ultimò aſſeritur in definitione febris, ipſam calorem in toto corpore aut in præcipuis ejus partibus excedentem excitare, ut ſub hac generica definitione contineantur febres cujuſcumque ſpeciei illæ ſint, in quibus totum corpus incaleſcit & præprimis quæ lipiriæ, horrificæ, aut algidæ dicuntur, in quibus quamvis calor intendatur in præcordiis & magnis vaſis, ineſt tamen frigoris & horroris ſenſus in habitu corporis aut extremis partibus, quod procedit ſæpiùs ex ſeroſitatum ſalinarum in membranas muſculorum exudatione, quæ pungendo leniter frigoris ſenſum afferunt; adduntur etiam & hæc ultima verba ut diſtinguatur febrilis ſtatus à pleriſque aliis corporis conſtitutionibus, in quibus pulſus acceleratur, & tamen febriles non ſunt, ut in chloroſi, cachexia laborantibus, moribundis &c. accidit, in quibus cor idcircò frequentius pulſat, quia leviter tantùm

tùm contrahitur propter ſpirituum & ſanguinis vitium, ſicque brevius ſpatium percurrit. Non eſt hìc ut immoremur in examinanda à Veteribus tradita febris definitione quam dicebant *calorem præternaturalem primariò in corde accenſum & inde per arterias in totum corpus diſtributum*; ſufficit enim dicere eam adæquatam non eſſe nec exactam, claram &c. imò ipſam potiùs explicare effectus febris quàm ejuſdem naturam ſeu quod primò in illa concipitur. Secundò in hoc etiam erravere Veteres quòd putarent in tantùm febrem eſſe morbum, in quantum cordi utpote veræ parti viventi communicaretur, credebant ſiquidem ſanguinem neque vivere, nec partem corporis eſſe, quod tamen falſiſſimum eſſe & gratis dictum vel ipſis compertum eſt Medicinæ tyronibus.

Ex tradita à nobis febris definitione, hærere non debemus in proprio illius & immediato ſubjecto, quod nullum aliud eſſe poteſt quàm ipſa maſſa ſanguinis ſeu humores in vaſis ſanguineis circulantes, qui fermentationis capaces ſunt, undè colligitur quantum à vero aberrarint Antiqui febris ephemeræ ſeu diariæ ſedem in ſolis ſanguinis ſpiritibus, immutata reliqua maſſa, calorem præternaturalem conſtituentes.

Quaſi partes ſolidæ calorem in ſe primò auctum humoribus & ſanguini concilare poſſent, cùm calor tum naturalis tum præternaturalis à duplici ſanguinis motu circulari ſcilicet & fermentativo dependeat.

In tradenda febrium diviſione quæ multiplex eſt, diverſa à quamplurimis via tenetur, tum Veteribus tum Neoricis.

Alii primò dividunt in continuas & intermittentes; alii in diariam, putridam, & hecticam, alii in imputres, putridas & peſtilentes, alii alio modo; nos verò ſimpliciorem ſervantes methodum, nec diviſiones prædictorum authorum quæ apud ipſos videri poſſunt ſequentes, febres dividemus, primò in eſſentialem & ſymptomaticam: eſſentialis illa eſt cujus cauſa primariò in ſanguine continetur, nec ab ullo alio corporis affectu aut affecta parte dependet. Symptomatica verò ſic dicta, ex eo quòd alterius affectus ſymptoma ſit, cauſam in ſanguine primariò genitam non agnoſcit, ſed à parte aliqua primariò affecta mutuatam & ſanguini transfuſam.

Primi generis eſt febris ardens, maligna, febres continuæ & intermittentes, in quibus ſanguis per cauſam in ſinu ſuo primò genitam efferveſcit &c.

Febris autem quæ inflammationes & ulcera partium ſubſequitur, in qua quia miaſmata ſanguini heterogenea vel à parte inflammata, vel ab ulcere circulanti maſſæ ſanguineæ communicantur, quæ in ipſa fermentationem concitant præternaturalem, non primaria & eſſentialis dici poteſt febris, ſed ſecundaria & ſymptomatica. Eſſentialis febris quæ talis dicitur ob cauſam ejus primariò in ſanguine genitam, nec ab aliqua affecta parte mutuatam, ſubdividitur adhuc in continuam & intermittentem. Continua dicitur dum a primaria invaſione ægrum non deſerit, donec eliminata per ſudores vel per alias vias cauſa morbifica, partibus nempe heterogeneis in ſanguine contentis, vel novam conſtitutionem per ſubactionem ejuſdem materiæ acquirendo movendo ſanguini febrilique fermentationi non ita idoneæ evadant; unde deſinat immodica ſanguinis agitatio, quæ iterum ſtato tempore & conſtanter non recurrit.

Intermittens verò dicitur dum non continuata cauſæ morbificæ in ſanginem actione ægrum affligit, verum dum eundem quaſi repetitis vicibus corripit & per intervalla; ita ut modò cum febre, modò febris expers deprehendatur ægrotans; & quòd febris continua per unum extenſum continuatumque paroxyſmum præſtat, partium nempe heterogenearum ſegregationem aut ſubactionem; ipſa per plures ſtato plerumque tempore & conſtanter recurrentes paroxyſmos moliatur. Continua febris modò imputris eſt modò putrida, cujus diviſionis expers eſt intermittens quæ ſemper cum putredine conjungitur: per putredinem verò hìc cum ſanioribus Medicis

dicis intelligimus laxatam humorum compagem seu principiorum sanguinis constitutivorum à se invicem separationem ratione cujus sanguinis textura, plus minùs solvitur, & partes præcipuè avolant.

Imputris itaque dicitur continua febris, cum febrilis humorum fermentatio principiorum unionem mixtionemque non ita sensibiliter laxat, ut inde in sua textura valdè dissolvatur sanguis, neque tam imputris nomen hìc in rigore sumendum est, ita ut nulla omninò adveniat sanguini solutio principiorumque separatio, hoc enim in immodica massæ sanguineæ fermentatione impossibile est, illa verò imputris febris vel una tantum die perdurat & ephemera dicitur simpliciter, desumpto nomine ab ephemero animali, quod uno tantum die vivere creditur; vel ad 2. & 3. diem extenditur, tuncque ephemera seu diaria extensa nuncupatur à Veteribus, synochus imputris. Putris è contrà vocatur febris continua quando vel satis valida est humorum in vasis sanguineis præter modum agitatorum effervescentia, vel satis durans, ut inde notabilis sanguini adveniat tum præcipuarum partium jactura, tum texturæ suæ solutio, tum principiorum disjunctio & separatio, eaque vel acuta est citò sua tempora percurrens, ob interiorem humorum fermentativum motum principiorumque activorum copiam; vel chronica & lenta ob segnius factam, quamvis præternaturalem fermentationem; vel penuriam spirituosarum sulphurearumque partium, & tandem hectica quæ de genere putridarum censeri debet, quando habitualis facta est, ita ut sanguis in tota sua crasi vitiatus partes nutrire non amplius aptus sit, unde atrophia & marcor hecticam consequens desumi debet, ratione etiam majoris aut minoris partium præcipuarum jacturæ, sanguinis dissolutionis principiorumque separationis, alia febris putrida simpliciter dicitur, alia maligna in qua effatu digna texturæ sanguinis solutio est, alia denique pestilentialis dum tanta est solutio & principiorum separatio, ut major esse non possit. Putridam simpliciter dictam quæ cum aliquali sanguinis dissolutione semper est conjuncta. Veteres pro vario humoris in corpore prædominio in bilioſam, pituitosam, melancholicam & sanguineam dividere voluerunt. Neoterici quoque nonnulli in Bilioſam, sanguineam, lymphaticam &c. sed illæ divisiones nullius aut parvi sunt momenti; neque enim credendum est cum Antiquis modò solam pituitam, modò solam bilem, melancholiam &c. putrescere posse, ratione cujus putredinis peculiaris propter inde ortam febrem à prædictis humoribus, febris nomen suum sortiatur; nec cùm Neotericis solùm lympham aut bilem fermentescere aut fermentationis causam esse, hoc enim ad totum pertinet sanguinem ac proinde omnes hujus generis febres sanguineæ potius dici deberent, utpotè ad massam integram, non ad lympham aut bilem solùm pertinentes.

Febris putrida continua præter jam relatas differentias; alias quoque non minùs notabiles patitur, interdum enim simplex dicitur; hoc est unica eaque ad plures dies extensa accessione citra exacerbationem atque remissionem terminari solita, quæ ab Antiquis, acmastica seu homotonos dicitur, dum à principio ad finem æqualiter ægrum excruciat affligitque, humoresque in eodem putredinis gradu detinet. Epacmastica dum paulatim augetur, aucta per gradus successivos humorum putredine; paracmastica demùm, dùm paulatim decrescit, excitatus primò putredinis gradus in humoribus sensim sine sensu corrigitur, dissipatis, evacuatis, aut subactis particulis heterogeneis & fermentativis putredinem & febrem producentibus; Interdum autem composita vocatur febris continua putrida; ex eo quòd præter continuitatem exacerbationes periodicas habet atque remissiones, sicque ex continua & intermittente febre veluti mixta videatur, quæ exacerbationes prout singulis alternisve recurrunt diebus aut 4. 5. quoque die &c. quotidianæ, continuæ, tertianæ, quartanæ, quintanæ, nominari consueverunt; quòd si exacerbationes plu-

res

res ſint ſingulis, alternis, quarto, quinto quoque die &c. inde ad hæc magis compoſita febris continua emergit, conſtans ſcilicet ex continua ſimplici, & duplici tertiana, duplici, aut triplici quartana, prout exacerbationes variè mutuò ſibi reſpondent: ſi verò propter continuatam quæ dicitur ſimplex, propter quotidianam exacerbationem, quæ quotidiana continua vocatur, quaſi ex ſimplici quotidiana, & continua intermittente conſtans, adhuc tertio quoque die novam exacerbationem patiatur, febriſque paroxyſmum tertianæ febris intermittentis imitantem, & ſibi correſpondentem, tunc hemitritæus nuncupatur, hoc eſt febris ex ſimplici continua, & quotidiana atque tertiana intermittentibus compoſita, de qua veteres tam frequentem faciunt mentionem. Propoſitis variis continuæ, & putridæ febris ſpeciebus, intermittentis afferamus diviſiones. Intermittens itaque febris alia ordinata dicitur, & typum ſervans, quæ certis ac determinatis vicibus, imò & plerumque horis repetit alia inordinata, ſeu vaga, atque erratica, cujus paroxyſmi nullum in recurſu dierum ordinem ſervant, nec ſibi mutuò correſpondent, etſi illi paroxyſmi ſibi mutuò, & immediatè ſuccedant, vel antequam primus terminatur ſecundus incipiat, ſubintrans appellatur febris. Ordinata febris, intermittens, vel ſimplex eſt, vel compoſita; ſimplex dicitur quando febris ſemel tantum in die ægrum prehendit, & deſerit, atque pro diverſitate illius diei quotidiana, vel ſingulus eſt, vel alternus, quaternus, quintus, ſextus &c. febris intermittens quotidiana dicitur, tertiana, quartana, quintana, ſextana &c. nomine deſumpto à diebus recurſus, non verò ut faciebant Antiqui, à varietate humorum pituitæ ſcilicet, bilis, melancholiæ, putabant enim pituitæ putredinem quotidianas producere, bilis tertianas, melancholiæ quartanas, idque ut quiſque facile colligere poteſt, nulla ratione, & nullo fundamento. Quomodò enim ex hac ipſa hypotheſi, quintanas, ſextanas, & ſeptinas explicaſſent febres quatuor tantum humores in corpore ſtatuentes; itaque intermittentium differentia potius accipienda eſt à recurſu febrium paroxyſmi in variis diebus quàm in alio quocunque capite, nec video cur tertiana duplex Antiquorum quæ ſingulis diebus recurrebat in illorum ſententia, item & quartana triplex quæ eundem ſervabat typum, inter quotidianas reponi non debeant. Cùm ipſi aliundè Antiqui intermittentes ſimplices quartanas quarto quoque die, quotidianas ſingulo, & tertianas tertio recurrere vellent, ut quintanas quinto, & ſextanas ſexto, ex quo recurſu appellationes habent. Compoſita nuncupatur febris intermittens, quando pluries in uno die redit paroxyſmus, ſcilicet bis, aut ter, qui dies prout varius eſt, hoc eſt, ſingulus, alternus, quaternus, &c. duplex triplexve quotidiana, quartana, tertiana appellatur; atque hæ ſunt omnes eſſentialis febris differentiæ, conſequenter ad quas afferendæ veniunt ſymptomaticæ febris diviſiones.

Symptomatica ergo febris, ut de eſſentiali dictum eſt, alia imputris eſt, quæ ſcilicet mixtionem principiorum in ſanguine unionemque non valdè laxat, nec ipſius texturam ſolvit notabiliter, ut accidit in iis febribus quæ colicum dolorem, cephalalgiam, dyſenteriam, dolorem dentium &c. conſequuntur, in quibus conſequenter ad inordinatum ſpirituum à dolore motum, propter frequentiorem cordis ſyſtolem exagitatur variè maſſa ſanguinis, & partes heterogeneæ in ſanguine ſemper plus minùs redundantes in actum deducuntur. Alia verò putris eſt, & ſanguinem magis atterens principiorumque unionem magis laxans, ut accidit in febribus inflammationes variarum partium, ulcera, aut abſceſſus conſequentibus, in quibus quia emanant à parte inflammata, aut ulcerata corpuſcula purulenta, calida, aut fermentativa, quæ ſanguini per prædictam partem circulanti commiſcentur, maxima quæ maſſæ ſanguineæ contraria

ſunt

ſunt heterogeneitate ipſius texturam per fermentationem magis ſolvunt, unde putredo prima ſanguinis: ſymptomatica febris primi generis ſeu quæ imputris eſt, alia ephemera dicitur uno tantum aut altero die durans, ob minorem ſanguinis ad præternaturalem fermentativum motum diſpoſitionem, alia plurimorum dierum ob contrariam rationem; ſecundi vero generis nempe putridæ febris ſymptomaticæ; alia acuta & brevis eſt ut febris omnis inflammationem ſubſequens, quæ citò ſua tempora percurrit & quidem plerumque cum periculo; alia longa & chronica quæ ad plures menſes extenditur, ut febres lentæ & hecticæ, ulcera partium internarum aut abſceſſus comitantes, in quibus ob transfuſa in ſanguinem & ſine ſenſu miaſmata purulenta, ſenſimque & lentè ſolvitur ſanguinis maſſa, nec ita intensè efferveſcit, ut in aliis pleriſque in quibus major eſt copia particularum heterogenearum, aut in ſanguine genitarum aut ipſi communicatarum.

Nec velim credatur quòd dum dico dari febres ſymptomaticas quæ inflammationes comitantur, ipſæ ſemper ſecundariæ ſint, & poſt inflammationem factam genitæ, nonnunquam enim primariæ ſunt & eſſentiales, & in illo caſu inflammatio earum ſymptoma eſt, quatenus per maximam in vaſi ſanguinis fermentationem vaſa in aliqua parte nimiùm aperiantur aut rumpantur, unde decubitus humorum ſeu expanſio extravaſatio pro varia partium diſpoſitione, ac proinde inflammatio ſubſequitur. Inflammatoriæ ſymptomaticæ febres quæ ſcilicet inflammationes, ut jam dictum eſt conſequuntur, alias minùs notabiles pati poſſunt differentias; prout enim inflammatio à variè conſtituto excitatur ſanguine, hoc eſt magis aut minùs tenui, alia eryſipelatodes, phlegmonodes alia dicitur; quæ verò ulcus aut abſceſſum comitatur febri humorum fermentatio meritò purulenta nuncupari poteſt, quæ ſcilicet excitatur ad conſequenter corruptam, & putrefactam à gangræna & ſphacelo aliquam corpori partem, ut plerumque accidit propter communicata ſanguini corrupta miaſmata, quæ febris ſpecies putredinoſæ & gangrænatæ meretur nomen. Præter jam numeratas febris tum eſſentialis tum ſymptomaticæ, quæ magis præcipuæ ſunt & notatu dignæ, differentias, aliæ earumdem minùs præcipuæ & magis accidentales vulgò afferuntur ab auctoribus diviſiones, deſumptæ ex variis ſymptomatis aut accidentibus, quaſi propriis ipſis ſupervenire ſolitis, ſic ratione caloris deurentis & ſitis inextinguibilis quæ febri aliquando conjungitur, febris ardentis ſeu cauſonis nomen habet; ratione caloris intrinſecùs perſentiti dum externæ partes frigoris ſenſum percipiunt, lipiria vocatur. Ratione macularum rubrarum aut exanthematum in cute apparentium purpurata, petechialis; ratione horrorum rigorumque frequentium, aut caloris & frigoris horrifica; ratione ſyncopum frequentiùs advenientium, ſyncopalis; ratione vermium cum febre conjunctorum & in inteſtinis hoſpitantium, verminoſa; ratione lactis in mammis accumulati, quæ accumulatio quandoque febrem habet comitem, lactea; ratione catarri aliorumque morborum & ſymptomatum, arthritica, rheumatica &c. conjuncta catarrhalis; ratione aliorum ſymptomatum convulſiva, vomitoria, torminalis, famelica, inſana &c. quæ videri poſſunt apud Sylvium, ratione inquietudinum, & vomitus, aſſodes; ratione ſudorum continuorum, elodes, & ſic de cæteris ratione tandem frigoris & caloris in eadem parte perſentiti, epiala vocari ſolet febris.

Traditis quantum exactè fieri potuit febrium variis differentiis, reſtat ut cauſas earundem pari ſedulitate inquiramus, quod tamen nec de omnibus ſigillatim febris ſpeciebus æqualiter fieri poteſt, propterea quod Tractatus iſte in longum nimis protraheretur & in volumen integrum excreſceret; ſed præcipuarum tantùm & magis notabilium ejus differentiarum, undè deindè minùs præcipuarum cauſæ facilè erui & colligi poterunt; ac primò quidem notandum

venit ad majorem rei elucidationem, circa cauſas febrium, diverſas eſſe Veterum & Neotericorum ſententias, quibus examinatis videbimus, an priorum an poſteriorum hypotheſi ſubſcribere debeamus. Antiqui igitur, ut ab ephemera initium fiat, quæ eſt prima ſpecies febris ab ipſis aſſignata, putaverunt eandem à ſpiritibus ſanguinis agitatis &c. hecticam autem febrem derivant ex inſito calore primo in partibus ſolidis aucto qui ab ipſis in ſanguinem illas perluentem tranſmittitur, ita ut &c.

Neoterici in afferendis febrium tum continuarum tum intermittentium, tum putridarum, tum imputrium &c. cauſis aliam omnino viam tenuerunt, rejectis namque qualitatibus omnibus malignis & occultis aſtrorum motu, quadruplici humore alibili, & inſuper admiſſo ſanguinis ex arteriis in venas per totum corpus motu circulari, qui cordis per vices contracti & relaxati beneficio fit, vel ſolùm ſanguinem ſeu cruorem ex ſuis jam ſupradictis principiis conſtantem & potiſſimùm magis activis redundantem vel recrementis ex ſuo ſinu ſecernendis, tanquam heterogeneis turgentem, pro cauſa omnium febrium conſtituunt, ſuccos quoſdam de novo ab Anatomicis repertos & in ſanguinem vel mediatè vel immediatè referri ſolitos, quales ſunt chylus, lympha & ſuccus pancreatis; ſed quia inter jam dictos Neotericos primas tenent Vvilliſius & Sylvius Deleboe, utraque tum Vvilliſii, tum Sylvii hypotheſis nec omnino rejicienda nec omnino admittenda videtur, ita ut aliquid veriſimilis habeat & aliquid improbabilis, nam quòd ſpectat ad ſuccum pancreat. Sylvii in lateralibus pancreatis ductibus à pituita viſcida retentum, ad febres intermittentes cauſandas, & per intervalla in duodenum fluentem & pituitam certis intervallis perforantem, hoc ſufficienter refutatur, quòd merè gratis dicatur & nullam veritatis ſpeciem præ ſe ferat. Lympham verò & bilem quæ ab eodem auctore cauſæ febrium continuarum reputantur nemo ſanioris doctrinæ compos rejicere debet, utpote quòd ex una parte lymphæa acido abundet, bilis ſale lixivioſo ac proindè ratione talis heterogeneitatis maximè ſit aptus uterque ſuccus in ſummo alterutrius aut utriuſque exaltationis gradu fermentationem febrilem & præter naturam ſanguini inducere, ut in gradu remiſſo calorem nativum fovere & naturalem fermentativum ſanguinis motum conſervare. Similiter ſpirituum & ſulphuris efferatio à Vvilliſio pro cauſa immediata febrium continuarum allata nequaquam admitti debet; quamquam enim non negemus exaltata eſſe plerumque in febribus duo illa principia, quæ proindè utpote faciliùs mobilia juvent ſanguinem ad motum præternaturalem ſuſcipiendum, motus tamen ille fermentativus & præternaturalis potiori jure tribuitur partium ſeu molecularum ſanguinem componentium improportioni & heterogeneitati, aut ſucci lymphatici, qui continuò in ſanguinem è glandulis conglobatis fertur irregularitati & immiſcibilitati, ratione cujus ob particularum miſcendarum, nec tamen facilè miſcibilium, diverſam & irregularem figuram, copioſum, ut in aliis efferveſcentiæ ſpeciebus accidit, promovent materiæ ſubtilis ingreſſum, ſanguinis remorantes particulas huc illuc commoventis, & expandentis, eò magis quòd quædam ſunt febres, ut hectica inveterata, in quibus ſpiritus non ita præpollent, & quia inſuper non poteſt explicari, quomodo ad affuſionem aut mixtionem alicujus heterogenei in ſanguine & quocumque alio liquore, ſubitò ſpiritus & ſulphur efferentur & avolare nitantur, ut vult Vvilliſius, ad excitandam efferveſcentiam aut fermentationem; cur enim ſi in ſufficienti copia & debito exaltationis gradu ſunt, ante adventum corporis heterogenei non fermentantur, ut accidit poſt heterogenei corporis admixtionem & confuſionem. Succus verò nutritius ſeu chylus, aut in ſeipſo, ob fermenti ſtomachici aut quodcumque aliud chyloſeos vitium, minus perfectus, vel in ſanguinem plus

minus

minus degenerem, hoc eſt à ſolitis partium ſuarum figura & ſitu deſciſcentem, transfuſus, dum à dicto auctore intermittentium variarum febrium cauſa ſtatuitur illud non ineptè, imò nec ſine fundamento aſſeri certiſſimum eſt; ſi enim continuus chyli naturaliter ſe habentis in ſanguinem bene conſtitutum adventus capax ſit, de quo nemo hodie dubitat, benignam & naturalem in maſſa ſanguinea fermentationem excitare, ut patet ex pulſu aliquibus horis poſt paſtum elevato, viribus refocillatis, calore aucto, atque ſpirituum redintegrato motu; certè idem à ſtatu naturali deflectens, hoc eſt crudior & minùs ſubactus, aut ſanguinem inveniens, ut jam dictum eſt, cujus diatheſis mutata ſit in acidam, auſteram, acrem, aut aliam qualemcumque, per prædominantia ſcilicet varia aut variè combinata principia, perverſamque partium ejus ſeu molecularum figuram & diſpoſitionem, valet naturali majorem in ſanguine fermentationem, ac proinde febrilem, excitare, caloremque proinde intenſiorem toti corpori conciliare, idque (ut ad ipſam fermentationis cauſam deveniamus) ratione majoris liquorum miſcendorum, ſeu chyli & ſanguinis improportionis & heterogeneitatis, quæ copioſiorem promovet materiæ æthereæ ingreſſum, inſenſiles partes multo magis agitantis & commoventis. Hæc de intermittentium cauſa hypotheſis nititur ſuper hæmatoſim ſeu ſanguificationem, quæ fit per diſſolutas à ſale acri, & lixivioſo ſanguinis, pingues & ſulphureas chyli advenientis particulas, atque à calore ex albo in rubrum mutatas; pinguia enim & ſulphurea non niſi ab acribus diſſolvi experimenta probante chymica, atque eadem dum primum ſoluta ſunt, rubellum inducere calorem; talis autem chyli particularum diſſolutio quæ fit in ſtatu naturali lentè & ſine magna partium ſanguinis integrantium commotione, idque ratione mediocris chyli in ſanguine recepti & ſanguinis cum chylo proportione ſed ratione heterogeneitatis illius multò vehementiùs peragitur, hoc eſt cum majori particularum chyli & ſanguinis miſcendarum tumultu & agitatione, cum ea quæ tum chylo tum ſanguinis eſſe debet particularum proportio & figura deeſt, & ab alterutro aut utroque liquore deperdita eſt, tunc enim propter majorem miſcendorum improportionem, dum invicem ſibi occurrunt, efferveſcentiam naturali intenſiorem ſubeunt; imò nec chyli minus perfecti, aut in ſanguinem minùs benè conſtitutum advenientis ſubactio, & in ſanguinem commutatio debite peragi atque abſolvi poteſt, defectu proportionis, quæ ſemper inter agens & patiens requiritur, quo fit ut ex tota maſſa chylacea, in ſanguinem poſt digeſtionis tempus adveniente, ſuperſint ſemper nonnullæ partes quæ vim ſanguinis eludunt & ratione ſuæ cruditatis, craſſitiei &c. hæmatoſim ſubire non poſſunt, quæ deinde in maſſa ſanguinea veluti tot corpuſcula heterogenea reſtagnantes, quamvis in minori copia, utpotè à ſanguine intricatæ, paroxyſmum febrilem inducere non valeant, valent tamen in certa ſui accumulatione, liquorum adinſtar, qui nonniſi in certa copia mixti fermenteſcunt. Quæ exaltatio & accumulatio partium chylacearum in ſanguine nonniſi poſt plures ventriculi coctiones pluresve & hæmatoſes & digeſtiones fit, promptiùs tamen aut tardiùs ad faciendas quotidianas, tertianas, aut quartanas prout majus aut minus eſt primæ coctionis vitium magiſque aut minùs deflectit ſanguis à ſua craſi naturali. Ad conſtruendam itaque probabilem quantum fieri poteſt circa febrium continuarum & intermittentium cauſas hypotheſim, ita confundenda eſt Sylvii & Vvilliſii ſententia, ut ex duplici una tantùm fiat, ita ut quod de continuis aſſerit Sylvius, cùm eo quod Vvilliſius de intermittentibus dicit conjungendum videatur, rejiciendum verò ut jam ſupra dictum eſt, ſeu potiùs factum, quod primus de intermittentium, ſecundus de continuarum cauſis afferere voluit, in cujus hypotheſeos jam fuſiùs expoſitæ confirmationem ſufficit dicere

quòd omnia phænomena, tum in continuis tum in intermittentibus apparentia multò melius indè quàm ex quacunque alia deducuntur, nam quòd ſpectat ad febris continuitatem, cùm bilis ſemper adſit in ſanguine, & lympha etiam continuò à glandulis conglobatis ad ſanguinem deferatur, certè peccante alterutro, aut utroque ſucco, hoc eſt lympha acidiori exiſtente, aut alterius magis improportionatæ figuræ, & bile acriori & magis lixiva, intenſior quàm quæ naturaliter fit, indè humorum fermentatio ac proinde febrilis, continua tamen ob continuatam cauſæ præſentiam exoriri debet, eò magis quòd dicti liquores in ſua quantitatis & qualitatis mediocritate, fermentationis humorum naturalis, quæ ſanitatem conſtituit, cauſa à ſanioribus hujus ſæculi Medicis reputantur ac proindè præternaturalis cauſæ interiores etiam agnoſcuntur.

Quòd verò attinet ad apyrexiam, ſeu intermiſſionem febrium intermittentium dictarum, ea ex jam adſtructa Vvilliſii hypotheſi, ſeu particulis chylaceis in maſſa ſanguinis certis temporibus accumulatis, & exaltatis, valdè probabiliter deducitur, quæ intermiſſiones, ſicut & febriles paroxyſmi multis modis variare poſſunt, pro vario & multiplici chyli in ſanguinem convertendi vitio, & cruditate, variaque jam ſæpiùs allata ſanguinis diatheſi & conſtitutione; ſicut pariter varietas quæ in continuis reperitur febribus, ex varia lymphæ & bilis ſeorſim aut collectivè peccantium exaltatione, & qualitate, ſanguineque inde magis aut minùs fuſo, putrefacto, aut depravato deſumitur, propter ſcilicet alias rationes intermittentium jam ſtatutam cum Vvilliſio cauſam confirmantes; primò quòd ab inedia & à cibo adſtinentia plerumque ſanantur intermittentes febres, à cibo ſæpiùs aſſumpto & erratis in victu accelerentur & frequentiores paroxyſmi, ab eo verò tardiùs & minùs frequenter ingeſto retardentur, & rariores ſint, atque etiam (quod notatu dignum eſt) intermittentium curatio per vomitoria multò meliùs quàm per alia remedia ſuccedat, quæ omnia non parùm validum præbent argumentum, jam dictas febres in præmæ coctionis officina & chyloſo ſucco nutritio repetendas eſſe.

Dum verò continuas febres ex lympha & bile utpote principiis ſanguinis fermentativum foventibus motum; unà cùm Sylvio derivamus, ratione quorum heterogeneitas inter maſſam ſanguinis componentes particulas inducitur; hoc ſolùm intelligendum eſt de continuis eſſentialiter & primariò in ſanguine genitis non verò de ſymptomaticis & inflammationibus ulceribuſve internis ſupervenientibus, illæ enim habent cauſas ſatis evidentes unde peti poſſunt, miaſmata ſcilicet, ſeu corpuſcula ex parte phlogoſim patiente aut ulcerata emanantia, quia ſanguini per dictas partes circulanti communicantur, & quia ipſi heterogenea ſunt & magno plerumque motu donata ipſum diſponunt ad fermentationem præternaturalem ſuſcipiendam.

His in genere de continuis & intermittentibus febribus præmiſſis, videndum eſt ex jam adſtructa hypotheſi, multiformis febrium in particulari cohors unde probabiliter deſumatur, ac primo quidem ut à ſimplicibus continuis ordiamur. Ephemera ſeu unius ſeu plurium dierum videtur pro cauſa agnoſcere bilem à variis cauſis procatarcticis, inſolatione puta, labore, potu vini &c. paulo ſupra ſtatum naturalem acriorem factam, quæ proinde non fermentationem intenſam, & diuturnam, ſed brevem & minorem una cum lympha in ſanguine producere poſſit, ac proinde minorem principiorum ejus conſtitutivorum ſeparationem, minoremque putredinem.

Putrida febris bilem ſimul & lympham multo magis quàm in ephemera peccantes, hoc eſt in majori exaltationis copia & gradu agnoſcit pro cauſa; hinc enim cùm major multò & diuturnior procedat humorum fermentatio; magis laxatur unio principiorum ſanguinem componentium, ac proinde major

putre-

putredo maſſæ ſanguineæ inducitur.

Lenta febris quæ de genere putridarum & quidem jam dictis cauſis magis tamen ſegnibus ortum ſuum atteſtatur, ſed inſuper ad ſui generationem requirit, ſanguinem ſpiritibus & ſulphure exhauſtum quorum utpote ad fermentationem majorem concurrentium defectu, ſanguis nonniſi remiſſè & ſegniter in ſtatu tamen præternaturali efferveſcere poteſt.

Hectica eſſentialis, quia à prædicta nihil aut parum differt, eundem habet generationis modum: ſymptomatica vero hectica, ſicut & lenta, ulcera partium internarum conſequens procedit ex particulis purulentis heterogeneis tamen maſſæ ſanguineæ continuo transfuſis, ipſique ob minorem ſui copiam efferveſcentiam tantum blandam concilianti-bus.

Maligna accerrimam & maximè lixivioſam bilem habet pro ſua cauſa, aut acria admodum corpuſcula ab aere aut contagio ſuſcepta in ſanguinem transfuſa, bilemque in acredine admodum exaltantia, ex quibus quia maximè diſſolvitur & atteritur ſanguis, huic ſymptomata emergunt maximè gravia, quæ talis febris ſpeciei peculiaria & appropriata ſunt.

Peſtilentialis, quia eſt veluti gradus ſupra malignam ab iiſdem ac maligna cauſis, intenſioribus tamen, dependent, ac proinde ſimilibus, gravioribus tamen ſtipatur ſymptomatis.

Ardens febris ſeu cauſos procedit à bile admodum oleoſa & acri cum lympha acida ſimul & viſcida vehementius efferveſcente, hinc quoque calor deurens ac proinde ſitis inextinguibilis procedere debent, propterea quod ſanguinis moleculæ multo craſſiores ſunt, ac proinde dum ſemel in motum febrilem aguntur, impreſſionem majorem faciunt atque calorem intenſiorem.

Lipiria originem trahit à bile oleoſiori, acriori tamen & lympha acidiori ſimul & tenuiori, quo fit ut dum in magnis vaſis intenſior exoritur fermentatio in extremitatibus capillarium, ſeu circa habitum corporis, lympha jam dicta acidior ſimul & tenuior præ ſui tenuitate exiliat & in partes membranoſas, panniculum nempe carnoſum ſeu membranam communem muſculorum impingat, ubi propter vellicationem frigoris ſenſum inducit; Vel ſi lipiria febris ſymptomatica ſit, inflammationes ventriculi, diaphragmatis aut præcordiorum conſequens, petitur tunc ex jam dictis corpuſculis ex inflammatione deciduis & ſanguini, cui heterogenea ſunt, communicatis, quæ fermentationem febrilem in magnis potiſſimum vaſis & circa partes affectas internas excitant, dum externa non ita incaleſcunt ob diſtantiam à parte inflammata, aut quia remiſſior eſt motus humorum in illis, aut quia lympha acidior prævalet, aut demum quia tracto ab inflammationibus internis in conſenſum corde, ſeu minùs benè ſyſtolem ſuam peragente, ſanguis non ita appellit ad partes externas ad illas calefaciendas.

Epiala & horrifica non valdè abſimiles diverſaſque cauſas agnoſcunt, hoc tamen peculiare habent ut lympha acidior bili oleoſæ & acri prædominetur, ratione cujus ſanguis dum in omnes partes circulatur, propter elapſum aut continuum aut ſæpiùs recurrentem præfatæ acidioris lymphæ, aut mixtus videatur caloris & frigoris ſenſus, aut horrores frequenter inducantur.

Elodes petitur à bilea acredine magis quàm oleoſitate peccante, ratione cujus totus ſanguis funditur in ſeroſitates, quæ per cutis glandulas evacuantur, concurrente calore febrili illas ſecedere faciente.

Verminoſa in putrida miaſmata ex inteſtinis ubi vermes generantur per venas lacteas in ſanguinem traſmiſſa tanquam in propriam cauſam refunditur.

Syncopialis eandem ferè ac maligna habet cauſam, ratione cujus depravato, & atritio totaliter ſanguine nec debitam materiam elaſticam cordi ſuppeditat, nec cerebro puram materiam aut debi-

tam ad ſpirittum generationem.

Et ſic de aliis omnibus minus præcipuis febrium continuarum ſimplicium differentiis ratiocinandum eſt, quorum diſcrimen, quod plerumque valdè notabile non eſt, petitur tantum ex variis accidentibus & ſymptomatis, ipſis ſupervenire ſolitis, vomitu nempe, delirio, anxietate, convulſione; & quæ deſumuntur ex materia morbifica, in ventriculum, caput & muſculos delata ex vario bilis aut lymphæ vitio, atque etiam, quod in primis notandum eſt in omnibus febrium ſpeciebus, ex diverſa ſanguinis conſtitutione, & diatheſi ex varia principiorum unione & exaltatione conſurgente, quæ mille modis variare poteſt, ac proinde multifarias etiam parere febres.

Jam quod attinet ad intermittentes quarum cauſam cum Vvilliſio in ſuccum nutritium aut variam ſanguinis depravationem refundimus, quotidiana, tertiana, quartana, ſimplices, aut triplices, erratica, item ſubintrans, quæ omnes accidentaliter tantum inter ſe diſſident; intermittentes omnes quæcumque ſunt nonniſi unicam febris ſpeciem conſtituere exiſtimant quidam, dum agnoſcunt omnes pro cauſa majus, aut minus in chyloſi vitium, majorem, aut minorem ſanguinis depravationem majoremque in ipſo, modò bilis lixivioſæ, modò acidæ lymphæ, modò utriuſque exaltationem, aut variorum principiorum, tum paſſivorum tum activorum prædominum, quæ omnia prout promptiorem vel tardiorem, copioſiorem, aut minus copioſiorem, frequentiùs aut rariùs advenientem particularum chyloſarum à ſanguine minus ſubactarum, & in ipſo tanquam aliquod heterogeneum reſtagnantium proventum, & accumulationem faciunt, frequentiores, aut rariores, ſæpiùs aut tardius recurrentes, longiores aut breviores inducant paroxyſmos febriles aut inordinatos, & modò anticipatos, modò retardatos, pro vario ſex rerum nonnaturalium uſu, ſuſpicandum tamen cauſam morbificam ſeu febrile fermentum magis craſſum & iners eſſe, atque etiam magis intricatum in quartanis, quintanis, ſextanis, magis verò activum, tenue & extricatum in quotidianis, tertianis, iiſque febribus quæ plures, & breviores inducunt paroxyſmos; hoc eſt lympham acidiorem ſanguini acidam, aut auſteram diatheſim inducentem peccare, & prædominari potiſſimùm in illis intermittentium ſpeciebus quæ raros, hoc eſt quarto, quinto ſexto quoque die recurrentes habent paroxyſmos, bilem verò acriorem, & ſupra ſtatum naturalem exaltatam præpollere, & prædominium obtinere in iis quæ frequentius & ſæpius recurrunt, & hoc experientiæ ſatis eſt conſentaneum; videmus enim eos qui temperamenti melancholici ſunt ſanguinemque habent acidum, craſſum, & auſterum magis quartanis, quintanis obnoxios eſſe febribus, eos verò qui ſunt temperamenti bilioſi, & acris, quotidianis, tertianis, aut ſæpius recurrentibus febribus potiſſimum eſſe propenſos; interim quoque, & minorem activitatem fermenti in febribus, quartanis, quintaniſve, quàm in quotidianis, tertianis probat præprimis paroxyſmorum duratio, quæ multò major eſt in prioribus, quàm in poſterioribus, cujus ratio eſt quia ita ſubito effectum ſuum præſtare non poteſt, tum ratione fermenti, utpotè quod non ita tenue & ſubtile eſt, tum ratione ſanguinis craſſioris multò magis renitentis.

Quoad paroxyſmos intermittentium qui hìc loci conſiderandi veniunt, ii non ſolum varietatem, ut jam dictum eſt in ſuo recurſu, frequentia, & numero patiuntur; verùm & eorum ſinguli multiformes ſunt diverſæ rationis, aliquando enim poſt frigus, & calorem nullus ſequitur ſudor, aliquando calor, & ſudor adſunt nullo præeunte frigore, aliquando frigus minus, & brevius eſt, calor verò intenſior, & diuturnior, aliquando vice verſa, ut plurimum tamen dum febris jam formata eſt, frigus primò deinde calor, & poſtea ſudor invadunt; frigus procedit

cedit tum ex particulis chylaceis minus ſubactis ac proinde acidioribus in ſanguine accumulatis, & unà cum ipſo per circulationem in partes corporis membranoſas, membranamque communem muſculorum delatis, atque per incipientem ſanguinis turgeſcentiam magis agitatis, & quaſi totidem aculeis arctius infixis, tum ex ſanguinis particulis acrioribus, aut acidis pro varia ejus diatheſi elabentibus per incipientem effervescentiam ex capillarium extremitatibus, & partes ſenſiles vellicantibus, quod frigus durat, aut ceſſat, aut interrumpitur pro varia partium chylacearum intricatione, aut extricatione, pro varia earum copia aut inæqualitate, atque pro varia ſanguinis conſtitutione, calor autem qui frigori ſuccedit petitur ex majori & intenſiori particularum maſſam ſanguineam conſtituentium agitatione ſequente, & effervescentia, quia eſſe non poteſt quin omnes corporis partes incaleſcant; quamvis enim experientia doceat dari motus fermentativos citra calorem in diſſolutione coralliorum, id tamen accidere non poteſt in liquore ſulphureo & pingui fermenteſcente qualis eſt ſanguis; ut annotatum eſt initio hujus tractatus, etiam procedere poteſt ex prædominante tunc temporis ſupra lympham bile, ſicut initio paroxyſmi frigus oritur ex prævalentibus ſupra ſulphureas, & bilioſas ſanguinis partes lympha aut particulis chyli crudioribus acidioribuſque; ſudor denique ortum habet, tum à maxima partium ſanguinis agitatione & motu, ratione cujus major ſeri copia promptius in glandulas miliares intercutaneas quæ ſunt ſudoris colatoria defertur, ut accidit in violentis & diuturnis exercitiis & per æſtatem, tum ex dicti ſanguinis conſequenter ad interiorem effervescentiam fuſione & liquatione, per quam ſerum ad ſeceſſum magis diſponitur, concurrente præſertim pororum cutis à calore ampliatione & dilatatione, tunc verò ceſſat paroxyſmus, propterea quòd per maximam particularum ſanguinis agitationem ſubigantur partes chylaceæ crudiores ſanguini heterogeneæ, & novum ſitum novamque figuram & diſpoſitionem acquirant partes ſanguinis integrantes, ſicque non amplius permittant immoderatum, ut ante materiæ ſubtilis ingreſſum, eaſdem perturbare & agitare ſolitum, aut quia præcipitantur aut in colatoria amandantur particulæ heterogeneæ, quibus ſecluſis aut non amplius mixtis cum ſanguine motus ejus febrilis ceſſare neceſſe eſt, ſudor autem ille, non ſecus ac calor, friguſque ipſum præcedentia mille modis variare poſſunt, hoc eſt modò ſudor abeſt cùm minor ſanguinis fuſio, aut nimia lymphæ viſciditas ſeroſi humoris ſeparationem impedit, modò magis, modò minus copioſus exiſtit, modò diutiùs, aut breviùs durat, prout cauſæ jam dictæ eum excitare aptæ intenſiores ſunt aut remiſſiores, ſuamque actionem vel celeriùs vel tardius exerunt. Quod dicimus de ſudore pariter dicendum de calore & frigore quæ vel abſunt, vel minora ſunt, vel diutius, breviuſque durant quatenus cauſæ jam eorum expoſitæ in vario ſunt exaltationis gradu & copia.

Expoſitis pro modulo continuarum, ſimplicium atque intermittentium febrium cauſis, jam tempus eſſet ut cauſas compoſitarum dictarum fusè proponeremus; ſed quia, ut ſuperius annotavimus, febres compoſitæ, hoc eſt illæ quæ præter continuitatem exacerbationes habent, & veluti periodicos paroxyſmos, ſingulo, alterno, quarto, quinto quoque die recurrentes, propter quos quotidianæ, continuæ, tertianæ, quartanæ &c. dicuntur, quia inquam tales febres mixtæ ſunt & veluti ex continuis atque intermittentibus coaleſcunt, actum jam agere videremur, ſi in afferendis earundem cauſis diutius immoraremur, utpote quia non aliæ ſunt quàm ex

una parte varium bilis & lymphæ vitium per quod heterogeneitas ſanguinis inducitur partibus ad continuitatem febris efficiendam ; ex alia verò parte ſuccus nutritius , vitiatus , & degener in ſanguinem minus analogum transfuſus , & non bene ſubactus , cujus particulæ crudæ & minus coctæ in maſſa ſanguinea certis temporibus accumulantur ad exacerbationem febris faciendam , quæ proinde brevior & diuturnior & citius aut tardius recurrens , horroribus , ſudore , aliiſque ſymptomatis comitata , pro majori aut minori ſanguinis heterogeneitate , pro vario chyli vitio promptiorique , aut tardiori particularum chylacearum accumulatione & exaltatione , item & quia cauſæ continuitatem febris excitantes vario ad ſe invicem modo ſe habere poſſunt , fit ex multifaria cauſarum continuæ & intermittentis febris combinatione , ſeu potius complicatione , ut multiplex febrium compoſitarum ſpecies emergat . Variorum ſymptomatum febribus omnibus tum continuis ſimplicibus , tum intermittentibus , tum etiam compoſitis ſupervenire ſolitorum ; qualia ſunt vomitus , alvi fluxus , capitis dolor , delirium , reſpiratio difficilis , fitis , vigiliæ , convulſiones aut convulſivi motus &c. explicationem hìc conſultò prætermittimus , propterea quòd & tractatus ipſe quem epitomen tantùm eſſe volumus in integrum volumen excreſceret , & quia inſuper , quod majorem ea reticendi locum dat , illorum ratio ex iis quæ diximus in hiſtoria jam tradita morborum omnium plus quàm ſatis erui poteſt ; ibi enim dicta ſymptomata , & multa alia fuſa ſatis oratione explicata ſunt .

Quoad febrium diagnoſim , febris in genere nota fit ſufficienter ex iis quæ ponuntur in generica ejus definitione , hoc eſt ex calore per corpus diffuſo ob auctam ſanguinis efferveſcentiam & majorem particularum ejus motum , item & ex pulſu , arteriarum elevatione ſupra ſtatum naturalem accelerata , quæ celeritas petitur ex frequentiori & ſæpius repetita cordis ſyſtole ſanguinem in arterias impellente , idque tum quia ſpiritus animales cordi proſpicientes magis activi & mobiles à calore febrili fiunt ac proinde magis idonei ad cor frequentiùs contrahendum ; tum quia ſanguis magis excalefactus per febrem , magiſque proinde exaltata habens ſua principia , promptiùs ſicut & copioſiùs materiam elaſticam , ſeu exploſivam ſuppeditat ad motum cordis accelerandum ; is pulſus ſi quando debilis eſt parvus , & concentratus , petitur , tunc ex minori cordis contractione , ratione cujus ſanguis ex ejus ventriculis totaliter non expellitur , idque tum ob ſpirituum defectum , & diſſipationem , tum ob majorem ſanguinis depravationem non amplius debitam copulam exploſivam ſuggerentis , ſi verò plenus , vehemens , & elevatus exiſtit , procedit ex contraria cauſa , ſpirituum nempè majori motu , & copia ſanguiniſque particulis elaſticis nondum conſumptis , aut depravatis ; atque hinc eſt quòd ferè ſemper in principio omnium febrium pulſus vehementior ſit , & plenior , ingraveſcente verò morbo debilis & parvus fiat ; dico ferè ſemper propterea quòd fieri aliquando poteſt , ut ſanguis nondum depravatus valde , aut putrefactus , ſed in majori copia venas , & arterias replens , dum ſemel efferveſcentiam concipit , & majus ſpatium requirens , vaſa diſtendit , fieri inquam poteſt , ut pulſum parvum , & concentratum inducat , quatenus dum ſemel cordis ventriculos ingreſſus , non poteſt per cordis contractionem totus in vaſa propenſa , utpote jam ſanguine ſatis repleta & turgida propelli , quo fit ut qui in cavitatibus cordis retinetur reſiſtendo motui ejus contractivo ſyſtolem minorem efficiat , ac proindè minorem quæ ex ea ſequetur arteriarum elevationem , & in illo potiſſimum caſu , debilitas , parvitaſque pulſus vires quas Practici dicunt oppreſſas ſignificat , non verò exolutas , quæ proveniunt ex ſpirituum defectu , & ſanguinis deliquio .

Febris eſſentialis , & ſymptomaticè ſigna , item & continuæ ſimplicis , intermit-

ten-

tentis atque compoſitæ ex his quæ dicta ſunt ubi generales tradidimus diviſiones ſatis patent, ut ea hìc referre inutile ſit, continua verò imputris, hoc eſt ephemera, ſimplex aut extenſa ſeu ſynochus, dignoſcitur primò ex eo quòd duret tantum per unum aut alterum diem, & à cauſis ut plurimum procatarcticis inducatur; ſecundo ex eo quod calor non ſit ita intenſus ob minus validam humorum efferveſcentiam ac proinde remiſſiora excitet ſymptomata; denique ex eo quod præter jam dicta exacerbationibus careat, initio horrorem aut parvum aut nullum inferat & levi ſudore plerumque terminetur.

Putris continua innoteſcit, tum ex duratione febris, quæ ad plures dies, imò & ſeptimanas propagatur, tum ex intenſiori & acriori calore procedente ex majori particularum ſanguinis agitatione & efferveſcentia principiorum ſanguinis unionem diſtrahente; tum demum ex horroribus initio infeſtantibus aliiſque gravioribus ſymptomatis ipſi ſupervenientibus, nauſea ſcilicet, vomitu, delirio, capitis dolore, vigiliis immodicis, anxietate, linguæ nigritie, ſiccitate, & ſiti. Acuta febris continua manifeſtatur per gravitatem & numerum ſymptomatum, caloris intenſionem, & minorem febris diuturnitatem; item & ex pulſu valido ſimul cum celeritate conjuncto; chronica verò ſeu hectica, quia affines maximè ſunt, deſignatur primò ex febris duratione quæ ad menſes plures extenditur; ſecundò ex ſymptomatis ſenſim & ſucceſſivè actis; tertiò ex minus intenſo calore, qui tamen augetur aliquibus à paſtu horis ob ingreſſum chyli in ſanguinem; quarto ex pulſus debilitate & exiguitate; ultimò ex inducta ſenſim toti corpori atrophia & tabe advenientibus. Maligna febris ex diſſolutione ſanguinis in ipſa vena ſecta extracto apparente, ex hæmorrhagiis quæ ſiſti non poſſunt, ex puſtulis & maculis in cute erumpentibus, ex frequenti ſyncope, calore corporis minori, alvi fluxu pertinaci & colliquativo, vomitu, ſingultu, convulſionibus, delirio, pulſu minuto & parvo, oſtenditur; peſtilentialis verò ex contagio, copioſo ægrotantium numero, eorumque frequenti interitu, atque etiam ex eo quòd epidemica ſit & à cauſa communi, hoc eſt pravis alimentis aut aere corrupto ortum habeat, imò & bubonibus, exanthematis, carbunculis, aliiſque quamplurimis & gravibus ſymptomatis ſtipetur; an verò febris continua putrida acmaſtica ſit, paracmaſtica, epacmaſtica, item & an ardens, lipiria, epiala, catarrhalis, elodes, purpurata, verminoſa & lactea, arthritica, rheumatica, hoc inquam, ex his quæ diximus ubi earum differentiæ propoſitæ ſunt facilè colligi poteſt, aut ex morbis ſymptomatiſque quibuſcum conjungitur innoteſcit.

Compoſita febris, hoc eſt quotidiana continua, quartana continua, hemitritæa, &c. dignoſcuntur eo quod præter continuitatem exacerbationes patiantur, ſingulo, alterno, aut quarto die recurrentes, aut paroxyſmum tertio die ſibi correſpondentem.

Quod autem ſpectat ad intermittentium diagnoſim, ea non ſolùm ex frigore, calore, ſudore ſibi mutuò ſuccedentibus habetur, verùm etiam ex apyrexia ſeu infebricitatione paroxyſmum ſubſequente. An ordinata ſit intermittens febris an inordinata erratica, diſcitur hoc ex recurſu regulari aut irregulari paroxyſmorum. An vero quotidiana ſimplex, tertiana, quartana, quintana &c. hoc ex recurrentibus quotidie, tertio, quarto, quinto quoque die paroxyſmis iiſque brevioribus aut longioribus deſignatur; item & an duplex triplexve tertiana, quartana febris dicenda ſit, manifeſtatur per recurrentes ſingulo, alterno aut tertio quoque die plurimos paroxyſmos; diximus enim in præcedentibus febres intermittentes à recurſu paroxyſmorum in variis diebus nomen ſuum ſortiri debere. Symptomatica febris quam diximus non primariò in ſanguine, ſed ſecundariò & conſequenter ad alios morbos generari,

nullo

nullo labore dignoſci poteſt ; utrum autem ſit inflammatoria , phlegmonodes , ereſypelatodes , purulenta , ſphaceloſa , hoc ex præſentia inflammationis phlegmonis , ereſypelatis , abſceſſus , aut ulceris , gangrænæ &c. ſufficienter patet .

Prognoſis ferenda in febribus , nonniſi varia eſſe poteſt propter multiformem , multiplicemque earumdem ſpeciem & naturam . Ephemera omnium minimè periculoſa eſt , propter minorem humorum putredinem . Putrida multo plus habet periculi , quod majus aut minus dicendum pro gravitate & numero ſymptomatum ibi ſupervenientium . Hectica & lenta , dum ſcilicet eſſentiales ſunt initio curationem recipere poſſunt , non verò habituales factæ atque confirmatæ , neque etiam dum ſymptomaticæ ſunt ulcera partium internarum conſequentes . Acuta febris , ardens , ſyncopalis , elodes , lipiria , convulſiva mali ſemper ominis ſunt . Lactea verò arthritica , rheumatica , verminoſa , catharralis non tantum portendunt periculum . Maligna , purpurata , peſtilentialis omnium perniciosiſſimæ cenſendæ , ob maximam humorum putredinem totiuſque ſanguinis attritionem & diſſolutionem . Simplex continua , hoc eſt ſine acceſſionibus & exacerbationibus , quamvis periculo non careat , caret tamen magis quam compoſita , hoc eſt quæ præter continuitatem , ſingulis aut alternis diebus exaſperatur . Symptomatica pro magnitudine & gravitate morbi à quo dependet malæ magis aut minus prognoſeos dici debet , unde quæ ſequitur ad inflammationem partium internarum & magis nobilium aut eſſentialem functionem præſtantium ſuſpecti ſemper eventus eſt . Quæ verò inflammationes partium externarum , eryſipelata , bubonem ſimplicem non ita vitæ periculum inferunt . Uno verbo febres omnes acutæ & putridæ pro ſymptomatum , ut jamdictum eſt , numero & gravitate atque etiam pro ætate , temperamento , virium robore , plus aut minùs periculoſæ dici debent . Quòd ſi febris non ſit continua , ſed intermittens , tunc ut plurimum periculi expers eſt ; atque eadem de cauſa dicit Hippocrates , *Febres quocumque modo intermiſerint periculo vacant* ; dixi ut plurimum , nam ſi prava aeris conſtitutio , aut alimentum magis ſanguinem depravans & febrem popularem faciens morbi cauſa ſit , aut ſi frequentius in febrem jam fugatam relabatur æger , aut demum febris intermittens in corpore cacochymo generetur , ut duret per longum tempus , in his omnibus caſibus timendi ſemper locus eſt , nec tanta futuræ aliquando ſalutis ſpes affulget . Quartanæ tertianis longiores ſunt , item autumnales æſtivis , idque propter majorem cauſæ morbificæ , utpotè craſſioris , contumaciam , & acidæ ſanguinis diatheſeos difficilem correctionem , tum etiam quia æſtate pori corporis magis aperti ſunt , humores tenuiores ad diſſipationem & evacuationem magis diſpoſiti , autumno vero & hyemis initio res ſecus ſe habent . Subintrantes & erraticæ ordinatis magis periculoſæ ſunt . Item & quæ longiores habent paroxyſmos quam quæ breviores . In omnium febrium paroxyſmis ſudare bonum eſt , quia per hanc potiſſimum viam partes heterogeneæ à ſanguine poſt fermentationem ſeparantur . Imò obſervatio frequens Practicorum teſtatur ſudores , modò non ſint frigidi , nimis copioſi , aut exolutis viribus advenientes , in omni febrium ſpecie ſalutares eſſe ita ut per ſudores febris qualiſcunque ut plurimùm ſolvatur . Intermittentes febres compoſitæ , hoc eſt duplex , triplexve , tertiana aut quartana tantùm ; & illæ quæ in ſuis paroxyſmis gravia inferunt ſymptomata ; ut delirium , pulſum debilem , ſitim , reſpirationem difficilem & anheloſam , vomitum , capitis dolorem &c. multo periculoſiores ſunt quàm ſimplices & quæ minora acerſunt ſymptomata .

Curationem quòd attinet , hìc nonniſi ſummatim eam attingere poſſumus prout ferè cuique ſpeciei maximè competit .

Con-

Continuæ itaque febres præſertim acutæ etiam malignæ curantur, potiſſimùm per phlebotomias pluries pro magnitudine morbi & viribus ætateque ægrotantis repetitas, modò ex brachiis, modò ex malleolo, ſecundùm varias indicationes. Item & per refrigerantia atque acida æſtum ſanguinis contemperantia, qualia ſunt omnes herbæ, radices, ſemina, & aquæ deſtillat. refrigerantes, atque etiam ſpiritus & ſucci acidi quorum mentionem non ſemel fecimus in noſtro morborum diſcurſu, ex quibus juſcul. julep. emulſiones &c. parari poſſunt. Conveniunt quoque jam dictis febribus, clyſter. refrigerant. & purgant. identidem injecti, præſertim pigra & minùs humida alvo, atque etiam purgationes ſuo tempore præſcriptæ ex decoct. refrigerant. additis tamarind. ſenn. caſſ. mann. ſyrup. roſat. ſolut. pulver. radic. jalap. aut electuar. diacartham. ſi fortiùs purgandum ſit. Ephemera & imputris non ita indiget remediorum apparatu, vel enim ſpontè ceſſat vel poſt unam aut alteram venæ ſectionem alteriuſque remedii propinati brevem uſum curatur.

Putridâ vero ſive ſine, cum exacerbationibus, plura multo remedia poſtulat, eorumque diuturnum uſum: notandum tamen quòd in hoc genere febrium, ſicut & in aliis pro variis ſupervenientibus ſymptomatis varia quoque præſcribi debeant medicamenta; dum enim adſunt vigiliæ, delirium, convulſiones, phrenitis, narcotica ſtatim exhiberi debet, imò & phlebotomia ex ſaphena, inſtituenda; ſi vomitus vigeat poſt pravorum humorum evacuationem quæ illum fovent propinandum ſimiliter laudanum, aut acida vomitum maximè compeſcentia; ſi alvi fluxus præſertim ſymptomaticus, colliquativus, aut diutiùs durans, enemata, primò anodina injicienda, deinde detergentia, & ultimò adſtringentia; ſi adſit metaſtaſis humorum inferens ſoporoſum aliquem affectum, venæ ſectione præmiſſa in malleolo, vinum emeticum primò in potionibus præſcribendum, modo vires ferant; ſi infarctus in viſceribus, & hypochondriorum tenſio, frequens eſſe debet uſus clyſterum etiam validiùs purgantium, fotus emollientes adhibendi, & ſic de aliis ſymptomatis ſupervenientibus ratiocinandum eſt.

Febris ardens, ratione intenſioris caloris largiores & frequentiores requirit venę ſectiones majoremque refrigerantium & acidorum uſum, adhibitis ſemper univerſalibus.

Syncopalis, ſpirituoſa remedia & corroborantia, modicè tamen uſurpata, ne febris magis accendatur.

Elodes ſeu quæ ſudore copioſo ſtipatur expoſtulat quæ fuſionem & liquationem ſanguinis impediunt, qualia ſunt acida & refrigerantia jam dicta &c.

Maligna purpurata, peſtilentialis quæ valdè affines ſunt & ſanguinem diſſolvunt atque atterunt, venæ ſectionibus curantur, quidquid dicant Antiqui, putantes falsò malignitatem & venenum per venæ ſectiones extrahi ab habitu corporis ad centrum, quibus loco alexipharmacorum & cardiacorum quæ ipſi ſemper præſcribebant, ſanguinem diſſolutum magis diſſolventium, ſuccedere debent refrigerantia ac acida ſanguinis diſſolutionem corrigentia, non neglectis univerſalibus aliis remediis.

Symptomatica vero febris, qualis rheumatica, arthritica, dyſenterica, catharrhalis, verminoſa, & ea quæ inflammationes quaſcumque conſequitur, imò etiam & lenta, ulcera partium internarum comitari ſolita; non aliam expoſcit curandi methodum quàm eam quam attulimus, agentes de rheumatiſmo, arthritide, vermibus, pleuritide, peripneumonia, inflammatione hepatis, ventriculi &c. catarrho, ulceribus internis, phthiſi, &c.

Hectica & lenta dum eſſentiales ſunt, ſolis ferè alterantibus & humectantibus curantur, ita ut venæ ſectio in eis locum valde non habeat, ſicut nec valida purgantia, bene tamen clyſteres blandè purgantes identidem injecti, ſicut &

pur-

pürgatio blanda, & per epicraſim evacuans. Balneum aqu. dulc. in hoc caſu etiam plurimùm confert, quod tamen in aliis febribus præſertim continuis & acutis ſemper cane pejus & angue vitandum, quia fuligines & tranſpirationem impediendo, calorem febrilem auget; conveniunt quoque ſerum lactis, lac vaccin. & aſinin. moderatè tamen hauſtum, quia in majori copia bene ſubigi non poteſt; atque etiam analeptica & reſtaurantia, qualia ſunt juſcula conſummata, gelatinæ, cibi boni ſucci, additis identidem in minima doſi ſpirituoſis & volatilibus. Si febris lenta foveatur ab infarctu & obſtructione viſcerum, ut quandoque accidit ratione cujus recrementa ſanguinis ab ejus ſinu debitè ſeparari non poſſunt, tunc aliis recenſitis remediis aperientia temperata intermiſcenda ſunt & fotus emollientes.

Quod ſpectat ad epialas, lipirias, horrificas aliaſque, in quibus rigores horroreſque aut frigoris ſenſus frequenter infeſtant, in illis quia acidum aliquo modo prævalere videtur, poſt venæ ſectione ſufficientes aliaque univerſalia remedia, non abs re erit ſi præſcribantur diaphoretica, præſertim quæ tenuium ſunt partium & maximè ſubtilia, alia enim ſanguinem minùs commovent, quòd tamen faciendum remittente fermentatione, & poſt aliquas phlebotom. Imò ſunt auctores quamplurimi qui putant diaphoretica omnibus cujuſcumque generis ſint, febribus convenire, ex eo quòd illæ potiſſimùm per ſudores ſolvi ſolitæ ſint, ac proinde quo natura vergit eò ducendum eſſe. Verùm etiamſi diaphoretica ſemper in febribus, præſertim acutis, videantur ſuſpecta, propterea quòd humorum fermentationem jam ſatis intenſam augent, non ita tamen improbanda ſunt; dum appoſitè & cum ſagaci genio adminiſtrantur hæc remedia: plurimum enim conferunt ad evacuandam cauſam morbificam, in quantum ſcilicèt ſudores promovendo ſales extricant à maſſa ſanguinea in ſero potiſſimùm diſſolutos, qui ad febrem fovendam, imò & faciendam plurimum, ne dicam totum conferunt. Ea tamen debet eſſe in iis exhibendis præcautio, ut non admodum intenſa ſit humorum efferveſcentia & vaſa ſufficienter per venæ ſectiones depleta ſint, atque hæc eſt ratio cur hodie à celeberrimis Practicis in febribus purpuratis, petechialibus, variolis & morbillis, imò & malignis febribus in quibus natura quod heterogeneum eſt ad cutem & habitum corporis protrudit, etiamſi non dubitent ſanguinem magis quam par eſt ſolutum eſſe & attritum, præſcribantur tamen aliquando pulvis viperinus, aliaque diaphoretica, quæ ſi ex una parte incommodum videantur afferre ſanguinem magis atterendo, commodum tamen majus præſtant, eliminando quod heterogeneum in ſanguine reperitur, & naturæ motum juvando, quo facto deinde ſanguis faciliùs priſtinam diatheſim recuperat.

Præter jam dicta, ſunt & alia obſervanda in plurimarum febrium curatione; ac primò quidem in febribus malignis, & ubi ſanguis maximè eſt ſolutus, non eſſe præſcribendas cucurbitulas ſcarificatas, ne ſanguis totus fluidus factus per apertas vias ita effluat, ut retineri, & cohiberi non poſſit, ſecundò diætam eò magis tenuem eſſe debere quò magis acuta eſt febris, tertiò venæ ſectionem potiſſimùm initio, & vigente efferveſcentia locum habere, purgationem verò in febris, & efferveſcentiæ remiſſione; quartò dum adeſt pulſus debilis, & concentratus, imò etiam, & intermittens diaphoretica, & ſpirituoſa magis locum habere, minùs verò narcotica; ultimò denique frequentem uſum clyſmatum, modò refrigerantium, modò purgantium in omnibus febribus plurimùm prodeſſe, quia educunt ſenſim ſine ſenſu per inferiora maximam cauſæ morbificæ copiam, & præterea eluunt primas vias, humores pravos ſemper ſanguini ſuppeditantes.

Reſtat jam nobis, ut Tractatui iſti finem imponamus, tradenda febris in-

ter-

termittentis curandæ methodus, quæ licèt non eadem esse debeat ac in febrium continuarum curatione, in omni tamen intermittentium specie, sive quotidianæ sint, sive quartanæ, tertianæ, quintanæ, erraticæ, &c. hìc non absimilis instituenda videtur, cùm præsertim earum causa eadem ferè sit, nec nisi secundùm majorem aut minorem copiam & exaltationem variare videatur. Ac primò quidem quod spectat ad universalia remedia, venæ sectio licèt aliquoties pro temperamento, ætate, & ægri constitutione institui possit & præscribi à prudenti Medico, ea frequentiùs iterata magis nocet quàm prodest. Purgatio identidem repetita magis indicari videtur, tum ad eluendas primas vias, quæ semper in vitio sunt, tum ad eliminandas è sanguine partes heterogeneas, tum ad corrigendam pravam sanguinis diathesim. Emetica, eaque fortia, dum scilicet ferri possunt ab ægrotante, initio multò magis juvant quàm cathartica. Clyster. purgantium usus frequens in intermittentibus tam bene quàm in continuis commendatur. Alterantia autem majoris sunt energiæ quàm evacuantia, ut experientia quotidiana comprobatur, & potissimùm quæ amara sunt, febrifuga inde dicta, talia absynth. chamædris, centaureum minus in aqua decocta, item & eorum sal, talia sunt omnia volatilia & fixa & sudorifica. kinæ kinæ pulvis aut infusio modò in aqua, modò in vino albo quod præstantissimum hodie febrifugum reputatur, theriaca quoque ad unam aut alteram ʒ in decoct. cichor. optimum habetur remedium. Abstinentia à cibo plurimum quoque confert; Ac præprimis ptisana composita ex sennæ ʒ. ss. centaurei minor. p. ij. sal. absynth. ʒ j. ss. decoct. in aqua fontis ℔ j. cujus cyathum unum singulo mane haurire debet ægrotans, imò etiam, & in calore paroxysmi, illa verò jam dicta remedia, sicut, & innumera alia, quæ videri possunt apud Auctores, quæque hìc brevitati studentes omittimus, ideo specifica febrifuga censentur, quia aut sulphure salino, quo abundant, aut sale lixivioso maximè apta sunt aciditatem lymphæ, aut aliarum particularum crudiorum in sanguine redundantium corrigere, sicque eam sanguini inducere dispositionem, ratione cujus non ampliùs heterogeneitas inter ejus partes tanta reperiatur, sicque non ita copiosum materiæ subtilis ingressum permittat, partes ejus præter modum agitantis & commoventis. Interim quia in omnibus febribus intermittentibus adest vitium in chylosi seu prima coctione, potest vomitoria non inutile erit corroborare ventriculum & digestiva præscribere, item si symptomata varia superveniat, delirium, putà, vomitus, vigiliæ immodicæ, affectus soporosi, &c. per propria remedia antea recensita, iis mederi debet Medicus, vitando acida & refrigerantia quæ in febribus intermittentibus febrem augent. Si verò febris intermittens foveatur ab obstructione viscerum, prædictis remediis intermiscenda sunt aperientia quæ plerumque non inutiliter usurpantur.

Fusiorem hìc intermittentium curationem non tradimus, quia febres nonnisi in genere scrutamur, & quia alia multa quorum mentionem hìc non facimus videri possunt apud Auctores quamplurimos quorum libri febrifugis repleti sunt.

Quod spectat ad febres continuas compositas, seu quæ præter continuitatem exacerbationes habent periodicas aut inordinatas, in his præter remedia quæ continuis febribus convenire diximus, mos est apud Practicos pulverem kinæ kinæ in aqua cichorei præscribere, aut in aqua papaveris Rhœados, à cujus exhibitione plerumque maximum levamen percipiunt ægrotantes, celebratis præsertim universalibus & aliis appropriatis remediis.

Observandum kinæ kinæ pulverem ad ʒ.ij. præscribi in aqua cichorei, aut portulacæ in febribus continuis, intermit-

ten-

entibus verò in vino albo idque duabus aut tribus horis ante paroxysmum, aut exacerbationem.

Notandum quoque in paroxysmis, aut exacerbationibus nihil movendum esse, præsertim in iis qui debiles sunt, aut delicati, quod tum tentari potest in robustis, & rusticis in quibus feliciter succedunt purgationes, aut venæ sectiones aliaque recensita, præsertim in intermittentibus.

Observandum denique intermittentibus post exhibitionem ℥. ij. pulver. kinæ kinæ postridie manè alteram ℥. j. præscribendam esse, & sero aliam ut meliùs, & efficaciùs figatur causa morbifica, atque etiam attenuantia volatilia, sudorifica, multò magis locum habere in quartanis, quintanis, & ubi diuturniores sunt, & rarius recurrentes paroxysmi.

TRA-

TRACTATUS DE MORBIS VENEREIS.

CAPUT I.

De Lue Venerea.

LUis Venereæ ortus ad annum 1464. ab Auctoribus pleriſque referri ſolitus eſt, quo tempore Carolus VIII. Francorum Rex cum Alfonſo Hiſpaniarum Rege bellum gerebat, communicato ſcilicet ab Hiſpanis cum Gallis Neapolim obſidentibus contagio. Quidam malum illud à Chriſtophori Columbi militibus ex America in Europam inter alias merces aſportatum ferunt, quod primùm in Hiſpania, mox in Italia multo cum proventu citiſſimè propagatum eſt. Verùm rem propriùs inſpicientibus, Luem Veneream longè ante Columbi tempora innotuiſſe facile patebit. Nam cùm de ſeminis effluxu quodam apud Leviticum loquatur ipſe Moſes, quo qui laborabant, eos cum cæteris Iſraelitis tanquam pollutos veſci prohiberet; tum apud Herodotum *libro hiſtoriarum primo* legere eſt, Scythas ob prophanatum Veneris Uraniæ Aſcalonenſe Templum, morbo muliebri correptos fuiſſe. Dea ſic injuriam ſuam ulciſcente.

Quod quidem malum Hippocrati, & Galeno incognitum fuiſſe nolim inficiasire, licèt pleraque ipſius ſymptomata in utriuſque operibus paſſim occurrentia contrariam opinionem confirmare videantur. Quid enim ſibi vult gonorrhœa illa, de qua tam frequens apud ipſos mentio? Quid ulcera maligna, quid papulæ, quid exanthemata? Sanè nihil aliud quam contagium Venereum ſignificant. Neque magis mirum eſſe debet quod morbum illum ignoraſſe, aut certè ſilentio prætermiſiſſe videantur, quam quòd de variolis, & morbillis, quibus nihil antiquius, nihil frequentius, nihil magis vulgare, in Medicorum libris reperitur, verbum nullum in ſcriptis ſuis fecerint.

Fateor equidem in obſidione Neapolitana propter effrænatiorem militum à meretricibus Italis caſtra ſequentibus libidinem, contagium illud, ut cum maximè viguiſſe, ſed ſuam tum in Europa originem duxiſſe, atque adeò in Aſiam atque Africam repente graſſatum fuiſſe nemo mihi perſuadeat. Præſertim cum Salicetus, Gordonius, & Valeſcus Auctores fide digniſſimi, quorum primus anno 1270. ſecundus anno 1418. tertius media ætate vixit, luem illam ex virorum cum proſtibulis impuris commercio naſci atteſtentur. Quid lepra priſcis illis temporibus frequens, cujus virus hodie Mercurio cedit, Luis Venereæ vera ſoboles fuit. At expoſita hujus morbi geneſi, ejuſdem natura, & ſpecies examinandæ veniunt.

Lues ergo Venerea definiri poteſt, *Morbus ex contagio ortus humorum maſſam parteſque ſolidas inficiens, maculis rubris, tumoribus, ulceribus, doloribus denique acutiſſimis ſe adeſſe ſignificans.* Is ex coitu cum infecta, ex lecto in quo quis contagio illo laborans dormit, aut ex alio quovis contactu contrahitur.

Si ex coitu proficiſcatur morbus, vires ſuas in pudendo primùm exerit, ulcuſcula inibi, bubones, gonorrhœam, & alias id genus calamitates excitans. Si infans malum cum nutrice lactante com-

communicaverit hujus papillæ ulceribus ſcatebunt. Si contrà nutrix cum infante lactente hujus in ore & faucibus eadem ulcera exorientur. Si quis cyatho aut cochleari utatur, quæ infectus paulò ante ori ſuo admoverit, illius in palato, ore, faucibus, lingua, ulcuſcula pullulabunt.

In fermento quodam humores diſſolvente & membra corrodente hujus mali cauſa poſita eſt, quod venenum poſtquam in parte quadam aliquandiu veluti ſopitum latuit, ſuam demum ſævitiam, ulceribus, inflammatione, tumoribus & puſtulis parti affectæ adnaſcentibus patefacit.

Multa ſunt ſigna quibus virus latens deprehenditur, ſi v. g. pudendo exulcerato, gonorrhœæ, aliiſque ejuſmodi ſymptomatis dolores membrorum, aut articulorum accedant noctu ingraveſcentes; cephalalgia perpetuo urgeat; ſi os, palatum, fauces, ulceribus abundent; ſi anus cancris undique infeſtetur; ſi ſcrotum & reliquæ partes inflammentur, nullus ſupereſt dubitandi locus, quin Lues Venerea adſit; quam inveteratam & confirmatam dixeris, ſi gummata quædam globulorum inſtar extuberantium oſſibus increverint.

Hunc morbum detegere paulò difficilius cenſetur, cum pauca tantum ex allatis ſymptomatis videre eſt. At longè difficillimum cùm aliarum affectionum ſymptomata mentitur cùm nempe adſunt ophthalmiæ, cœcitas, ſurditas, aurium tinnitus, vertigo. Tunc conſulendus eſt Medicus aliquis peritiſſimus, qui malum detegat, qui de morbis præteritis ægrum interroget, qui quærat an gonorrhœa ille, an bubonibus, aliquandò affectus fuerit, & quibus ille remediis fuerit uſus. Hac ratione quo in loco inſidias poſuerit hoſtis callidiſſimus, ſolertem Medicum non fugiet, nec incerta ab ipſo tela conjicientur.

Ex dictis Luem Veneream non unum aliquod malum eſſe, ſed multa ſimul mala intelligere eſt, quæ nullam corporis partem illæſam, nullas actiones non depravatas relinquunt.

Adverſus hoſtem infenſiſſimum fortiſſima quæque Artis Medicæ præſidia adhibere oportet, cùm ut virus omne in vaſis, in viſceribus, atque in partibus ſolidis extinguatur, tum ut debilitatæ partes ipſis corroborentur. Diæta nempe, Chirurgia & Pharmacia, junctis ſimul vexillis pugnare debent.

Quod ad diætam ſpectat, aer eligatur quàm maximè temperatus, quo facilius virus exhalet. Cibi ſint frigidi & humidi, quibus humor veneni viſcidus diluatur. Hac de cauſa juſculorum non prohibendus, ut aliàs, ſed permittendus eſt uſus, bis in die, veſperi & manè, incoctis etiam herbis refrigerantibus.

Pro potu utatur æger decocto ligni ſancti, ſalſæparillæ, &c. quorum vis non ſolùm partem humoris morbifici tenuiſſimam, & maximè volatilem fugat, ſed partes pariter glutinoſas, & fixas penetrandi qua pollet facultate diſſolvit & temperat.

Si febris accendatur, ſi corporis magna fuerit ſiccitas, ante & inter paſtum decoctum chordei proderit, ſomno æger moderatè utatur, exercitationibus indulgeat ſolito mitioribus, & conſentaneis, qualis eſt venatio, & pila quibus materia ſtagnans excitata, & attenuata ad externum corporis habitum traducatur. A Venere omninò abſtineat, coitu enim partes generationi inſervientes exaſperantur, vires pereunt, membra denique omnia debilitantur.

Alvus conſtipata clyſteribus, herbis emollientibus, ptiſana laxante ſolvenda, iracundiam fugiat æger, quæ humores perturbat & accendit; pari cura mœrorem & triſtitiam evitanda puto, ne ſcilicet materia morbifica magis figatur, aut virus altius penetret.

Chirurgia & Pharmacia conjunctis ſimul viribus agant. Primò mittatur ſanguis, ut depletis venis ſuſtinendo Mercurii impetui aptior reddatur æger, emollita prius alvo clyſtere laxante, cujus hæc eſt deſcriptio.

℞. Fol. malv. viol. borrag. ana M. j. ſem. 4. frigid. maj. contuſ. ℥ j. furfur. macr.

macr. p. j. Coqu. ad consumptionem ℔. j. In colat. dissolv. cathol. opt. ʒ. j. mell. violat. ʒ. ij. fiat clyster hora commoda injiciendus.

Post venæ sectionem purgabis alvi fœces ptisana aut bolo sequentibus.

℞. Tamarind. ʒ. vj. senn. mundat. ʒ. ss. limonis secti talleol. aliquot, aut sal. prunell. ʒ. j rosar. rubr. p. j. Infund. in aq. font. s. q. ad duos hausus per noctem in loco frigido de colat. capiat unum cyathum hora sextà matutina, alterum duabus post horis, continuando per triduum. Vel

℞. Cast. rec. extract ʒ. vj. confect. hamech. ʒ. iij. mercur. dulc. ϑ. j. cremor. tart ʒ. j. Misc. fiat bolus, capiat mane, reiteretur postero die.

Sic purgato corpore mittatur sanguis è brachio sinistro, modò vires & plethora adsint.

Postea utatur æger balneo aquæ tepidæ, octo aut decem dierum spatio, bis in die, sero & mane, manendo horam, aut semihoram singulis vicibus.

Quod si vires minus ferant, demittatur æger in semicupium duodecim aut sexdecim dies, quod quinto vel sexto die intermittatur, aut triduum aut biduum. In balneo aut semicupio exhibe jusculum herbarum refrigerantium, vel lactis caprilli ℔. j. vel decocti hordei cyathum unum cum syrupo capillorum veneris. Si corpus plethoricum extiterit, intra balneum mittatur sanguis ex utroque malleolo ad ʒ. viij. Vena secta intermittatur balneum duos aut tres dies propinando in ipso baleno ptisanam supra descriptam.

Nonnulli post balneum nihil prius habent quàm sudorem promovere, statuto intra arcum aut tabernaculum ægro, & vaporem spiritus vini excipiente, exhibita priùs salsæparillæ & guajaci dosi. Quæ methodus aliud nihil præstat quam partium humoris tenuiorum à crassis separationem, quæ adeo fixæ evadunt, ut ipsi Mercurio non cedant. Quamobrem rationem hanc ut potè ægro noxiam culpandam censeo. At cum Mercurius specificè morbo venereo medeatur, nihil præscribi oportet quàm quod ipsi viam quasi præmuniat, poros aperiendo, partem sanguinis crassam siccam & succis erodentibus scaturientem, diluendo, attenuando, & emolliendo, ut ptyalismo tandem virus omne transudet. Inter lavandum & purgandum utatur hoc decocto.

℞. Salsæparill. minutim concis. ʒ. j. rasur. guaj. ʒ. ss. Infund. in aq. font. ℔. iv. in cinere calido per 12. horas. Coqu. ad quartæ partis consumpt. capiat pro potu ordinario sine vino.

Sic præparato ægro per venæ sectionem, purgationem & balneum, ad Mercurii usum deveniendum esse puto, quo sollo malum radicitus tolli potest, diaphoretica enim, cujusmodi sunt guajacum & salsaparilla, morbum minuere valent quidem, sanare autem non: his rectè incipitur curatio, non finitur: namque paulò post virus redivivum factum, sopita symptomata reducit, & eandem integrat tragœdiam, adeò ut perfecta curatio Mercurii solius legitima administratione contineatur.

Sed alii aliter Mercurium adhibent; hi mercurial unguento partes fricant; illi emplastrum ex eodem Mercurio confectum apponunt. Quidam præcipitatum Mercurii, seu album, seu rubrum illud sit, salivationis causa propinant. Mihi verò nihil frictionibus melius videtur, nihil quod penetrandi vim qua præditus est Mercurius magis juvet. Fiunt autem ex ungento Neapolitano quod hìc describitur.

℞. Mrcur. crud. & per corium trajecti ℔. j. terebint. Venet. ʒ. iij. Agitentur omnia aliquot horas in mortario æneo ad perfectam mercurii extinctionem misce paulatim axung. suill. ℔ ij. Misc. omnia diù. Fiat unguentum ad usum.

Tali unguento corpus totum inungatur à plantis pedum ad capillorum usque radices præter abdomen & thoracem partium intus contentarum habita ratione. Quæ unctio ut feliciter cedat, ante focum lucidum, si vires ferant, secus in ipso lecto æger illinendus. Singulæ frictiones ungenti ʒ. v. vel sex requirunt. Qui natura sunt delicatiori, iis

℥. iv. sufficiunt, plantis scilicet pedum, cruribus, femore utroque, natibus, & brachiis tantùm inunctis. Multis vicibus repetatur frictio, nimirum semel in die mane jejuno stomacho, ut vesperi duabus horis ante pastum.

Quòd si post tertiam frictionem nullum futuræ salivationis signum adsit, bis in die fricandus æger, modò vires ferant, aut semel, sed aucta unguenti dosi.

Observare licet intra septimam aut octavam frictionem cessandum esse, ademadmodum statim atque salivationis indicia quædam prodeunt. Quæ quidem ex eo dignoscuntur quod caput doleat, facies rubescat, fauces asperentur, ulcera ori adnascantur, multum & frequenter spuatur. Aliquot post dies totum os ulceribus scaturit, tum balbutire, palatum & lingua ardere, quæ nisi lacte tepido sæpe colluantur, dolores sæviunt acutissimi, & non ter missus salivæ fluxus cum fœtore importuno manat. Si fortè tanta copia saliva effluat, ut suffocationis inferat metum, ut ab imminente periculo liberetur æger, bis terve mittendus sanguis, & ptizana laxativa altero quoque die propinanda.

Aliquando fit ut statim à secunda aut tertia frictione tormina mirum in modum urgeant, salivationemque inhibeant, tunc repetito bis terve clystere singulis diebus, modò ex lacte tepido saccharo rosato, & vitellis ovorum, modò ex lacte solo, durante aut declinante salivatione, solvi alvum convenit.

Ad colluenda oris ulcera gargarismo sequenti utatur.

℞. Hord. integr. p. j. liquir. passul. exacin. ana ℥. vj. rosar. rubr. p. j. Coq. in colat. ℥. viij. dissolv. mell. rosar. ℥ij. fiat gargarismus de quo os abluatur frequenter, aut vino aqua temperato, quo si æger utatur commodè, multo melius, longeque præstantius videtur.

Quamdiu saliva manabit, bibat decoctum salsæparillæ supra descriptum, nisi ardor nimis obsit. Quo in casu decoctum humectans & refrigerans exhiberi multo satius est.

Nonnullis post debitam remediorum administrationem lac asininum imperari decet, ut sanitas omnimoda recuperetur.

Cùm altius insedit venenum, sæpe fit ut tubera quædam carie & dolore vehementi stipata ossibus adjecta remaneant: tunc temporis nudato osse, ferro aut igne tollenda caries & legitima remediorum celebratione pars in priorem statum restituenda.

Celebratis, ut par est, inunctionibus, si salivatio minùs promoveatur, nullaque spes futuri ptyalismi affulgeat, in lecto componendus est æger, ibique per hebdomadam relinquendus ut quiescat & reficiatur, tum denuò mittendus sanguis, exhibendum catharticum, parandumque balneum. Quibus factis dimittendus æger, nihilque de ejus sanitate pertimescendum, cum multis contigerit sic fuisse planè curatos.

Neque enim salivatione sola morbum illum fugat Mercurius, sed aliquando etiam alvi fluxu aliquando transpiratione tantum extinguit venenum illud venereum, nulla humorum evacuatione sensibus apparente.

Quo tamen confidentius deinceps vivant ægri, iis decoctum antimonii & salsæparillæ per 20. dies præscribatur, aut opiata Neapolitana Renodæi, aquæ demum thermales acidulæ miros præstabunt effectus.

Citra salivationem non ita feliciter cum iis agitur, quibus ulcera in faucibus, aut tonsillis accreverunt, quæ vix ac ne vix quidem aliis remediis cedunt, nisi fortè decocto salsæparillæ & antimonii debellentur, accedat quarto quoque die ex foliis sennæ instituta purgatio cum stybio præparato, si fortius movendum. Interim tonsillarum & faucium ulceribus admovendus spiritus vitrioli aut sulphuris aut aqua ex sublimato liquato. Os & fauces decocto hordei frequenter colluantur, addita quarta parte collyrii Lanfranci, aut aquæ calcis.

Qui

Qui ſalivam emplaſtris promovent, ii ſolent emplaſtri de Virgo ſ. q. ſupra talem extendere, addito Mercurii quadruplo. Sic confectis emplaſtris, plantas pedum, crura, fœmora, nates, lumbos, dorſum, humeros, collum, brachia denique veſtiunt, ægrumque ſic inſtructum in lecto jacere jubent, expectantque, donec ſalivationis ſigna ſeſe prodant; quæ aliis ſecundo, aliis quarto, aliis ſexto die contingunt. Quod ſi nulla omnino ſalivationis indicia appareant remotis emplaſtris fiant frictiones aliquot.

Qui malum illum mercurii ſuffitu ſanant, illi ſemiunciam aut drachmas ſex Mercurii in candens crucibulum conjiciunt ſupra prunas collocatum, ut æger ſellæ perforatæ inſidens, aut intra tabernaculum conſtitutus vaporem excipiat; ſtrictè circa collum circumdato linteo ſeu panno, ne caput vapore attingatur. Tamdiu hoc in ſtatu remanet æger quamdiu Mercurius omninò exhalaverit. Alii tabellas ex Mercurio, terebinthina, aceto diſtillato, bolo Armena, & carbonibus pulveriſatis extincto conficiunt. Ex quibus maſſa conflata papiro extenſa, ſub umbra exſiccanda exponitur, hac ſervata proportione, ut Mercurius tertiam tabellarum partem æquet: harum tabellarum ℥. i. ss. ad ℥. ij. prunis ſenſim inſpergunt, aut in crucibulo candente collocant, ut fumus ab ægro excipiatur. Semel aut bis in die paratur ejuſmodi ſuffitus qui continuatur donec ptyaliſmus incipiat.

Ultimus huis Venereæ curandæ modus Mercurii præcipitati, ſive albi, ſive rubri ope peragitur, cujus grana xii. aut xv. exhibentur, continuato 6. 8. duodecimve dies uſu, dum ſalivatio ubertim fiat. Si lente procedat ſaliva additis ſex, ad ſummum decem, præcipitati rubri granis maturetur. Verum ab hac methodo abhorreat prudentiſſimus quiſque, quippe ſic penitus eradicari malum nequit; cum enim exigua admodum excitentur ab hocce remedio in ore ulcuſcula, & tenuiſſimis veneni particulis educendis apta pars craſſior & fæces remanent, nec a tantula Mercurii quantitate ad fauces uſque rapi poſſunt. Adde quòd remedium illud extinguendo veneno impar ſit, quod mirum in modum frictiones faciunt.

CAPUT II.

De Gonorrhœa virulenta ſeu ardore urinæ.

AFfectio illa definitur ſeminis purulenti & ſordidi invitus effluxus, dolore, ardore urinæ, & tentigine importuna ſtipatus ab inflammatione proſtatarum pendens, quod partes generationi dicatæ inter coeundum incaleſcentes & rarefactæ facilè veneno venereo imbuantur.

Proſtatarum inflammatio in gonorrhœa à vapore acri & maligno ortum ducit, qui per urethram illuc durante coitu penetrat; acrimonia ſua ſemen inflamma, & inducta fermentatione corrumpit, tum glandulæ intumeſcere, inflammari & abſceſſum fingere incipiunt; qui dum ſuppurat materiam purulentam & ſordidam mittit, pro varia partium virus componentium figura, modò flavam, modò viridem, hinc ulcera urethræ, ardor urinæ carunculæ, & phlogoſis proficiſcuntur.

Gonorrhœa non ſtatim vires ſuas exerit, in aliis tres, quatuorve dies latet in aliis decem, in aliis quindecim, rarò eodem die ſe declarat, quo communicata fuit.

Cùm primum ſentitur hæc affectio urina flammea eſt, glans inflammatur humore quodam ſordido & albicante inquinata copioſiùs in dies fluente, & acrius mordente. Humor ille aliquando ex albicante ad flavum & viridem colorem accedit, & tentiginem moleſtam parit, quæ noctu præſertim excruciat, quæ erectio tam vehemens aliquando eſt, tam crudelis, tam importuna, ut penis incurvetur, inflammatis ſcilicet ipſius ligamentis & muſculis atque tum gonorrhœa aquam *cordatam* dicunt, omnium longè ſæviſſima exurgit.

In curanda gonorrhœa quæ nihil aliud

eſt quàm proſtatarum partiumque vicinarum phlogoſis, ex veneno venereo orta, adhibenda ſunt revellentia, evacuantia, lenientia, virus denique impurum extinguentia. Mittatur in primis ſanguis ad prohibendum ipſius in proſtata liberiorem influxum & ſedandam phlogoſim, quin etiam bis terve celebrari debet venæ ſectio, ſi fortè plethora adſit. Sic revulſis, ut decet, humoribus, aperiatur ſaphena in malleolo parti affectæ reſpondente, abjecto metu ne venæ ſectio virus intrò revocet, hæc enim humorem è partibus ægris evocabit, & materiæ morbificæ liberiorem exitum patefaciet. Venæ ſectioni premittatur enema laxans.

Neque verò omittendæ emulſiones, ſeu julepi refrigerantes & lenientes, quibus humorum acrimonia temperetur, fluxio inhibeatur, virus extinguatur, ardor urinæ denique mitigetur. Itaque.

℞. Amyg. dulc. excortic. par. xii. ſem. 4. frigid. maj. ʒ. j. ſem. pap. alb. ʒ. ij. Contund. ſimul affundendo ſenſim aqu. font. ℔ fiat emulſio pro tribus doſibus, capiat manè & ſerò, addendo cuilibet doſi ſyr. capill. vener. ʒ. vj. ſal prunel. ʒ. j. Vel

℞. Rad. nymph. fragar. ana ʒ. ij. fol. dent. leon. cum toto agrim. capill. vener. lact. ana M. j. ſemin. melon. ʒ. ss. ſemin. papav. alb. ʒ. ij. Coq. ad ℔. j. ss. fiat julepus pro tribus doſibus, addendo cuilibet doſi ſyr. violat. ʒ. vj. ſal prunel. ʒ. j.

Tertio die poſtquam inflammatio venæ ſectione aut lenientibus ſupra allatis mitigata fuerit, ut cacochymia quæ luis Venereæ fomes eſt, evacuetur, exhibe catharcticum ſequens.

℞. Caſſ. rec. extract. ʒ. j. ss. confect. hamech. ʒ. iij. Mercur. dulc. ϑ. j. cremor. tart. ʒ. j. Miſce, fiant boli manè ſumendi.

Si à bolo æger adhorreat, propina hoc liquidum.

℞. Senn. mundat. ʒ. iij. tamarind. ʒ. vj. cremor. tart. ʒ. j. Coq. ad ʒ. vj. Infund. caſſ. rec. extract. ʒ. j. In colat. diſſolv. ſyrup. roſat. ſolut. ʒ. j. fiat potio quam capiat manè cum cuſtodia & regimine.

Exhibito priùs Merc. dulc. ϑ. j. cum conſerva roſarum, aut pulpa pomi cocti. Si potio ægro ingrata fuerit in locum potionis pilulæ ſequentes ſufficiantur.

℞. Pilul. ſine quibus ʒ. j. Mercur. dulc. ϑ. j. Miſc. fiant pilul. 4. aut 5. quas capiat mane, ſi minùs validè purgent; adde præcipit. alb. gr. vj. aut viij. Purgato corpore mittatur ſanguis è ſaphena ad derivandum humorem, potio deindè per triduum aut biduum iteranda ut fermenti venerei in dies augeſcentis influxus prohibeatur. Inter purgandum emulſio propinabitur hora ſomni. Si nimia tentigine penis torqueatur, præſertim de nocte cùm æger in lecto jacet, pars lacte tepido aut decocto emolliente foveatur. Quo facto ne altiùs virus gliſcat luemque veneream importet, evacuandæ ſunt reliquiæ decocto ſequenti.

℞. Antim. crud. mediocr. conquaſſ. petia incluſ. ʒ. vj. ſalſæparill. minutim conciſ. ʒ. iv. guajac. ʒ. j. ss. putam. jugland. ʒ. ij. Infund. per 24. horas in cinere calido, in aqu. font. ℔. xij. Coq. ad dimid. De colat. capiat æger tres hauſtus ſingulis diebus. Primum tribus horis ante prandium. Secundum totidem horis à prandio. Tertium hora ſomni, continuando diebus 20. aut 25.

℞. Reſidentiam hujus decocti, coq. in aq. font. menſur. iij. uſque ad medias. fiat bochetum, quo utatur pro potu, inter paſtum. Abſtineat à vino per uſum hujus decocti.

Eodem tempore pilulis mercurialibus purgabitur quibus virus venereum mirificè conſopitur.

℞. Mercur. crud. mund. terebinth. extinct. ʒ. j. ss. conſerv. roſar. ʒ. j. ſenn. mundat. rhei elect. jalap. pulver. ana ʒ. ij. ſcamm. cum ſulphur. præpar. ʒ. ss. cinnam. ϑ. j. cum oxymell. fiat maſſa pilul. de qua capiat manè ʒ. j. quarto quoque die.

Deindè demittatur æger in ſemicupium aquæ font. aut fluviatilis ad mitigandum humorum ardorem & tollendum empyreuma à veneno in partibus generationi dicatis relictum. Si per uſum ſemicupii

cupii aliquid humoris ſordidi & viſcoſi per virgam effluat, injectionibus detergentibus & exſiccantibus lavetur. Pernicioſus tamen eſt harum injectionum uſus initio morbi, nec quidquam præſtant injectiones, niſi ſymptomata multò moleſtiora, qualis eſt teſticulorum inflammatio, &c. Pro injectionibus.

℞. Antim. crud. mediocr. quaſſat nodulo incluſi ℥. iv. ſalſæparill. ℥. j. ss. ariſtol. rot. ʒ. iij. ſummit. hyperic. roſat. rubr. ana p. 1. Coq. ad ℔. j. In colat. diſſolv. mell. roſar. ℥ ij. fiant duæ injectiones, in die.

Si dolorem patiant hæ injectiones, iis abſtinendum & in ipſarum locum ſequens ſubſtituenda.

℞ Hord. integr. p. ss. roſar. rubr. ſummit. hyperic. ana. p. ij. Coqu. ad. ℔. j. In colat. diſſolv. mell. roſat. ℥. ij. fiat injectio.

Si ſanioſum ulcus fuerit adde injectioni aqu. calcis primæ. ℥ ij.

Nota injectionibus nunquam plus æquo tribuendum, quæ quamvis urethram detergant, nunquam tamen proſtatas ubi mali ſedes eſt, attingunt.

His peractis nequid ulceris occulti in partibus reſideat, aquæ thermales vitriolatæ & ferratæ, quales ſunt Vallenſes, Meynenſes & Camaracenſes, Vulgò, *de Vals*, *de Meynes & de Camarets*, quibus ulcera interna à quibuſcumque cauſis generata mirum in modum ſanantur.

Gonorrhœa aliquando tumore & teſticulorum phlogoſi conjuncta reperitur, ob intempeſtivam injectionem, equitationem, exercitium aliquod violentum, ob venæ ſectionem neglectam, aut alium quemvis errorem, adeo ut futura ſit brevi ſuppuratio niſi caveatur. Tunc ab alterutro brachio mittendus ſanguis bis terve, uti ſolemne eſt in inflammatione curanda. Parti affectæ applicetur hoc cataplaſma.

℞. Farinæ fabarum ℔. j. Coq. in oxymel. fiat cataplaſma parti imponendum. Si dolor urgeat, cataplaſma ſequens parabitur.

℞. Panis albi in lacte caprill. macerati & incocti ℥ viij. roſar. ℥. ij. vitell. ovor. n. ii. croci ϑ. j. Miſc. fiat cataplaſma parti affectæ admovendum, & identidem novandum.

Sedato dolore, & coercita inflammatione, tumor reſolvendus cum emplaſtro de Vigo, addito Mercur. quadruplo. Emplaſtrum hoc faſcia ſuſpenſum uno aut altero menſe geſtetur, tumor enim ægrè diſſipatur. Tuberculum ciceris magnitudinem æquans in teſticulis remanet, quod ſuffitu Mercurii aut Cinnabaris recedit. Interim purgationes, decocta, piluiæ, & alia quævis remedia non omittantur.

CAPUT III.

De Bubone Venereo.

BUbo Venereus eſt tumor quidam in inguinum glandulis ab humore virulento & corrumpente productus, quem æger in coitu contraxit, virus enim venereum ramos venæ & aortæ deſcendentis penetrans ſanguinem inficit qui in regione inguinum ſordes ſuas deponens, tumores duros & rubentes parit.

Bubo Venereus à peſtilentiali diſtinguitur, quòd hic cætera peſtis ſymptoma inferat à communi & ſimplici, quod iſtum nullus coitus præceſſerit, & omnis abſit luis venereæ ſuſpicio. Accedit quod bubo venereus aut gonorrhœam, aut cariem pudendorum conjunctam habeat.

Ut perfectè curetur affectio iſta, remediis attrahentibus & emollientibus maturanda ſuppuratio, & ſpecificis ſi quid in partibus corruptum fuerit, tollendum. Imponatur inprimis parti affectæ emplaſtrum galbani in vino diſſoluti. Quod ſi propter odorem teterrimum averſetur æger, ita ut non poſſit addici ut illud emplaſtrum gerat, huic cataplaſma ſequens ſubſtituatur.

℞. Rad. alt. lil. alb. ana ℥ j. ss. fol. malv. lil. pariet. branc. urſin ana M. j. Coqu. contund. & ſetaceo tranſmit. Adde pulpæ quam extraxeris, cæpas cineribus incoctas & contuſ. n. ij. cum oleo lilior. fiat cataplaſma parti applicandum & renovandum bis in die, manè & ſerò.

Interim mittatur ſanguis è malleolo buboni reſpondente. Quo ſanguis commodius affluat ad ſuppurationem, cucurbitula applicetur tumori citra ſcarificationem. Quibus remediis quotidie renovatis ſi bubo non turgeſcat, modò materia benè cocta fuerit cauterio potentiali, aut actuali aperiendus erit, indita turunda aliquo digeſtivo illita, quæ tamdiu ruptum bubonem fervet quoad materia benè cocta & elapſa ſit. Maturari poteſt ſuppuratio impoſito emplaſtro diachylo magno cum gummis.

Aperto bubone, & pure effluente, corpus, bolo, pilulis, aut potione quæ in gonorrhœa deſcripta ſunt, purgetur. Quibus factus, ut ſi quid remanſerit veneni educatur primum, aut ſecundum Antimonii decoctum propinetur, cum pilulis Mercurialibus quemadmodum jam præſcriptum fuit.

Si quid tumoris in inguine ſuperſit, jam cicatriſato bubone, ſignum eſt veneni cujuſdam latentis, & ideò ad Mercurii uſum properandum eſt. Sæpè fit ut bubonis durities nullis remediis emolliatur, & ad tumorem ſkirroſum accedat, tunc Mercurio eſt opus. Nonnullis bubones duros, & immaturos aperire placet unguentis corrumpentibus inditis; ſed methodus iſta ſuo ferè ſucceſſu caret.

CAPUT IV.

De Ulceribus in membro virili increſcentibus, ſive Cancris.

CAncri dicuntur ulcuſcula quædam in pene à cauſa venerea ortum ducentia ab humore ſordido, & corrupto generata, qui mediante pure, & ſemine in coitu adhæreſcens, ulcus uno, aut altero poſt die inibi excitat. Aliquando ejuſmodi ulcuſcula ante decimum, aliquando vigeſimum diem non exoriuntur. Aiquando magnum luis venereæ periculum minantur, qui quò diutiùs venenum latet, parteſque ſenſim corrodit eò faciliùs interiora ſubit, & plura extremo in pene, aut in ipſo præputio ulcera generat, quæ tantò graviora ſunt, quantò pluribus venulis, & arteriolis partes iſtæ abundant, & cruſtulis infarciuntur.

Ut quemadmodum decet curatio promoveatur, educendum eſt virus omne in membro reconditum. Si quod in corpore eſt illud expellendum, aut extinguendum. Exſiccanda denique occurrunt ulcera poſtquam ſuppuraverint.

Appone in primis præcipitatum rubrum unguento baſilico admixtum, linteo, aut linamento exceptum, hac ratione venenum extinguetur, & ſuppurando facilè effluet. Non poſſum illorum methodum non execrari, qui aquam ſtygiam, ſpiritum vitrioli, & aquam ſecundam ulceribus admovent, quia ſic & ulceribus eſcharam multò moleſtiorem inducunt, & venenum repercutiunt quo corpus univerſum brevi occupatur.

Non ſatis eſt ulceribus ſolis mederi, aliarum etiam partium habenda eſt ratio, ut à lue venerea defendantur. Convenit purgatio, qualis in gonorrhœa præſcripta fuit, cum decocto Antimonii aliquandiù continuato, aut opiata Neapolitana Renodæi.

Poſtquam ulcuſcula abundè ſuppuraverint, illa hoc unguento deterges, & exſiccabis.

℞. Mercur. crud. pauca therebinthina extincti, & ung. mundificativi ana ℥ j. ss. Miſce in mortario æneo, fiat unguentum quod ſervetur ad uſum. Si quid duri in ulcere ſuperſit poſteaquam conſolidatum fuerit, indicium eſt veneni latentis, tunc ad Mercurium confugiendum eſt, & etiam ſi ulcera aliquot annis, aut menſibus poſt recurrant.

CAPUT V.

De Verrucis, sive Porris.

VErrucæ, sive porri in glande, aut reliquo pene post coitum nasci solita, à sanguine viscoso & purulento in partibus corrupto, aut illuc per vasa delato proficiscuntur. In ipsorum curatione prodest pulvis sequens.

℞. Mercur. præcip. rubr. ʒ ss. alumin. ust. & sab. ana gr. xv. Misc. fiat pulvis verruccis inspergendus.

In delicatioribus, digestivum aliquod, aut unguentum pomatum pulveri admisceatur quo mitius agat.

Noli interea purgationes negligere, decocta digestiva, opiatam Neapolitanam, & alia id genus remedia. Si frequentius & crebrius verrucæ pullulent, signum est præsentis luis Venereæ, & tunc de illa curanda cogitandum incumbit.

Collyrium Lanfranci.

℞. Vini alb. & aq. rosar. ana ℔. ss. auripigm. myrrh. aloes, ana ʒ ij. virid. ær. ʒ ss. Misc. fiat collyrium quo abluantur ulcera, & fiant injectiones in gonorrhœa.

Opiata Neapolitana Renodæi.

℞. Fol. senn. Orient ʒ j. ss. hermodactil. turpeth. ana ʒ vj. icobis lign. sanct. salsæparill. sassafras ana ʒ. ss. mell. opt. in decoct. rad. chinæ despum. & ad aqueæ humiditatis consumptionem cocti ℔. j. fiat opiata. Datur alternis diebus, & sæpè quotidie manè jejuno stomacho à ʒ. ij. ad ʒ. ss.

ARCANA
LAZARI RIVERII
CONSILIARII, ET MEDICI
REGIS CHRISTIANISSIMI
Et in Monſpelienſi Univerſitate Profeſſoris, nuſquam in lucem edita.

Tinctura noſtra Solis.

CUm multæ, & multæ potabilis auri Receptæ non deliteſcant, quæ auri denominantur à quibuſdam eſſentiæ, modum hunc mihi pariter deſcribere lubet, ut unum ex his, cui adhærere non dubitavi, non ſolum doctiſſimi mei Præceptoris exemplo; verùm, & Petri Joan. Fabri, ſub cujus anni diſciplina manipulationes primum apprehendi, multaque ex ejus pretioſis Arcanis.

Cæteri ſolvunt aurum minimè diſpoſitum, noſtra autem methodus hoc modo colitur.

℞. Aurum in lamina ex puriſſimo, & cum Antimonio ter calcina; ſemper eddendo crudum Antimonium; hinc à cineribus, qui optimè apparebunt, ſegrega, mundificatumque diſſolve in aqua regia juxta diſſolutiones. Diſſolutum aſperge guttatim oleo tartari facto per deliquium, aurum enim in profundo præcipitabitur, tuncque remota aqua per decantationem, crebris aquarum dulcium communium ablutionibus fac acrimoniam removeas, exſicca inde ad Solem, vel ſupra tepidum cinerem, ſed cave ab igne, nam tonans aurum eſt. Mox pulverem diſſolve in ſpiritu ſalis facti ad uſum noſtrum, aut in noſtro vitrioli ſpiritu, reponendo in calore lento per menſem, & tunc omnem dictis ſpiritibus tincturam communicabit. Alterum duorum ſepara addendo novum ſpiritum, donec tingatur, tinctique ſpiritus cuilibet unciæ adde drachmam ſalis tartari volatilis diſſoluti, digerendo in loco calido per dies quindecim. Hinc omnia iterum junge pulveri, qui jam in fundo vaſis remanſit, & Vitrariorum in fornace colloca per dies ſexaginta lento primùm igne; paulatim augendo calorem, poſt quindecim enim dies petrifient omnia, duobus inde elapſis menſibus, ut dictum, ponantur in loco humido in ovo, ut mos eſt, donec diſſolvantur, & aurum eſt noſtrum potabile.

Tanti robur Arcani cæteris longè antecellit, roborat quippe cor, cerebrum, jecur, omneſque noſtri corporis partes, ſed eas præcipuè, quarum eſt attrahere, tranſmutare, alere, ſegregare, expellere & ſimilia. Hoc verum vitæ balſamum ſuſtinetur, hoc ut juvenile ſervatur, ſpiritus adaugentur, ſenectus retardatur, humoremque ne alterum corrumpat efficitur. Omnibus morborum ſpeciebus confert, tum auri vi, cùm fixorum ſalium, qui corporum impuritates per tranſpirationem diſſolvunt. In quibuſvis datur

tur liquoribus à guttis quinque ad octo pro vice.

Tinctura noſtra Lunæ.

Quoniam de auro ſcriptum, pretii ſibi primum locum vendicante, argenti quoque Tincturam hìc ſubdo, utpotè quod non ſolùm pretio, ſed & virtutibus ſecundum alteri accedit.

℞. Puriſſimè cupellatum argentum, aqua forti diſſolve, & oleo tartari fac præcipitet. Poſtquam cum aqua communi laveris, exſicca, & tincturam extrahe cum ſupradictis liquoribus eodem modo ac in auro, & tandem ut ſuprà diſſolve.

Innumeræ ſunt hujus, virtutes, præſertim in morbis capitalibus; confert autem epilepſiæ, quamvis antiquæ, vertigini, hemicraniæ, paralyſi, aliiſque à cerebri infectione devenientibus; nam ſicuti in Macrocoſmo argentum cerebrum Mundi appellatur, ità & hæc Tinctura verum & validius eſt remedium ad capitales affectus. Mirùm hecticos juvat, phthiſicos ſi cum aliis detur ſpecificis, præcipuè cum auro potabili ſupradicto cum aquis adhibetur, ut ſi pro epilepſia, cum aqua hirudinum, &c.

Tinctura noſtra Jovis.

De Jove, ſive ſtanno multi ſaltem ſcribunt; pauci verò ſunt ejuſdem Manipulatores, immò pro ſale Jovis, Saturni extrahunt, ut in pleriſque patet ex hodiernis Profeſſoribus, qui nullam de ſtanno ſubſtantiam promere valent. Hujuſmodi Tinctura fit ut ſequitur.

℞. Purum ſtannum ſine plumbo, & igne calcina in vaſe ferreo ſemper agitando cum ſpatula donec pulverizetur, inde verò igne cimentorum albeſcat, tuncque per menſem in fornace Vitrariorum pone vehementiſſimo igne, vel in igne reverbereo per ſeptem dies. Mox digerens calore lento, aceto ſtillato, tincturam ſepara viridem, quæ tinget, & hac ablata acetum junge Jovi calcinato, in retorta lutata ſepties ſtillando, novumque ſemper addendo acetum ſtillatum. Partem digere ſtillatum eadem calce in loco calido per multos dies, indè filtra, & ſtilla uſque ad ſiccitatem. Fixo ſpiritum vini bene rectificatum, & alkalizatum addens, diſſolves tincturam, tantum verò ſpiritum pones, quo fixum reſolvatur. Mox per octo dies digere, tunc enim ſeparato ſpiritu tinctura remanebit in fundo quæ quidem eſt mirabilis.

His ſimiles Receptas, ſinceras, & claras profectò non invenies, nil quippè eſt, quod pluries manipulationibus non perluſtraverim.

Tinctura hæc omnibus morborum ſpeciebus mirificè confert: nam ſicuti Jovis nomen à juvando trahitur, ità hæc exteriùs & interiùs juvat. Interiùs primum obtinet locum in uterinos affectus, quamvis indomitos, uterum enim confortat, roborat, & mundificat ab impuris, & corruptis ſeminibus tot varia procreantibus; ſuccurrit etiam cerebro, viſceribus, hypochondriis, & cum ſpecificis multùm phthiſicis atque hecticis. Exteriùs omnem plagarum acrimoniam, aut mordacitatem cohibet, atque dulcificat, ipſaſque ad perfectam redigit integritatem. Datur cum liquoribus à ℈. j. ad ℥. ss. pro vice.

Tinctura ſeu eſſentia noſtra Martis.

Plurima de ferro remedia ſcatent, quamquàm hujuſcemodi Tinctura apud paucos in uſu ſit, & tamen ex pretioſioribus eſt, cæterarum verò laborioſiſſima, ſcilicet.

Recipe limaturam ferream, & in crucibulo optimè ignitam extingue aceto ſtillato, id autem pluſquàm tricies, indè fac bulliat in dicto aceto, & calidam filtra per chartam emporeticam. Limaturam exſicca, ignitamque iterùm novo aceto ſtillato extingue ut ſuprà; mox fac bulliat, & percola, quam regulam poſtquam ter iteraveris, aceta filtrata ſtillabis ad ſiccitatem, & addes ſpiritum vini; cæterùm eundem ſervabis ordinem ac in Jove.

Cor-

Cordialis hæc eſt adſtringens, & diſoppilativa, præ cæteris enim confert fluxibus dyſentericis diarrhœis, lienteriis, fluxibus immodicis menſtrualibus, albeſcentibus menſtruis, gonorrhœis, ſputis cruentis, hæmorrhagiis ſanguinis naſi, fluxionibus repentinis cujuslibet corporis partis. In omnibus vulneribus corruptelam non permittit, breviſſimè ſanat; ulcera & plagas mundificat, abſtergit, & deſiccat. Propinatur à ſcrup. j. ℥. ss. cum ſpecificis cordialibus.

Eodem modo Tincturæ fiunt lapidis hæmatitis, ſanguinis draconis, & ſimilium; quæ remedia ſunt pro ſanguine operantia.

Eſſentia noſtra Mercurii.

Mercurii more ſolito ter ſublima vitriolo, & nitro, puriſſimum indè cryſtallinum ſepara. quem poſtquam ſepties iterum ſale communi albo benè decrepitato ſublimaveris, optimè contritum pone in ſagiolo vitreo cum ſpiritu ſalis bene rectificato, qui ſupernatet ſex digitis. Sigillatim digere per quadraginta dies in balneo, indè ſpiritum per decantationem ſepara, & novo iterum ſpiritu ſuperinfuſo per alios 40. dies digere. Hinc ut ſuprà ſepara, & ni ſublimatus omnis diſſolutus, ad novam infuſionem & digeſtionem recurre, donec ferè nihil in fundo remaneat. Digeſtos omnes ſpiritus pone in retorta benè lutata, & cum recipiente ſtilla uſquequò albæ guttæ aſcendant, tunc enim remove, & quater cohoba ſpiritum ſemper ſuper caput mortuum vehementiorem tandem addendo ignem uſque ad ſiccitatem. Quod fixi remanet in fundo, calcina donec albeſcat & more ſolito ſal fiat. Spiritum ſtilla, & ſepara, donec in fundo tinctura ſuperſit, quam ſuo ſali junges calore lento, ut in unum coeant; ſpiritu inde vini dulcifica, in eodem digere, & ſpiritum ſepara, id verò quinquies, ut dulcis evadat.

Hæc ardua eſt ſed morbos evellit ex incurabilibus, dari quippe poteſt in corporibus, ſexu, & ætate qualibet, omnibus morborum generibus, omnes corruptorum morborum ſpecies mundificat in corporis partibus maligna gignentium; ſine moleſtia irritatione, nocumento, aut incommodo operatur, balſamum vitæ ſervat, & fovet; impuritates per tranſpirationem expellit, catarrhos à quovis provenientes exſiccat, & conſumit; opilatis, aut cachecticis ex hypochondriorum, uteri vel corrupti ſanguinis pravis humoribus medetur; hyſtericos juvat tam frigidos, quàm calidos, roborando jecur, & viſcera; infectiones ex lue Venerea antiquas aut novas extrahit, ſkirrhos, ſtrumas, tumoreſve pertinaces exulcerat, & ſanat. Datur in juribus, vitellis ovorum, aut vino à guttis octo ad decem, manè jejuno.

Eſſentia ſeu Tinctura noſtra Coralliorum.

De coralliis infinitæ Receptæ Tincturam docent extrahi, & quomodo fiat ſal, verùm ut plurimum fallunt, & pro Tinctura coralliorum, Tinctura emergit vi balnei, & ingredientium, quæ immiſceri docent. Noſtra hæc eſt, & ſincera, quoties à Manipulatore optimè agitur.

Recipe coralliorum minutim contritorum, & in vaſe vitreo infunde acetum ex illo quod extraxit Antimonii tincturam, indeque per diſtillationem ſeparatum eſt, enim verò nihil aptius hoc pro coralliis, unionibus, oculis cancrorum, corticibus ovorum, lapide opice, bolo Armeno lapide hæmatitis, & ſimilibus. Acetum ſupernatet ſex digitis, & in balneo fervente per aliquot dies corallia diſſolventur, tunc autem ſtilla acetum ad ſiccitatem. Pulverem aquis cordialibus decies, vel duodecies ablue, donec omnis acrimonia, groſſiores partes, & terreæ tollantur, beneque dulcis fiat & clarus cryſtalli ad inſtar. Tunc benè exſicca, & repone ad bibendum, ut dicetur: aliud recipe corallium, immixtoque pari ſale ammoniaco, pone in vaſe ſublimatorio ſublimandum; ſal enim attrahet omnem corralliorum rube-

rubedinem . Salem ſublimatum rubeum pone in ſpiritu vini rectificati alchalizati , & ferventi balneo , paucis diebus ſpiritus omnem ad ſe trahet tincturam ; ſpiritum per diſtillationem ſepara , & remanebit eſſentia , cui addes pulverem fixum ſupradictum , & hæc erit coralliorum eſſentia .

Cordialis eſt , mundificat ſanguinem , ut apparet in leproſis , omni corpori aut morborum ſpeciei conceditur ; fluxibus quibuslibet convenit , ut dictum de Mercurii eſſentia ; cor , & ſtomachum confortat , naturalem calorem reſtaurat , humidumque radicale fortificat ; concretum ſanguinem diſſolvit , vulnera venenata juvat , ulcera maligna , & ſordida . Datur à ʒ. ss. ad unam in jure , vitello ovi , aqua plantaginis , &c.

Eſſentia noſtra Margaritarum .

Eſſentia margaritarum noſtra differt aliquantum ab aliorum deſcriptis , & hæc eſt .

Digere margaritas in aceto dicto antimonii , & diſſolventur celerrimè : fit inde ut ſuprà de corralliis , donec ſal albus evadat , poſtquam ſcilicet per ablutiones acrimoniam reliquit : tunc diſſolve ſpiritus vini alchalizati , & ſepties diſtilla ſemper ſuper caput mortuum ; hinc ſepara ſpiritum , & remanet eſſentia , ut de aliis .

Perfectiſſimum cordiale eſt auro potabili minimè inferius datur enim ad corpora debilia , & languentia reſtauranda , malignis febribus confert , & peſti præ cordialitate , ſyncopas , cerebri paſſiones , apoplexias , epilepſias , paralyſes , vertigines , paſſiones hyſtericas , hypochondriacas repellit . Datur in juribus , vitellis ovorum , vel aquis à ʒ. ss. ad unam .

Eſſentia noſtra Smaragdorum .

Smaragdorum fragmenti minutim pulverizati partem unam nitri , ſulphuris partes tres , poſitas in vaſe fictili calori reſiſtenti calcinabis ; mox dulcificatas aquis tepidis , modò iterum ac ſupra bis calcina novo ſemper nitro , & ſulphure . Poſt tertiam calcinationem & dulcificationem pulverem pone in crucibulo lutato in fornace Vaſariorum , ſeu in igne reverbereo per ſex dies , poſtea in vaſe vitreo ſuprà infunde ſpiritum ſalis rectificati , qui ſupernatet quatuor digitis , & per dies viginti digere in balneo ferventi ; hinc per decantationem fiat in alio vaſe ſeparatio & ſupra fœces infundens novum ſalis ſpiritum iterum digeres , ut ſupra , donec omnis pulvis ſolvatur . Spiritum omnem pone in vaſe optimè obturato , & digere per menſem , quo elapſo leviter ipſum diſtilla , tinctura quippe in fundo remanebit , augetur inde virtus addendo ſpiritum vini alchalizati , & digerendo , mox ſpiritum ſeparando . Eodem modo fit pyroporum eſſentia , hyacinthorum , aliorumque lapidum pretioſorum .

De hac non eſt quid dicam ; potentiſſimum enim cordiale eſt contra venenum malignas febres peſtilentiales omnibuſque cerebri morbis , maniis , apoplexiis , & ſimilibus ſuccurrit .

Eſſentia noſtra Auripigmenti .

Diſſertum eſt perfectum Spagyricum , ex rebus uſualibus , & pretioſis venenum mortiferum extrahere poſſe , ipſumque venenum in perfectiſſima Alexipharmaca convertere , & vera cordialia . Id in auripigmento accidit , quod cum venenum ſit ex mortiferis , mirabilem de illo præ cordialitate eſſentiam depromimus .

Recipe auripigmenti partem unam , nitri rectificati partes tres , de quibus poſitis in fictili vaſe non vitreato , ſed igni reſiſtenti , fac ut mos eſt de croco antimonii . Calcinatas ablutionibus aqua-

rum

rum tepidarum exue nitro ; exſicca inde, & interum novo nitro fac ut ſuprà ; exſiccationem hinc repete poſt novam ablutionem , & additis nitri partibus duabus, duabuſve ſulphuris, incende noviter , & dulcifica, ſed cave à fiamma, & fumo. Poſt tertiam calcinationem, & dulcificationem pone pulverem in cruciolo benè lutato in fornace , aut igne reverbereo per menſem . Mox cum ſpiritu ſalis proceditur, ut dictum de cæteris, digerendo, & cohobando pluries; ſolutis , ſpiritum ſepara ad ſiccitatem , inde cum ſpiritu vini , &c. ut in aliis .

Eſſentia hæc omne venenum validiſſimè expugnat, auroque potabili virtutibus æmulatur, margaritis , corallis , lapidibus pretioſis impura corpora ab omni prava humorum in venis corruptione mundificat . Hujus inter cætera remedia primus locus eſt contra ulcera maligna, gangrænas , aut quaslibet corroſiones : morhæas, tineas evellit unctione. Propinatur in juribus , vel aquis à ℈. j. ad ʒ. j.

Eſſentia noſtra Salis communis.

Salem decrepitatum filtra pluries per chartam emporeticam aqua pluviali , ſepties ſtillata ; humidum exhala , & ex fixato ſpiritum extrahe cum bolo Armeno diligenter ſecundùm artem . Hinc ſuper caput mortuum quater cohoba , & ab impuris rectificatum ſerva , ut inferiùs; mox frange retortam , & ſalem fac ex capite mortuo ſecundum artem benè filtrando , rubeſcet enim , tunc ſpiritu ſupradicto junctis in vaſe benè lutato maſtiche, & ovi albumine in balneo digere ; menſe elapſo bis , vel ter iterum rectifica , indè addito vini ſpiritu alkalizato, & facta nova digeſtione, ſepara ſpiritum vini & remanebit ſalis eſſentia.

Hæc tam cadavera, quàm viva corpora à corruptione præſervat, balſamis pro vulneribus eſt efficacior ; mirum juvat ulcera . Veſicæ calculos, & arenam ſolvit , venas à prava craſſitiei qualitate , vel arenula mundificat , & à ſanguine morbis provenientibus medetur; conglutinat, conſolidat , & ſanat renum , vel veſicæ ulcera ; liene , jecore & viſceribus obſtructos juvat, contra putridas febres maximè valet; cutis infectiones removet, inter quas ſcabies , lentigines , impetigines , ignem ſacrum, herpetes ; cujuſvis generis tumores calidos ſuppurat , frigidos reſolvit quamquàm skirrhoſos? dolores articulares lenit , humidum radicale tuetur , ſenectutem retardat, intellectum acuit. Propinatur in liquoribus à drachma ad duas.

Eſſentia noſtra Salis prunellæ.

Salem prunellæ clariſſimum ſale communi decrepitato immiſce, & eadem fit regula , quæ in ſale communi . Hic à communi virtutibus non differt, præcipuè in febribus.

Eſſentia noſtra Sulphuris.

Primò vitriolum rubifica, addita indè pari ſulphuris parte , pone in novis ollis ſecundùm uſum , & quater ſulphur ſublimetur ; miſce indè ſalem communem decrepitatum , diſſolutum , & coagulatum , terque iterum cum dicto flore ſublima; flos enim ille albeſcet, & erit volatilis, hunc verò ſerva, ut dicetur . Hinc recipe ſpiritum ſulphuris extractum per campanam rectificatum , ipſumque noviter per chalybis limaturam traducens acrimoniam tolle , ita ut aquæ adinſtar dulceſcat . In hoc dulcificato ſpiritu flores ſupra repoſitos immerge , ut ſpiritus quatuor digitis ſupernatet, & in vaſe vitreo benè obturato digere in balneo , ſpiritus enim rubeum colorem aſſumet , ſpiritum per decantationem ſepara, novum addendo, donec ampliùs non tingat : tunc ſpiritum ſepara per diſtillationem , & tinctura in fundo remaneat , cui addens ſpiritum vini alkalizatum digere per plures dies uſquequò ſimùl coeant; mox per diſtillationem ſepara , & in fundo permanebit eſſentia .

Cor-

Cordialiſſima eſt, nihilque hac aptius contra ſpaſmum in vulneribus, etiam cum nervorum reciſione; puncturas, vel cujuslibet animalis morſus curat veneficos, venenum extinguit, vulnera ſanat. Verum balſamum eſt pulmonum affectibus, vel ulceribus; hecticis, phthiſicis, & aſthumaticis ſuccurrit, humidum radicale conſervat, dolores evellit arthriticos, nervos confortat; antiquas, vel novas catarrhorum impuritates conſumit; ſurdis auditum revocat; ſordidis ulceribus confert. Propinatur à ʒ. ss. ad unam in juribus, vel aquis, & exteriùs ex ſe adhibetur; vel unguentis aſſociata.

Eſſentia noſtra Vitrioli.

Vitriolum aſſerunt Philoſophi ſanguinem eſſe Macrocoſmi Mundialis machinæ, & Philoſophorum lapidem ab ipſo fieri volunt, quem tot quæritantes in vinum laborant. In hoc veram arcani univerſalis vim, quæ mineralium ſit anima, conſiſtere affirmant. Verum quidem eſt; quòd ſi rectis manipulationibus Spagyricis ab omnibus mineralium partibus, & ſemimineralium mirificæ emergunt virtutes, mirabilia ex vitriolo extrahuntur, ut apparet ipſum ad Solem tantum calcinatum fluxiones ſanguinis ſiſtere; utuntur etiam multi in diſtantia, ponendo ipſum ſanguini, ad præſervandam partem à corruptela. Hinc patet, quod eò magis polleat ſapientiæ gradibus manipulatus ab impuris mundificatus, & ad perfectionem decoctus.

Recipe vitriolum calcinatum, extracto ſecundùm artem ſpiritu rectifica, fœces in vaſe remanentes aqua ferventi ſolve, hinc filtra, & exſicca, de quibus manipulationibus plures age, ut ſpiritum aliquantum, & ſalem congerere poſſis, ut dictum eſt. Mox ſpiritum ter rectificatum junge ſali, & ſtilla cohobando ſuper illum ſepties, ſemper verò caput mortuum ſolve, & fixa, ut dictum eſt. Salem pone in vaſe calori reſiſtente, igne reverbereo per ſeptem dies donec rubeſcat: tunc autem iterum ſpiritu ſuo benè rectificato adde in vaſe bene obturato, & in Balneo Mariæ fervido digere. Poſt dies quadraginta ſtilla, & rectifica ſepties ſpiritum, ſalemque aqua vitæ rectificata alkalizata diſſolve, & fixa, hinc iterum junge ſpiritum, & digere donec rubeſcat, poſtea ſpiritum ſepara per diſtillationem, ſed in fundo tinctura remaneat, quam novo ſpiritum vini alkalizato addito digere, extracto inde ſpiritu remanet eſſentia.

Nullus hoc clarius dedit contra morbos omnes medicamentum, omne expellit veneni genus, vegetabilis, animalis, aut mineralis; ſpiritus vitales recreat, naturales, & animales. Arcanum hoc eſt à tot celatum tam mirabile, tam univerſale, omnibus morbis, omnibus ætatibus, ambobus ſexibus confert; auro potabili præſtat, Panacæis, vel quolibet alio. Propinatur à ſcrup. j. ad drachm. j. in juribus, vitellis ovorum, vel aliis liquoribus.

Trochiſci Epileptici.

Plerique ſunt cinnabarem mineralem affirmantes, cujus matrem telluris viſcera arbitrantur. A veritate autem longè aberrant, cinnabaris enim mineralis vocatus, hujuſce noſtri umbra tegitur, ne antimonium nominetur. Cinnabaris contra epilepſiam multis ab Auctoribus traditus, mineralis & artificioſus dictus, hoc modo fit.

Recipe caput mortuum, quod de compoſito antimonii butyro ſupereſt, & Mercurium tantumdem ſublimatum adjunge; valde inde vitreo benè lutato, & alembico diſtilla ad uſum. Ad ultimum ignem ſubjice ardentiſſimum, quo vitri collum aſcendet antimonium cinnabaris pulcherrimi adinſtar, qui mineralis erit. Lavatur hic donec dulcificetur, indeque in crucibulo pone igne rotæ aperto tribus horis, ac ter, vel quater ſpiritum vini incende. Ex eo recipe ʒ. j. magiſt. margarit. & corall. an. drachm. j. ss. ambræ griſeæ croc. an. ſcrup. j. unguis Alcis drachm. j. cran. hum. præparat.

abſ-

absque igne drachm. iij. fœcul. pœoniæ nunc. ss. ol. succini distill. mucilag. corn. cerv. & cranii q. s. ad trochiscos componendos, de quibus da à scrup. j. ad drachm. ss. epilepticis, & mira videbis; sæpius enim multis ab experientiis Arcanum hoc est confirmatum.

Caput mortuum nostrum Magistrale.

Recipe caput mortuum aquæ fortis, quæ facta sit de nitro rectificato, & vitriolo bene calcinato, cùmque aqua pluviæ stillata tepida fac lixivium, & salem extrahe secundùm artem: Bis indè iterùm cum aqua dicta stillata resoluto sale eodem usquequò crystalla appareant: sume nitri rectificati partem unam, & duas dicti salis, fusoque nitro in crucibulo igne secundi gradus, salem adjice paulatim, igneque fac liquefacta sint omnia per horas tres. Massam hanc pone in qua forti extracta à supradictis, & pro quacumque libra adjunge florum antimonii ex regula Martis ℥. iij. auri in fol. ℥. iij. coral. margar. corr. ovi, an. ℥. ij. in loco tepido digere quatuor diebus. His peractis, stilla ad siccitatem, & massam, quæ restat pinsa, iterumque aqua vitæ imbibe; octo indè diebus digere, & stilla denuò ad siccitatem. Caput mortuum, quod remanet, serva in ampullis optimè obturatis, de illo enim si à gutt. xii. ad xvi dederis affectus consumes hypochondr. & ex validissimis remediis est contra talem morbum. Omnes expellit obstructionum species, febresque vitiosas, corporibus prodest cachecticis, hydropicos liberat, & similia.

Aureatum Catharticum nostrum.

Recipe aureati nostri ℥. ss. spiritus sulphuris optimè rectificati ℥. iij. digere in loco tepido. Diebus quindecim elapsis per vitream distilla igne arenæ, indèque novies dictum spiritum cum dicto aureato cohoba, atque optimè pulverem lava aquis cordialibus, & exsicca. Dosis erit à gr. iv. ad x. semper unà cum magisteriis mechoacanis, jalapæ, vel scammoneæ, vel extractis, quæ juxta necessitatem convenien.

Pilulæ Antivenereæ.

Recipe calomelanos, magister. lapidis lazuli, extract. rhabarb. sennæ, turbitis spinæ Ponticæ, ana drachm. ii. gum. ligni sancti ad pondus omnium, magister. tartari solut. ol. cinnamomi, ana drachm. j. sem. syrup. de fumaria quant. suff. ad pilulas componendas. Filiciter evellent hæ omnem humoris Venerei radicem, etiam ex ossibus infectis. Dosis à drachm. sem. ad drachm. j. viginti, triginta, vel quadraginta diebus.

Calomelanos nostrum.

Recipe Mercurium bonum, & in retorta pone cum dupla arena optimè permixtum, gradatimque ignem subjice, & in vas transmitte, absque eo quòd ejus os claudas, ut impuræ Mercurii partes in arena permaneant. Sublima indè sale communi decrepitato, secundùm artem, rejectisque fæcibus, sublimato purius illi Mercurio salem iterùm adjungo, iterumque sublima. Projectis inde partibus quæ restant, novo sale sublima puriorem; hoc autem fac septies, & fæcibus denuò sejunctis, retortam colloca in fornace reverbera cum sublimato septimæ vicis, ibique per horas duas relinque igne ardentissimo. Hinc multoties aquis dilue cordialibus, & aqua vitæ juniperina imbibe, quæ supernatet ad digiti mensuram, ipsamque, combure, ter autem id facias.

Catharticum Antimonii cum vitriolo, dictum Catholicum noſtrum.

Recipe antimonii de terræ ſinu fulgentis, auroque colore ſimilis, partem unam, vitrioli rubificati partes duas, pulveriſatæ, & mixtæ in crucibulo poſitæ fac ſimul unà liquefiant. Maſſam indè contere, & in retorta repone optime lutata, cum aceto ſtillato, quod ſupernatet quatuor digitis, caloreque moderato digere 24. horis cum ſuo recipiente. Ignem indè gradatim augeas, & ultimo ardentiſſimum, ut omnis ſpiritus exeat, moderato igne evaporabitur, donec pinguis tinctura ſuperſit. Tunc recipe extract. rhabarb. ſennæ, jalappæ, turbit. hellebor. nigr. an. drachm. j. extract. aloes unc. j. eſſent. junip. & cort. citr. ana drachm. ij. additaque unc. ſem. tincturæ ſuprad. ſimul omnia digere moderato calore, indeque reduc ad conſiſtentiam in formam extracti; optimum enim habebis catharticum contra omnes febrium ſpecies mirabile, tam acutarum, quàm intermittentium, omnibuſque antecellit cæterorum Panchymagogis. Doſis erit à gr. viij. ad xv. juxta vires.

Trochiſci noſtri contra Carbones.

Recipe fœces reguli communis vulgaris, & in loco humido colloca ſupra marmor, ſubterque vaſe, locum autem illum pluvia diluere nequeat, ſed ſolus aer penetret, & in ol. diſſolvetur. Hoc igne lento exhala, & ſal fiet pungentiſſimus, de quo recipe unc. j. ſublimati de Mercurio unc. j. farinæ hordei, & lentis an. unc. ij. gummi tragacant. drach. ij. liquefactæ in aqua roſ. trochiſcoſque compone, qui omnes curant carbones, & peccantem corrodunt carnem mirificè.

Pulvis noſter Antihecticus.

Recipe reguli ſtellati Martis, & jovis Angli an. partem unam, pulveriza, & miſce cum tribus partibus nitrii rectificati, & ſecundùm artem calcina. Aqua inde fervida omnium remove ſalſedinem ſecundùm uſum, & pulverem illum album pone iterum in fornace reverberea tribus diebus, vel in fornace Vitrariorum, aut figulorum, atque inde iterùm aqua imbibe vitæ rectificata, quam accendens ad comburendum, hoc autem ter facias. Hinc recipe de illo unc. j. pulv. viperarum ad uſum unc. ſem. ſalviæ ſiccæ pulverizatæ unc. j. ſem. ranas inde vivas conjice in ollam clauſam uſquequò moriantur, & tunc in clibano fac areant donec in pulverem converti poſſint, & de his unc. iij. immiſce ſupradictis. De compoſito hoc da quadraginta diebus à drachm. ß. ad drachm. ij.

Aqua vitæ noſtra contra dolores Arthriticos.

Recipe ivæ arthriticæ manip. iiij. fol. cupreſſi, ſalviæ, roſmar. ſpicæ, urticæ an. manip. j. cort. ulmi, fol. ejuſdem, cort. hedereæ an. unc. ij. ebuli manip. ij. Hæc omnia contrita infunde in lib. 20. vini generoſi, indèque diſtilla, & extrahe quartam partem. Extractæ illi aquæ vitæ dimidium dictæ ejuſdem doſis herbarum ſupradictarum viridium adjunge, cum lib. ij. lumbricorum, quos anteà vino benè ablueris, & lib. iij. adipis canini, atque tunc iterum diſtilla, extrahendo dimidium. Tertiam indè partem iterùm adjice ſupradictorum, herbarum nempè, vermium, & adipis, iterumque diſtillans extrahe tertiam partem. Hæc autem perfecta erit aqua vitæ, quæ ad confortandum, & reſolvendum optima eſt in omnibus morbis articularibus, & podagris.

Anodynum, ſive Narcoticum noſtrum vitrioli.

Recipe vitrioli Romani, & tartari ana lib. j. limaturæ chalybis ℔. ſem. pulverizatum vitriolum, & tart. pone in vitrea cucurbita, ſimul priùs mixta, atque indè imbibe aceto ſtillato, duobus digitis ſupernatante, & digere tribus diebus. His elapſis igne moderato congela, & aceto imbibe, ut ſuprà, ſupradictumque ordinem ſequere. Poſtquàm congelaveris, adde acetum ſtillatum, quòd ſupernatet ſex digitis, & calore lento celerrimè rubeum accipiet colorem. Hinc novum pone acetum uſque quò extrahatur tinctura, indèque aceto oleum adjunge tartari factum per deliquium, omne enim ſulphure in infimam vitri partem eo modo deſcendet. Tunc benè exſiccabis, ipſumque immerges in tres ℔. aquæ vitæ rectificatæ: vas indè benè obturatum maſtiche, & ovi albumine colloca in fimo equino calido, quem mutabis quibuslibet quatuor diebus. Poſt quadraginta dies ſtilla, tincturam verò relictam in parte infimi vitris ſervabis juxta uſum tincturarum. Hoc autem verum erit Narcoticum ad omnes febres acutas, ardentes, & malignas propulſandas potentiſſimum, præcipuè in deliriis. Contra etiam paſſiones hyſtericas, dolores colicos, nephriticos, omneſque morbos in quibus datur laudan. nepent. hoc tutius eſt. Doſis à gut. v. ad xij.

Aureatum noſtrum.

Recipe auri in fol. unc. j. antim. crud. unc. iv. miſce, & in crucibulo funde ſimul, ſed æquali calore non fluctuanti, ne igne nimio regulus ſeparetur. Poſtquam liquefeceris, fac frigeſcat, & minutatim contere, indèque lento igne paulatim calcina eo modo, quo fit vitro calcinato, ſemper miſcens virga ferrea. Tunc autem calcinatum erit, dum antimon. cum auro valde album evaſerit, neque ullo modo agglomerabitur, & nec impoſitis carbonibus accenſis fumum attollat. Vitrum indè fit poſita calce in crucibulo igne fuſionis vehemente per horam, tuncque perfectum eſt, cùm vitrificatum apparet colore pyropi perlucidum.

Manipulatio quidem aliquantum difficilis, fallitque artifices aliquando. Clarior via ad compoſitionem hujuſce Arcani patebit in alio Opere, quod luci tradam, illud enim Tyronum proprium explicabo. Præparatio hæc opulentior eſt auro illo, quam ſcribit Crollius, Sennertus, Schroderus, & alii, ita etiam cordialior. Aureatum tandem eſt evomitivum, & ſolutivum, inter verò cætera evomitiva primum ſibi locum vindicat, aurum quippe illud cor tuetur, & viſcera. Calcem Chymicam virtutibus non ſolum æquat, ſed antecellit, ipſiuſque doſis à g. ij. ad v.

Aqua Catholica noſtra.

Recipe ſucc. brioniæ, ſpinæ Ponticæ, chelidoniæ, roſar. ſylveſtrium, cortic. ſambuci, ebuli, chamædryos, ana ℥. ij. ſpiritus vini rectificati ℔. ij. Digere duobus diebus, inde ſtilla, & aquæ illi ſtillatæ adde extract. rhabarb. agarici, ſennæ, gratiolæ, ana ʒ ss. magiſter. mechoacanis ʒ. iij. magiſter. tartar. ſolutiv. ʒ. ij. cinnamom. maſtich. zinziber. aniſi, ana ʒ. ss. ſpiritus vitrioli ſtybiati ʒ. vj. & digere in fimo equino. Poſt dies 24. percola, & in vaſe optimè obturato ſerva.

Catholica hæc vocatur, quia verè agit abſque nauſea, & in omnibus morbis in quibus purgatio requiritur, ipſa maximè prodeſt; ſumitur autem vel cum jure, vel cum vino, vel etiam aqua. Doſis à ʒ. j. ad iij. aut iv. ad ſummum.

Trochiſci primi noſtri Alexipharmaci.

Recipe bezoard. ſapid. Orient. cornu cervi præparat. bezoard. Jovial. ejuſdem mineral. unicorn. veri, rhinocerotis, ana ʒ. ij. terræ Melitenſis, boli Armenæ lutei, terræ Bohemiæ, Mundavii colorati, ſigilli Lemnii, ana ʒ. ss. con-

tra-

trayervæ drach. v. ſpodii, fragmentorum omnium lapidum pretioſior. præparat. ana drach. ss. magiſter. margaritar. corall. omnium, & dentium aprorum, an. drach. j. auri fol. 20. Pulverizentur omnia, & cum mucilag. cornu cervi fiant trochiſci.

Ab omnibus venenis liberant, febribuſque malignis, & erraticis, contra fluxus menſtruorum, ſputum, & vomitum ſanguinis, pleuritidem, cordialgiam mirifica ſunt, maximèque mulieribus gravidis proſunt de abortu dubitantibus, Doſis à ℈. ss. ad gr. xx. cum ſpecificis

Trochiſci ſecundi viperini Alexipharmaci.

Recipe anthoræ, vincetoxici, ſcorzoneræ, contrayervæ, cortic. citrin. ana drach. j. pulver. viperini drach. ss. unicornu veri, lapid. bezoard. Rhinocerotis, oſſis cornu cervi; ana drach. ss. Bezoard. Jovial. cryſtalli rub. præparat. ana drach. j. Pulverizentur, & cum glutine cornu cervi fiant trochiſci, qui peticulas, venena, febres malignas, poſtulas, morbillos, & ſimilia conſumunt. Doſis à ℈. j. ad drach. ss.

Trochiſci noſtri tertii Alexipharmaci.

Recipe radic. tormentillæ, angelicæ, carlinæ, vincetoxici, gentianæ, contrahyervæ, anthoræ, ſcorzoneræ, imperatoriæ, ana drach. j. baccar. lauri, juniperi, ana ʒ. j. hederæ ʒ. ss. cinnamom. ſantalorum citrinorum, lign. aloes, ana ℈. ij. oſſis de corde cervi ʒ. ss. Hæc omnia triturabis, & in vaſe vitreo irrorabis, eſſent. theriacæ drach. iij. Addantur cryſtalli rub. præparat. ſmaragdorum præparat. lapid. bezoardic. Oriente magiſter. margarit. unicornu veri, ana ℈. j. magiſter. carabum, ſal. Jovis, foliorum auri, ana gr. xxv. glutinis cornu cervi, & mucilag. tragacant. fact. in aqua florum mali medici q. ſ. F. paſtil. ſec. artem.

Hæc peſtem, morbos peſtilentiales, febreſque malignas expellit, omnibus cordis prodeſt ſyncopationibus, contraque arſenicalia, & ſimilia venena potentiſſima eſt: cujus doſis à ℈. j. ad drach. ss.

Balſamum vitæ, ſive cordiale noſtrum.

Recipe Panacææ univerſalis, eſſent. auri & argenti, ana drach. ij. eſſent. ambræ griſeæ gr. xxv. eſſent. margarit. ʒ. iij. tincturæ viperarum ʒ ss. eſſent. ſang. cerv. ʒ. j. miſce: & adde opobalſ. veri Orient. gr. iv. & maximum eſt cordiale ad naturam confortandam: doſis à ℈. ss. ad unum

Balſamum ſalutis noſtrum.

Recipe eſſent. ambræ griſeæ factæ cùm ſpiritu roſarum, quint. eſſent. roſarum, eſſent. bacc. juniperi, & cortic. citrin. ana ℈. j. oleor. flor. mali medici ℈. ss. Miſc. & detur cum ſaccharo roſato ſimplici à gutt. 2. ad 6.

Bezoardicum Minerale noſtrum.

Bezoardicum minerale noſtrum parum à communi differt, quod Chymici componunt, correctius autem eſt, & tutius quia correctio antimon. & Mercurii eſt dum ab omni mala qualitate vitiorum expurgetur igne.

℞. Reguli vulgaris antimonii, ſed ex illo, quod in ardentiſſimo igne fuerit, poſtquam purificatum, per horas 16. & Mercur. ſublimati, ex illo facto de Calomelano, & per alembicum deſtilla ſec. uſum, extrahens butyrum ſicuti in Bezoard. mineral. ſcriptis ab aliis Auctoribus. Dulcifica inde abluens multoties aqua tepida, & calore temperato exſicca. Exſiccatum imbibe ſpiritu nitri, qui ſupernatet quatuor digitis, & diſtilla, indèque ter cohoba, iterùmque dulcifica ut anteà. Dulcificatum pone in vaſe fictili, igni verè reſiſtenti, ignèmque circum tribus diebus accende; hæc enim vera eſt decoctio. Spiritum inde vini imbibe, qui ſupra quinquies accenditur, tuncque certus eris optimum, & perfectum habere Bezoardicum.

Hoc illud eſt mei Præceptoris, & ſi animadverteris in cæterorum compoſitione, tanta non adhibetur aſſiduitas. Utebatur ipſe in ſingulis juribus ☉. j. pro vice, ut ex ejus, & meis patet Obſervationibus; quia verò correctum eſt, & concoctum, ita ut nunquam noceat, omnibus dabat laborantibus non ſolum febre maligna, acuta, & peſtilentiali, ſed & cachexia, variolis, morbillis, & aliis morbis; doſi à ☉. ss. ad ☉. j.

Bezoardicum Joviale noſtrum.

Eodem modo ac ſupradictum componitur hoc, nulla re excluſa, ſed ſolum differt in compoſitione, primò enim fit regulus Martis ſtellatus, & per ignem cum pari Jove de perfectiore conjungitur, & cum ſupradicto Mercurio ſublimato de Calomelano. Cæterùm nihil penitùs ordinem prætermittas, pro ſuprad. Minerale factum eſt. Ita enim illud, eſt quod uſu mei dicti Præceptoris celebratur, quodque dabat ipſe, & do in omnibus morbis deſperatis à ☉. ss. ad ☽. ss.

Alia fiunt Bezoardica Solaria, auro addito, lunaria, Luna, ita etiam de cæteris, ut ab aliis ſcribuntur Auctoribus. Satius autem arbitror ab igne non diſcedere, & modo illo quem propoſui in minerali Bezoardico; ſi enim ſecus fiat, integra non pollebunt perfectione. Florum croci, & aurati correcti, correctio hoc modo fit. Recipe florem crocem, aut vitrum, & in retorta pone cum ſpiritu vitrioli rectificati ad dirigendum quinque diebus in loco calido moderato. Stilla inde ad ſiccitatem, & ſex aliis vicibus cohoba ſemper ſtillans ad ſiccitatem. Hoc aquis cordialibus dulcifica, & exſiccatum imbibe aqua vitæ generoſa, quæ quinquies ſupra incenditur; modus enim hic multum corrigit Antimonium, correctique hi tali pacto componuntur.

Appendix.

Non exiguum Bezoardicorum portentum minimè prætermittendum arbitratus, Appendicem hanc ſtatui, in qua pulcherrimum quidem Venetiarum eventum percurrere, lector, ne dedigneris. Jo: Baptiſtam Tola inviſerem juſſit ægrotantem Illuſtriſſimus, atque excellentiſſimus D. Andreas Donatus Sereniſſimus hujus Reipublicæ Senator præſtantiſſimus, cujus humanitati maxime devincior. Acceſſi; ipſumque inveni annorum circa ſexaginta quinque, temperamenti aduſti, melancholici, vinis generoſis jam antea plurimum delirium, tunc verò à ſeptem diebus febre continua maligna laborantem, à fumis capite occupatum, & obſcura delirio; pulſus tremulus erat, & parvus, urina turbida, & groſſa, oculi tenebroſi, ferè vitrei, vires abjectiſſimæ, tandem, ut multa in unum contraham, ex ſignis omnibus, quæ apparebant mortalia, vitæ utpote deſperato conclamavi unà cum Excellentiſſ. Medico, qui multa juxta canonicum uſum oportunè remedia exhibuerat. Non niſi cordialibus ſuccurrendum eſſe ambo cenſuimus, breviſſimamque ad mortem periodum ſupereſſe domeſticis prænunciavimus. Attamen ab Excellentiſſ. Medico poſtulavi an optimum duceret hoc ultimum quoque tentare, Bezoardica ſcilicet Solaria, & Jovialia ægro exhibere, multoties enim in hujuſmodi caſibus benefici ſcatent eventus, cogunt quippe Bezoardica naturam ad ea expellenda per ſudorem, urinam, aut ſeceſſum, quæ miſerum prope ad mortem impellunt. Opinionem hanc meam confirmavit ille, juſſitque continuò grana ſex Solarium, & ſex Jovialium cum aliis cordialibus; miſit autem ad Reverendiſſ. P. Præfectum Servitarum, Spagyricum optimum perfectumque Manipulatorem, ut ſupradicta concederet. Sumpſit æger, & multam per ſeceſſum ejecit atram bilem, verùm ex ea convulſione vires exhauſtæ omni penitùs deſtitutæ ſunt vi, majoriſque debi-

lita-

litatis edidere ſigna, ex quo, perterritis domeſticis, filius Presbyter ad me ſe contulit iracundia non ſolùm ſuccenſum, ſed & Medici verbis ex Bezoardicorum pulvere illo mortem provenientem ſignificantibus, qui quamvis ex eo minimè fieri poſſe ſciret, nihilominus à repentino motus periculo culpam in me conferre curabat. Filius, inquam, mihi tale ſcelus exprobrans minis de genitoris cæde accuſabat. Demum talis evacuatio, Omnipotentis permiſſione, atram bilem tranſmiſit, quam natura ex ſe non valebat, ideòque mortuum, ut ita dicam, novam in ſalutis lucem revocavit. Hinc dum aliqua in conſultatione adſum, nunquam à cæterorum diverſam expono propoſitionem, certus minimum eveniendum malum mihi crimini fore tribuendum.

Extractum noſtrum Antipleuriticum.

Recipe extracti flor. papaver. errat. ℥. ij. malvæ arboreæ rubræ, gummi extracti de ligno quercino, ana ℥. j. ss. pleuræ humanæ, vel apri ℥. ij. limaturæ dentis apri ℥. iij. maxillarum aſelli piſcis ℥. j. ss. unicornu veri, magiſter. corall. corticum interior. avellana flor. buxi, ſalis prunellæ, ana ℥. j. Fiat maſſa cum extract. ſupradictis, compoſitum portentoſum pro pleuritide. Doſis à ℈. j. ad ℥. ss.

Extractum Hyſtericum noſtrum.

Recipe extract. artemiſ. matricar. ana ℥ iij. extract. ſabinæ, & bacc. junip. ana ℥ j. fœcul. aronis ℥. ss. fœcul. brioniæ ℥. ij. extract. nepetæ, & azari, ana ℥. j. ss. magiſter. carabum ℥. iv. ſal. Jovis ℈. iv. ſem. ſeſeleos, nepentes, ana ℈. iij. ſem. ameos, rutæ, carvi, aniſi, cardamomi, ana ℥. ij. caſtorei ℈. iv. Miſc. & da à ℥. ss. ad ℥. ij. in paſſionibus enim hyſtericis magnoperè prodeſt.

Extractum Nephriticum noſtrum.

Recipe herbæ Turcicæ ſiccæ manip. iij. eryng. reſtæ-bovis, bardanæ, ana manip. j. baccar. junip. & lauri, ana ℥. ij. ſem. de milio Solis, urticæ, cepæ, ſaxifrag. aniſi, fœnicul. ana ℥. ij. De his omnibus fac extractum ſec. artem, indèque adde magiſter. lapid. Judaici, cryſtallin. de monte, oculorum cancrorum, cortic. ovorum, ſal. cortic. fabæ, ſal. flor. ammoniaci, ana ℥. j. Hæc fermenta ſimul, & magnum remedium eſt contra nephriticos dolores. Doſis à ℈. j. ad ℥. ss.

Extractum Aureatum noſtrum.

Recip. bacc. junip. bacc. lauri, amygdalarum perſici, ana ℥. iv. flor. nucum, ſambuci, uvæ ſylveſtris, herb. calamenti, origani, pulegii, ana manip. j. ſem. dauci, aniſi, fœniculi, cymini, ana ℥. ij. cinnamomi, caryophyllorum, ana ℥. ss. lign. aloes ℥. j. Fac. extract. ſec. artem, inde adde balſami Peruviani impetriti, ol. moſchatæ, ol. ætherei terebinthinæ, ana ℥. ss. M. & ſimul fermenta. Doſis à ℥. j. ad ℥. ij.

Diaphoreticum Aureatum noſtrum.

Multis ab Auctoribus hoc ſcribitur eſſe ſulphur illud, quod eſt in Reguli fœcibus vulgaris, quo contrito, ebullito cum aceto præcipitatur ſulphur in inferiori parte, inde verò multoties abluto, & exſiccato utuntur ad ſanguinem mundificandum, ſudorem provocandum. Correctius autem noſtrum eſt, quia ſupradictis omnibus peractis, calcinatur iterum in fornace horis 24. vel igne rotæ, donec dealbeſcat unà cum quarta parte auri tonantis. Digeritur indè aqua vitæ ardenti, quæ ter ſuperincenditur; tuncque optimum Diaphoreticum eſt in pleuritide, & febribus peſtilentialibus; datur autem à gr. xvi. ad xx.

Diaphoreticum commune noſtrum.

Regulus, hoc eſt vulgaris, tercalcinatur, ſemper cum duplo nitro rectificato, indeque dulcificatur, & aqua vitæ ſuperincenſa. Datur hoc à ℈. j. ad ʒ. ss. vel etiam ʒ. j. contra omnes morbos chronicos, in quibus per ſudorem operatur, vel inſenſibilem tranſpirationem.

Diaphoreticum fixum noſtrum.

Pulvis eſt fixus P. Baſilii Valentini, quem ipſe univerſalem proponit, nomine etiam interdum Panacææ fixæ Balii, ſcriptæ in Curru Triumphali Antimonii ejuſdem Auctoris.

Panacæa liquida noſtra univerſalis cum auro.

Recipe auri foliati ʒ. j. & calcina cum ſulphure in igne circulatorio per horas 8. quater ſulphur addens. Aqua inde calida dilue, exſiccatumque conjunge cum oleo antimon. facto tali modo: ℞. Reguli de antimon. Mercurii ſublimati, ana ʒ. iv. Miſce bene in Mortario, ſtillaque per retortam, ſicuti fit ol. glaciale, ſive butyrum antimon. ignem adde gradatim, donec in butyr. convertatur, appoſitis etiam carbonibus ad collum retortæ. Butyrum illud pone in Cella vinaria ſupra lapidem cum vaſe in quo guttatim cadat, & ol. fiet, cujus ʒ. adde ʒ. j. auri calcinati per cimentum, ut ſuprà. Vas inde repone in loco calido, digerens per menſem, tingetur enim in aureum colorem. Hinc adde ſpiritum vini rectificati, & iterum in calore colloca, ubi aqua vitæ ſibi omne aurum attrahet. Percola, & aqua vitæ iterum addita donec tingatur, ol. exhala; nam pulvis remanebit. Hunc unà cum ʒ. viij antim. crudi & ʒ. xx. olei de nitro facti per deliquium pones in vaſe, quod bene obturabis, ad digerendum. Poſt menſem adde ℔. ij. ſpiritus vini rectificati, & iterum digere brevi enim tinctura monſtruoſpoliabitur, ſicuti antea. Spiritum hunc cum illo auri conjunge, & alium iterum ſpiritum adde ſupra ol. nitri, donec color. detergatur; remanere enim debet ſicut erat cum poſitum primum fuit. Tunc ſpiritus hoſce tinctos per papyrum emporeticam, & per cinerem ſtilla paulatim, uſquequo tibi ʒ. jv. tincturæ reſtent in inferiori parte retortæ. Atque hæc eſt noſtra liquida Panacæa univerſalis, quæ per tranſpirationem operatur, facultateſque vitales facile impellit ad ea facienda, quibus indiget natura, abſque eo quod noceat. Hectici multi, phthiſici & hydropici per hanc à me curati ſalutem adepti ſunt, dari autem de ipſa poteſt à gutt. viij. ad xx. cum ſpecificis, & juxta vires citò vel ſerò operatur.

Tinctura noſtra, ſive oleum verum Antimonii dulcis.

Recipe vitri antimon. hyacinthini clari ʒ. jv. olei nitri facti per deliquium ʒ. viij. contritumque hyacinthinum oleo immiſce ſupradicto in vaſe vitreo bene obturato, temperatoque, & æquali igne digere per menſem; oleum enim illud fiet rubicundum. Tunc adde ſpiritum vini rectificati, ut in Panacæa liq. ſuprad. factum eſt, donec tinctura oleum ſpolietur. Spiritum inde, & tincturam extrahe, quæ in inferiori parte reſtat. Pretioſum eſt contra omnes morborum ſpecies, paulòque inferiùs ſupradictæ Panaceæ. In vulneribus, & ulceribus corroſivis, aliiſque perniciofis morbis maximè prodeſt. Ipſius doſis à gutt. viij. ad x. in vino, vel aliis ſpecificis. Hoc corpora renovari & reviviſcere ſcribit Baſilius, & alii, mundificat enim omnem humoris impuritatem, quæ ſanguinem polluit, & cordialiſmum eſt. Hydropicis, cakecticis, hecticis, phthiſicis, omnibuſque infirmitatibus mirum in modum confert.

Alii multi de hac ſcripſerunt, non verò facile adeò ad agendum, ſi enim manipulationem obſervabis, menſtruum hoc non eſt cur ſtilles, impoſita

quip-

quippe aqua vitæ removetur, & aliis inſervit ſolutionibus.

Tincturæ aliæ modo eodem fiunt, omneſque optimè, hæ autem duæ cæteris præſtant. Illa pariter, quæ ex antimon. crudo extrahitur, mirifica eſt, nitrum quippe ſimplex attrahit tincturam, & ignis nihil de ipſo conſumpſit; dicitur autem Panacæa. A regulo vulgari extrahitur tertii gradus, ab electris, à regulo Martis, à regulo Jovis, à croc. metall. à flor. antimon. à calcinationibus ejuſdem, & ſi cum dicto menſtruo extrahatur, multò melior evadet, quàm ex acetis ſtillatis, aliiſque liquoribus. Ejus doſis à ℈. ss. ad. ℈. j.

Olea noſtra corroſiva ſunt, oleum nempe glaciale, hoc eſt butyrum illud, quod dixi ad aurum ſolvendum, atque hoc malam omnem carnem corrodit. Alterum liquor eſt, qui per deliquium fit ex fœcibus reguli vulgaris.

Eſſentiæ à pleriſque habentur illæ, quas nomine tincturarum, vel extractionum appello, eſſentias verò dico eas, quæ hoc fiunt modo: ℞. De ſimplice illo ex quo eſſentiam vis extrahere, flores, cortices, ſem. & radic. ſi omnes habere potes atque hæc macera in ſpiritu vini rectific. duobus diebus: inde ſtilla ad ſiccitatem. Hinc ſpiritum illum imbibe iterum herbis vel floribus ejuſdem, iterumque digere in vaſe benè obturato, ſtillaque denuò, bis autem iterum, eundem ſequere modum. Illum tunc circula, & eſſentia erit vegetabilis, quod adhibueris. Quibus plerumque utor, ſunt de abſinthio, menta roſmar. ſalvia, ſpica, calendula, lilio convallium, flor. tiliæ, flor. pæoniæ, lign. quercin. angelica, carlina vincetoxico, chelidonia, euphraſia, biſtorta, tormentilla, contrahierva, bacc. lauri, bacc. junip. aniſi, fœnicul. cymino, ſem. paſtinacæ, dauco, cardamomo, galanga, cort. citr. & aliis.

Quintæ Eſſentiæ.

Secus ac ſupradictæ fiunt hæ; fermentantur enim primò res, ut tot alii ſcribunt, indeque per diſtillationes oleum ſeparatur, quod ſeparatum vera eſt quinta eſſentia. Tincturæ liquidæ ſunt extractæ de ſpiritu vini, exhalando ipſius partem. Extractæ nonnullæ ſtillatis aquis liquorum acidorum auxilio. Illæ de mineralibus, & ſemineralibus extractæ ſunt cum ſuis menſtruis appropriatis. In Manipulario noſtro de his apertè patebit.

Elixyr.

Cùm nominentur hæc in obſervationibus noſtris neceſſe eſt ideo ipſorum aliqua explicare. Elixyr proprietatis ad uſum Crollii ſemper feci, optimoſque teſtari poſſum effectus. Addo ego cum illo eſſent. abſynthii & menthæ, elixyr verbi gratia ℥. ji. eſſent. abſynthii, & menthæ, ana ℥. j. digere ſimul, ipſoque utere: magnum enim eſt ſtomachale. Ita etiam eidem addo eſſent. Chelidoniæ, cymbalariæ, armoraciæ, naſturtii, ſynapis, limacum, an. partes æquales, & digero per menſem, de quo datur ℈. j. ad. ℥. ss. contra affectus omnes atrabilares, ſcorbuticos, hypochondriacos, exitu feliciſſimo.

Elixyr Antiſcorbuticum, & contra Hypochondriacos affectus.

Recipe elixyr proprietatis lib. ij. eſſent. carab. ℥. ij. eſſent. cort. cappar. cortic. tamariſci, eſſent. cortic. mediani faxini, ana ℥. ss. radic. dictam. alb. rhapontici, polypodii, ſcorzoneræ, filicis, acori ana ℥. ij. naſturtii aquat. ſedi muralis chamædryos, chelidoniæ, ceterac, linguæ cervinæ, agrimoniæ, aggerati, corymbiferi cum floribus, hepaticæ, fumariæ, flor. geniſtæ, centaureæ, hyperici, ana manip. ij. ſem. geniſtæ fœnic. amar. ana ℥. ss. ligni ſancti raſpati cortic. ejuſdem ana ℥. iv. ſalſæparillæ, ℥. j. ss. lign. ſaſſafras ℥. iv. ſalis tart. ℥. ss. Triturata infunde omnia in ſpiritus vini bene rectificati, & flammati q. ſ. uſquequo benè imbibantur, & duobus digitis ſupernatet, digerens per dies 8. Stilla inde, & novam

in ſtillato repete compoſitionem, ut ſupra. Pro hypochondriacis mirabile eſt, & pro his, qui frigidis affliguntur tumoribus. Doſis à ℈. j. ad ʒ. ss. in rebus appropriatis.

Elixyr Nephriticum.

Recipe ligni nephritici veri ʒ. ij. ss. camomillæ, meliloti, hederæ terreſtris, virgæ aureæ, veronicæ, hypericonis, cum ſem. & flor. herniariæ, quæ herb. Turcic. ana manip. iij. radic. ononidis, pimpinellæ, ſaxifragiæ, armoraciæ, ſem. cynosbati, milii ſolis ana ʒ. ij. alkekengi iij. bacc. junip. & hederæ, ana ʒ. j. ss. Contrita omnia in vaſe infunde benè obturato, cum ſpiritu vini therebinthinato, qui digitis quatuor ſupernatet, & octo diebus digere, inde ſtilla; ſupradicta iterum viridia infundens fac ut ſupra, cujus doſis à ℈. j. ad ʒ. ss. & pro arenulæ morbo, & calculorum, proque ipſo calculo optimum eſt.

Elixyr Uterinum.

Recipe artemiſ. herb. Turcic. matricar. pulegii, calamenti, ana manipul. j. cortic. fraxini, & ſabinæ, an. ʒ iij. cortic. citrii, & mali medici, ana ʒ. ss. radic. vincetoxici, ariſtolochiæ, pœoniæ, rub. tinctorum, brioniæ, ireos, dictam. alb. zedoariæ, ſem. aniſi, cardamomi, ana ʒ. ss. ocymi ʒ. ij. bacc. lauri ʒ ij. zingiber. cinnamomi, nucis moſchatæ, croci ana ʒ. j. Omnia triturata digere cum ſpiritus vini alkalizati ℔. iij. in vaſe vitreo bene obturato, & loco calido, nempe fimo equino, ſive balneo Mariæ. Poſt dies 14. ſtilla per balneum Mariæ, addeque inde ℔. j. novi vini ſpiritus fœcibus, quæ in ſtillatorio remanſerunt, iterùmque digere in loco calido. Poſt octo dies ſepara per inclinationem ſpiritum tinctum, lentiſſimoque igne tincturam exhala, donec mellaginoſam convertatur in formam. Primo hanc adde diſtillato, fœces in cinere incende, & aqua artemiſiæ ſalem extrahe, qui ſupradicto Elixyr adjungitur unà cum ʒ. j. tincturæ Jovis. Divinitùs operatur in uterinis affectibus, omnibuſque morbis, qui ab utero trahunt originem. Doſis à drachm. ss. ad drachm. j. in liquore appropriato, & multis poteſt adhiberi diebus juxta ægroti neceſſitatem.

Extractum noſtrum Antiepilepticum.

Recipe extracti cranii humani facti ſec. uſum ʒ. ss. extract. buxi, radic. & ſem. pœoniæ, ligni quercini flor. lil. conval. & flor. tiliæ, ana drach. ij. mucilagin. cornu cervi, de primo anno drach. iij. lapid. veri bezoar. Orient. unicornu veri, unguis veri Alcis, ana drach. j. extracti hirundinum, & picarum, priuſquam è nidis diſcedant, ſtercoris pavonis, ana drach. j. ss. narcotici de vitriolo, ſalis Lunæ, ſuccini, ana ʒ. ij. magiſter. margarit. corall. & ſapphirorum, flor. aſſium odorifer. balſam. Peruviani in petra, ana drach. ss. diaphoretici fixi de antimonio noſtro ʒ ss. tincturæ noſtræ univerſalis de antimonio auro cum drach. iij. Miſce, & fac compoſitum, de quo vel in pilulas, vel in liquore appropriato dabis à ℈. ss. ad drachm. ss. pro vice quindecim diebus, matutino tempore, Luna deficiente.

Hoc multi liberati omninò ſunt epileptici, quamvis etiam nonnullis dederim per menſes integros, cui plus, cui minus. Si verò laboriosum, & magni ſumptus eſt, inter potentiora locum ſibi vindicat. Uſu eodem optimum eſt contra Hemicranias, Paralyſes, Apoplexias, & morbos capitales ex intemperie frigida productos.

Tinctura noſtra Polycreſta.

Recipe radic. angelicæ, carlinæ, dictamni albi, biſtortæ, tormentillæ, ana drach. iij. vincetoxici, gentianæ, rhapontici, ſcorzoneræ, acori veri, ana ʒ. ss. fol. abſynthii, abrotani, ivæ arthriticæ, ana manip. ss. fol. ſcordii, calamenti, ana manip. j. flor. roſmar. centaurii minoris, ormini, betonicæ, & malorum medicorum, ana pug. j. cinnamomi,

mi, nucis moſchatæ, caryophyl. ana ʒ. j. myrrhæ, maſtich. aloes ſuccotrinæ, ana ʒ ij. caſtorei, mumiæ tranſmarinæ, an. ſcrup. ij. corall. rub. præparati, cornu cervi, matr. perl. præparatæ, an. drachm. j. ss. croci ſcrup. i. aſſæ dulc. ſpicæ nardi, an. drach. i. cort. citr. & malorum medicorum, an. unc. i. ss. ſantal. rub. citr. & alb. an. unc. ss. Omnia contere, & infunde in vaſe vitreo benè obturato unà cum ſpiritu vini electi alkalizati lib. ix. ad digerendum per dies 15. Per decantionem inde tincturam ſejunge, ipſique ſalem adde fœcum ſec. artem de incenſis fœcibus. Tinctura hæc maximis pollet virtutibus, perinde ac Elixyr vitæ ſpiritus recreat vitales, omnemque expellit ab ipſis veneni vaporem. Datur in omnibus malignis morbis, tempore peſtis, & contrà omnia venena à ϑ. j. ad ʒ. j.

Elixyr vitæ majus noſtrum.

Recipe ſucc. meliſſæ lib. ix. vini generoſi lib. iv. cornu cervi in fragmenta crudi lib. iij. unicornu foſſilis, boli Arm. pretioſi an. lib. ss. viperas decorticatas abſque capite, cauda, & interioribus num. iij. & diſtilla per tamburlanum benè ſtannatum quod magnum habeat refrigeratorium: fragmenta autem cornu cervi, & unicornu ſtent in collo tamburlani, ne omnem recipiant fumum. Poſtquàm ſtillaveris, novum iterùm ſuccum & vinum diſtillato adde, ſemperque recens cornu cervi, & viperas tres, ut dictum eſt, quam manipulationem fac novies; qualibet nempè vice adjungens recentem ſuccum, recenſque vinum diſtillato, & vas permutans juxta capacitatem. Ultima vice adduntur omnia ſupradictæ tincturæ polycreſtæ, & in fimo equino, ſive balneo Mariæ calido digeruntur per menſem in vaſibus vitreis capacibus benè obturatis. Diſtilla inde ad ſiccitatem extrahes non ſolùm ex omnibus facibus, ſed & fragmentis aſſium, & tertis, ſaltem ſecundùm artem, quo immixto cum diſtillato circulabis per duos menſes.

Elixir hoc, quamvis difficile, attamen non magnæ impenſæ, illo autem unquam inveni pretioſius inter tot, quibus uſus ſum; cordialius enim operatur, quàm illud Sereniſſimi Magni Etruriæ Ducis. In Omnibus affectibus, in quibus cor, & viſcera auxilio indigent, dari poteſt, ad venenorum, putredinum, &c. reſiſtentiam. Doſis à drach. ss. ad drach. ij. neque odorem habet aquæ vitæ, ſed graviſſimum, & ſuavem.

Tinctura Viperarum noſtra.

Recipe viperas decorticatas num. xx. & imbibe ſpiritu ſalis; indeque adde dictam. Cretic. albi, tormentillæ, biſtortæ, vincetoxici, ſcorzoneræ an. unc. i. vini albi generoſi q. ſ. ad imbibendum, quod ſupernatet duobus digitis, & digere in baln. Mariæ ſeu fimo equino. Poſt dies octo in eodem vaſe vitreo decoque per duas horas in balneo Mariæ, indeque ſit fortis expreſſio. Fœces exſiccatæ incenduntur, & ſal extrahitur. Quod remanet bis purificatur ovi albumine, iterumque ponitur in balneo Mariæ tepido per triginta dies, calore moderato; hoc enim tempore rubeſcit ad inſtar ſanguinis.

Cordialis hæc eſt, & Alexipharmaca prodeſt hecticis, phthiſicis, hydropicis, cachecticis, febre laborantibus putrida, & maligna, & tempore peſtis multi etiam utuntur pro præſervativo, ſanguinem enim mundificare affirmant. Doſis à ϑ. j. ad drach. ss.

Extractum noſtrum Antinephriticum.

Recipe cort. & ligni abjetini, raſpati lib i. ligni nephritici lib. ss. cortic. interioris coryli unc. vi. herb. ſaxifragiæ, pimpinel. cymbalariæ, parietariæ, herb. Turcic. an. manip. i. radic. liquiritiæ ononidis, bardanæ, leviſtici an. unc. i. ss. bacc. maturarum junip. amygd. perſici, amygd. ceraſi an. unc. iij. ſem. dauci, petroſelini, pimpinellæ, cepæ, urticæ, geniſtæ an. unc. ss Comprime, & contere omnia; recipe indè ſucci de her-

herniaria, de hedera terreſtri, de parietaria, de cæpa, de malo maſſilico, de raphano an. lib. j. vini generoſi lib. iij. & una cum ſuprad. omnibus pone in vaſe vitreo capaci, benè obturato in balneo tepido per dies octo. Fortem indè fac expreſſionem, & ovi albumine clarifica, & percola, & exhala per alembicum in balneo Mariæ, donec in formam extracti liquidi evadant. Tunc addes hæc magiſter. Oculorum cancrorum, cortic. ovi, matr. perl. cryſtalli de monte an. ʒ. i. ss. ſalis fabarum parietariæ, ſuccini, urinæ volatilis an. drach. 1. miſce, & ſerva.

Maximum eſt remedium contra omnes calculorum ſpecies, arenulas & ſimilia, dolores extinguendi nephriticos cæteris virtute præcellit. Doſis à ʒ. ss. ad ʒ. i. vel in pilulas, vel in liquoribus appropriatis.

Antifebrile noſtrum.

Recipe cortic. chinæ lib. ss. cortic. tamariſci, cort. fraxini, an. unc. 1. fol. chamædryos. chelidoniæ, pimpinellæ, heliotropii minoris an. manip. ss. aquæ ſtillatæ de ſucco chamedryos, & de ſucco cymarum tenerarum fraxini an ℔. iiij. ſpiritus vitrioli ſtybiati drach. ij. contrita omnia infunde in aqua prædicta, in vaſe vitreo bene obturato, in balneo Mariæ. Poſt dies 12. per fortem expreſſionem omne humidum extrahe, deque exſiccatis, & incenſis fæcibus fac ſalem. De liquore fac extractum cum calore bal. ſecundùm uſum. Hinc recipe de dicto extracto unc. ij. extract. de rhabarb. de ſenna, de gratiola, an. unc. ss. magiſter. de mechoacana, de jalappa an. drach. 1. ſalis de fæcibus ſuprad. ſalis de centaurio minore, de gentiana, de abſynth. vitriolato, de vitriolato Martis ana drach. i. magiſter. de cortic. limacum parvarum de lacu oblongarum unc. ss. magiſter. tart. ſoluti drach. ij. Hæc omnia fermentabis per dies duodecim. Datur antifebrile hoc in omnibus febrium ſpeciebus, tam intermittentibus quàm continuis. Siſtit vapores febris, placideque purgat, eſt autem ex perfectiſſimis, quæ adhiberi poſſint, abſque eo quod unquam nocuerit. Doſis ad drach. i. ss.

Spiritus noſter Vitrioli ſtybiatus, qui ingreditur in aqua Catholica, & in Antifebrili extracto.

Recipe ſpiritus vitrioli rectific. unc. 1. vitri hyacinthini de antimonio unc. ss. digere in loco calido per menſem; ſpiritus enim tingetur in aureum colorem; indè percola, & ſerva.

Hinc ſpiritus erit ſtybiatus ſupradictus, qui unà cum medicamentis purgantibus à guttis 12. ad 20. placidè, & ſine vomitu operatur, corrigitque earumdem medicinarum calorem.

Magiſterium Tartari purgans noſtrum.

A pleriſque hoc deſcribitur, non verò ei fidem illam habent, quam habere deberent; Medici enim compoſitum minimè animadvertunt.

Fit hoc modo: Recipe ſalis de tartaro facti de oleo dicti tartari partem unam, aceti diſtillati fortiſſimi partes duas, & miſce ſimul. Poſtquam interno exæſtuaverint murmure, diſtilla ad ſiccitatem, indeque novum acetum adde. Subbullitione prædicta iterum facta dulcificantur: acetum enim ſalſedine ſalem exuit, & ſale acetum acrimoniam. Hinc iterum diſtilla, & hanc facies manipulationem decies, donec acetum ſuam ſibi reſumat acrimoniam; ſemper autem ſtillabis ad fixationem tartari. Fixo decimæ vicis adjunge aquam vitæ ſtillatam, & rectificatam, factamque de vini fæcibus, ſubitò enim tingetur in rub. colorem. Tincturam indè percola, & aquam vitæ iterum infunde, donec amplius non tingat, atque tunc filtra, iterumque ſtilla ad ſiccitatem. Quod reſtat fixum ad aerem reſolvitur in oleoſum liquorem, qui magiſterium eſt tartari ſolutivum.

Solvit craſſos, & tenaces humores, qui in venis ſunt; certum autem, & neceſſarium remedium eſt in omnibus febribus longis, & vitioſis. Immò Præ-

ce-

ceptor meus Riverium in fine febrium acutarum, vel contumacium ad humorum reliquias, & fermentum reſolvendum, ægrotos purgabat per epicraſin; hoc modo: Recipe aq. capil. Ven. vel ſimilis humoribus appropriatæ unc. vi. ſennæ ſcrup. ii cinnamom. rhabarb. an. ſcrup. i. ſpiritus vitrioli ſtybiati, ſive communis gut. iij. infundebatque per noctem. Manè aquam percolabat, additiſque gut. xv. vel xx. de dicto magiſterio, propinabat quater, vel quinquies, cui plùs, cui minùs, juxta neceſſitatem; cui quotidie, cui alternatim; nonnullis doſim minorem, nonnulliſque majorem, aliquibus pro rhabarb. mechoacanam vel jalapam ponebat; aliquibus unc. i. dabat ſyr. roſarum ſolutivarum, atque hoc modo corpora obſtructionibus infarcta non remanebant, neque febres in erraticas convertebantur. Hac eadem ſerie utor, uſuſque ſum ego, ſicut & Medici multi mihi familiares, multam ſibi laudem comparavere, maximas enim vidi utilitates.

Febrifugum noſtrum.

Recipe flor. antimonii ter ſublimati cum ſale armoniaco, & dulcificato, vitri de antim. hyacinthino pellucidi, an. unc. ss. aq. fortis factæ de nitro, & de alumine unc. iv. in qua præcipita dictum antimonium, iterùmque recipe Mercurii revivificati à cinnabar. unc. vi. & cum aqua forti facta de nitro, vitriolo, & alumine præcipita, donec omnia præcipitentur: recipe inde aurum de Cechinis Venetis, aut Ungaris limitatum ad unc. i. & ſolve in aqua regia, omniaque tria menſtrua cum materia pone in retorta bene lutata, & igne gradatim diſtilla ad ſiccitatem; ſpiritum collige in vaſe recipiente bene obturato, ipſumque diſtillatum infunde in retorta. Diſtilla iterum, eodemque modo ſemper ſuper caput mortuum duodecies. Ultima vice fracta retorta lavatur pulvis aquis cordialibus quinquies, quem inde exſiccatum in lib. ij. aquæ vitæ rectificatæ immerges, ipſumque in retorta nova benè lutata iterum diſtillabis cohobans ſexies ſuper maſſam. Hinc aquam vitæ ſepara, maſſamque calcis repone in crucibulo forti benè lutato, igne rotæ, per tres horas. Remove inde, & ſpiritum aquæ vitæ ſuperincende, quem anteà ſtillaveras.

Febrifugum eſt hoc compoſitum tribus ab Herculibus, cum noſtro Præceptore quarto Athleta, quartanarum deſtructos, ut ex ejus, & meis Obſervationibus innumera patuerunt experimenta. Doſis à gr. vi. uſque ad x. cum reſina ſcammonæ, vel ſcammonea præparata cum ſulphure, à gr. xii. uſque ad xxv. juxta vires. Multi hoc indagaverunt, non autem veris manipulationibus, & legitimis: hoc unum ſincerum eſt.

Sales, quos adhibeo in febribus pertinacibus. Perinde ac Autumnalibus, & ad humores heterogeneos diſſolvendo optimi.

Recipe ſal. de gentiana, de centaurio minore, de chelidonia, de abſynthio, de carduo ſancto, prunellæ, de vitriolo Martis, flor. ſal. armoniaci, ana unc. j. atque de agrimonia, vel ſimilis q. ſ. prædictoſque ſales reſolve, & fac lixivium. Decoque in lento igne, donec ſupra fiat pellicula, & repone in loco humido, & frigido, nam cryſtallizabantur. Conſumunt hi oppilationes, febreſque intermittentes vitioſas, ut quartanas, & ex impuritate productas. Doſis à ℈. i. ad drach. ss. & drach. i. in jure, vel ſimilibus appropriatis. Nonnullis dantur duabus horis ante acceſſiones, & tegitur æger, ut ſudare poſſit.

Salem quoque ex alumine, & tartaro factum Præceptor meus dabat, quem valde laudibus extollebat: ego verò nunquam uſus ſum, ſcilicet.

Recipe crem. tart. & aluminis, an. partem æqualem aquæ ſtillatæ de carduo ſancto q. ſ. in qua reſolvuntur ſupradicta, igneque lento reducuntur in formam, qua cryſtallizari poſſint in loco humido, & frigido. De hoc datur à ℈. j. ad drach. ss. in liquoribus appropriatis.

Sæpe etiam do ſalem abſinthii vitriolati,

vel

vel alios; recipe nempe sal. & cum spiritu vitrioli conjunge, donec subbullitio fiat, qua facta evapora, & minùs pungens erit, aptiorque ad apertionem, & refrigerationem. De tartaro vitriolato à multis scribitur, & à Medicis adhibetur.

Conjunguntur pariter sales hi quilibet cum chalybe si recipias partes duas salis, quem chalybeare vis, partem unam vitrioli Martis, & cum aqua stillata appropriata liquefacies, igne inde lento condensabis in sale, qui veri sunt chalybeati. Eodem modo fiunt cum vitriolo Veneris, cum sale Lunæ, cum sale Jovis, & similibus.

Sal noster celebris Antiscorbuticus.

Recipe de cineribus dealbati, & incretis fraxini, juniperi, buxi, ligni sancti, menthæ crispæ, chamedryos, aggerati, agrimoniæ, centaureæ, hepaticæ, ceterac, linguæ cerv. fumariæ, cymbalariæ, nasturtii aquatici, cappar. tamarisci, genistæ hypericonis, portulacæ marinæ, sarmentorum vitis an. partes æquales, cum aqua nasturt. aquatic. fac salem sec. artem. Inde recipe de sale ipso unc. ij. & adde Vitrioli Martis ℥. ij. salis tart. aluminati ℥. ss. flor. salis armoniaci ter sublimati ℥. ij. auri fol. num. xx. spiritus salis communis q. s. ad imbibendum, ita ut dimidio digito supernatet. Calore lento exsiccetur spiritus cum suprad. & fiat massa & vocatur Antiscorbutic. Riverii, qui in hypochondriacis, cachecticis, & aliis perfectissimus est; humorum enim atrabilariorum omnes expellit impuritates, & venas mundificat. Dosis à ℥. ss. ad ℥. j. in liquore appropriato.

Extractum ligni sancti nostrum pro lue venerea.

Differt hoc nostrum ab aliis, extracto quippe utor, & menstruo, quod sudoriferum est, hoc modo.

Recipe lign. sanct. raspat. cortic. ejusdem salsæparillæ cinnamom. an. unc. iv. saffaffras unc. ij. vini generosi ℔. xij. digere in vase bene obturato. Post dies duos stilla, & extrahe ℔. ij. spiritus, quem ex se repone. Aliud vinum exhala per baln. Mariæ, donec deficiat plusquam dimidium, & tunc percola & filtra benè, & per baln. iterum exhala, donec evadat in formam mellaginis, & aliquando duriùs. Hujus extracti pro qualibet uncia adde ℥. ij. diaphoretici communis antim. ℥. ss. & bezoaris Orientalis, & fac pilulas, de quibus una pro manè datur ad pondus ℈. i. aut ℥. ss. quam sequitur unc. ss. de illa aqua vitæ, de qua dictum est, beneque tegitur infirmus: Triginta dierum spatio, citius vel serius ab omni mala qualitate prædicti morbi liber extabit, ut toties de hac compositione expertus sum.

Terebinthum potabile nostrum pro Gonorrhœis.

Recipe terebinthinæ claræ unc. iv. & pone in marmoreo mortario unà cum duobus vitellis ovi, & ligneo pistillo misce; nam in liquidam converteretur, addensque ℔. j. aquæ agrimoniæ miscebis donec soluta omninò sit. Hinc ampulla vitrea pones in baln. Mariæ per noctem, & manè percolabis per chartam emporeticam, vel linteolum. Adjunge inde sacchari fini ℔. j. vel plus, cum succo limonis q. s. per gratitudinem, & de hoc dabis unc. j. ad unc. j. ss. pro manè illis, qui remedia in pilulas sumere non possunt; hæc enim ex odore optimum faciet effectum.

Aqua nostra contra Gonorrhœas antiquas.

Recipe ligni sancti, lentiscis, corticis abietini, an. unc. iv. tritura, & infunde id ℔. viij. vini albi generosi, add. radic. dictamni, ireos Florentiæ, an. unc. iij. menthæ siccæ manip. iv. verbenæ manip. j. ss. sem. agni casti, rutæ, lactucæ, an. unc. iij. bene contusæ, terebinthinæ claræ ℔. j. misce, & pone in vitrea cucurbita per horas 24. in loco tepido; inde per baln. Mariæ distilla, & de illa dabis cochlearia duo, vel tria in mane per aliquot dies.

Potio

Potio nostra contra Gonorrhœas, & Ulcera Renum, & Vesicæ.

Recipe herb. vermicularis manip. j. radic. consolidæ majoris tormentil. alchimil. sigilli Salomonis, polugoni, plantag. an. unc. j. ss. sem. cydoniorum, agni casti, rutæ, plantag. rosarum, an. unc. j. succi limonum lib. j. sang. draconis, croc. Martis adstring. an. unc. j. aq. flor. malvæ lib. iii. macera per dies duos, postea igne lento decoque, & da cochlearia duo pro manè horis quatuor ante cibum.

De Extractis.

In Pharmacopœa Præceptoris mei manipulationes multæ ab his differre videntur, sed in formam ab eodem descriptam redactæ, majoris evadebant pretii quàm illæ ad usum Quercetani, & aliorum; non verò quòd Quercetanus, totque alii optima non egerent, sed *facile est inventis addere*, ipse diversam utiliùs servabat formam, ut ex his patet Arcanis à me descriptis quæ manipulationum augmento, & virtutibus amplificantur,

Extractionum purgantium ex vegetabilibus juxta supradicti disciplinam, usus meus est, quòd succum ex plantis illis extraho, quas jam antea propriis collegi temporibus, ipsumque digero per balneum, & optimè clarifico; hinc distillo separando spiritum, remanensque in extracti formam coagulo. Mox plantam expressam, novamque simul non expressam minutatim contero, & in vase pono capaci apto ad distillandum per descensum, ex eis nempe, quæ ad lignorum olea conficienda adhibentur. Appositio vase ad oleum recipiendum, igne circulatorio, qui semper vehementior augetur, omnis exit humiditas cæteraque in albissimum cinerem incensa converto, ni verò cinis q. s. calcinatus sit, iterùm ipsum calcino. Ex hoc cum aqua, vel spiritu primo separato lixivium facio, & cum filtratione saltem secundum usum. Oleum per descensum extractum, quod empyreumaticum exhalat, odorem supradicto sali immisceo, & paulo salis tartari clari, & puri pariter eidem addito, digero in loco calido. Distillo inde semper super fœces cohobando spiritum, donec oleum salis vi ab empyreumate destituatur, & in formam mellaginosam reduco. Tunc extracto primo facto mellaginosum quoque hoc addo, quapropter omnes spiritus, extracti, & salis facultates in unum hoc modo congeruntur. Hæc perfectior est forma, quæ pro extractionibus possit reperiri. In usu datur juxta compositi vim, vel Pharmacopœarum regulas, imò potiùs cum majori levitate, quia efficacior.

In herbis, drogis, aut radicibus siccis, vel pauci succi omnis extrahitur vis cum proprio menstruo, indeque accommodatur materies, ut supra, per descensum, & oleum exprimitur? hinc sal fit, qui oleo additus, & pluries, ut dictum est, rectificatus extracto jungitur; verò quidem est, quod hujusmodi extracta in vasibus vitreis servantur obturatis.

Alia generum omnium extracta simili pacto fieri possunt, tam alexipharmaca, quàm specifica, quamvis ex rebus variis forent composita; sed de horum descriptione non me extendo, qui enim artis exercitatione præditus est instructione non indiget.

Notandum est, quòd extracta vulnerariarum herbarum, verbi gratia aristolochiæ, symphyti, hypericonis stellariæ, veronicæ, saniculæ hederæ terrestris, & similium dari possunt internè non solum, verùm etiam externæ in linimentorum foram vulneribus admota absolutè, vel cum similibus; mirificos operantur effectus, confortant quippe, in unum contrahunt, & tuentur partem à corruptelis, ipsamque citiùs ad cicatricem reducunt. Ita pariter plantæ illæ, quæ absterſivæ sunt, & exulcerativæ, meliores efficiunt operationes.

De oleis vegetabilium ad usum Spagyricum tot de Spagyrica tractantia volumi-

lumina differunt, ad modum hunc optimum cæterorum existimo. Plantæ, de quibusvis, oleum, fac areant, & oleum per descensum extrahe, ut suprà dictum, hinc de cineribus fac salem, quem oleo junge, indeque unà cum pauca calce viva oleum rectifica, calx enim empyreumaticum odorem resolvit, si pluries, ut mos est, trajeceris. Mox in vase vitreo positum soli expone, flores, vel folia proprii vegetabilis ad infusionem immiscens, vel alterius, si compositum decreveris; odorem enim gratum resumit, juxtaque plantarum virtutem, gradus recipit illos augmenti, quot sunt centum pro qualibet; adhibentur autem non secus ac adnotata à primo Præceptore Petro Joan. Fabris tam interius, quàm exterius.

Basilicum Chymicum nostrum.

Recipe ol. mirrhæ, mastiches, thuris distillati, an. unc. ss. ol. terebinthinæ, de lateribus, ceræ distillati, an. unc. j. vitell. ovorum num. iij. misce benè, utere, nam mira experieris.

Balsamum Sulphuris nostrum.

Recipe flor. sulphur. unc. j. ol. terebinthinæ unc. iij. ol. violati unc. iij. misce, & in pila vitreata bulliant, agitabisque spatula lignea, donec fiant rubicundissima. Remove inde ab igne, & adde ol. ceræ, vitelli ovi, an. unc. ss. Misce, & utere in omnibus vulneribus, ad spasmos, nervos contusos, & transfixos.

Balsamum Mumiatum nostrum.

Recipe extract. aristolochiæ rotundæ, centaurii minoris, an. unc. ss. extract. hypericonis, simphyti majoris ana unc. j. terebinthinæ Venetæ, & mellis alb. ana unc. iv. myrrhæ unc. ss. mumiæ veræ unc. iij. croci Martis unc. iv. Hæc omnia misce, & infunde in vase vitreo cum ℔. iv. aquæ vitæ rectificatæ, & digere per mensem, agitando quotidie materiam, ut faciliùs spiritus vini rerum tincturam extrahat. Postea per inclinationem separa diligenter tincturam, & per baln. distilla usquequo sit in fundo alembici quasi mellago, quæ est balsamum, quo uti poteris ad vulnera quæcunque agglutinanda. Spiritus distillatus mirabiles etiam possidet virtutes.

Balsamum Apoplecticum nostrum.

Recipe essent. sive ol. distillati spicæ, salviæ, rosmar. junip. ana drachm. j. rutæ majoranæ, ana drachm. ss. cinnam. caryophyl. ana ℈. j. succini drach. j. ss. extract. Belzovini, storacis calamitæ bals. albi Orient. an. drachm. ij. bals. Peruviani, & Orient. liquidi, ana unc. ss. ol. nucis moscatæ expressæ unc. iij. ambræ griseæ, & nigræ, an. drach. j. ss. moschi odorati drachm. ij. Misce, & ad calorem lentissimum agita usquequo simul uniantur. Perfectissimum est pro epilepticis, & apoplecticis vertigines expellit; ab aeris contagiosa corruptione defendit cor, recreat omnes vitales facultates, & animales. Adhibetur ungendis commissuris coronalibus, temporibus, & odorando.

Spiritus noster sulphuris ad consolidanda pulmonum ulcera, ipsorumque sanandas corrosiones.

Recipe spiritus sulph. acidi rectificati, & paulatim superimbibe limatura chalybis, ad lib. duas, vel tres; nam ex se subbulliet, indeque quasi in salinam evadet. Hinc omnia pone in retorta benè lutata, & stilla sec. artem, & extrahe spiritum. Hinc imbibe iterùm capite mortuo, & cohoba quinquies; nova autem retorta qualibet vice. Dulcificatum spiritum adde magisterii margaritarum, bals. impertiti Orientalis, & belzovini, ana unc. ss. Misce, & in supradictis affectibus mirabile est, in omnibus phthisicis, quorum multi hoc salutem habuere à me curati.

Magisterium margaritarum fit solutis primò unionibus in ol. sulph. & inde bene dulcificatis cum aquis cordialibus, postea exaltatis cum spiritu vini. Magisteria Belzovini, & bals. Orient. dissolvuntur in spiritu vini, & præcipitantur aquis cordialibus,

libus, indeque ſublimantur eodem modo, quo ſulphur. Quod ſublimatur purius eſt, & pulmonibus optimum.

Balſamum Canis rubei noſtrum.

Occides canem rubeum, rejectiſque interioribus, non verò adipe, cæde ejus carnem, oſſa, & pellem in fruſta, quæ omnia in vaſe vitreo capaci fac bulliant cum ol. & vini q. ſ. addens hæc: adipis urſi, anſeris, gallinæ, taxi, vulpis, felis, equi, aſini an. unc. j. lumbricorum terræ vino ablutorum ℔. jv. radic. hebuli, ivæ arthriticæ, an. manip. iij. ſalviæ, ſpicæ, roſmar. abſynt. abrotani fol. cupreſſi cortic. hederæ cortic. ulmi, ſabinæ, an. manip. 1. Hæc omnia decoque, donec caro conſumpta ſit oſſaque omnia disjuncta. Tunc ad torcular exprimuntur, & reponuntur in retorta forti lutata, unà cum unc. j. gummi de hedera & ℔. ij. lumbricorum ſupradictorum, ivæ arthriticæ manip. vi. ranis vivis num. xx. & digere in loco tepido per dies tres. Inde diſtilla, extrahe omne oleum, quod ſervabis, nam balſamodinans eſt, & conſolidans nervos, præcipuè in morbis articularibus.

Emplaſtrum Sulphuris Rulandi.

Recipe olei ſulphuris noſtri unc. iij. colophoniæ drachm. iij. ceræ unc. ss. myrrhæ ad pondus omnium; cera, colophonia, oleoque liquefactis ſimul, & bene commixtis inſperge myrrha ſubtiliſſimè trita paulatim igneque lento coquantur, ſpatula ſemper agitando, donec optimè permixta fuerint; poſt quadrantem horæ ab igne deponantur, & paulatim frigeſcant. Habebis emplaſtrum præſtantiſſimum, certum, & infallibile in curandis cujuslibet generis ulceribus, & vulneribus quibuſcunque, ſicut experimenta in Centuriis ejuſdem Rulandi deſcripta, quibus tutò, & perpetuò fidendum. Et in curatione 94. dicit, quod in hoc emplaſtro eſt divina, miranda, & celer vis emolliendi, ſuppurandi, rumpendi, abſtergendi, & conglutinandi, quemadmodum longa experientia expertus eſt.

Oleum noſtrum Bufonis.

Recipe bufones ſylveſtres ex illis qui longè ab aqua morantur, numero quatuor vivos, & pone in olla benè obturata ut purgentur; recipe inde ol. commun. ℔. ij. in quo ebulliverint manip. j. pro qualibet hac re, ſcilicet ſalviæ, ſonci, radic. iridis, & gentianæ immerſoque uno ex illis bufonibus pones ad ignem in loco aperto, in olla vitreata cooperta; ſed cave à fumo. Dum primus aridus eſt pone alterum pariter vivum, cui arido inſequatur tertius, & ſic quartus; dum coctum ol. eſt percolatur; atque hoc calidiſſimum eſt contra omnes dolores frigidos optimum, contra tineam, morphæam & hydropem, & tepidum adhibetur.

Balſamum Antiapoplecticum noſtrum.

Recipe ol. ſuccini rectificati, petrolei Philoſophorum roſmarini, ſalviæ, ſpicæ, (omnia verò ſint diſtillata) an. ℥. ss. ol. nucis moſchatæ per expreſſionem unc. j. extracti caſtorei, ol. buxi, camphoræ, an. drach. j. balſami Peruviani, opobalſami Occidentalis, zibetti, extracti benzoini, an. un. ss. moſchi, ambræ griſeæ, an. ſcrup. j. Miſce omnia, & calore moderato conficiatur balſamum, quod valet contra morbos capitis, ungendo occiput, nares, & pulſus contra apoplexiam, epilepſiam, & ſimilia. Ungendo umbilicum colici dolores tolluntur, & hyſtericæ paſſiones.

Pilulæ noſtræ contra morbos peſtilentiales.

Recipe aloes lotæ, croci, myrrhæ, an. unc. ss. balſami Orientalis, Occidentalis, an. drachm. ss. oſſa de corde cervi un. vj. unicornu ſmaragd. bezoard. Orientalis, margarit. præparat. coralli præparat. ligni aloes, an. gr. x. ambræ griſeæ, gr. v. tincturæ noſtræ electri & magiſterii tartari, an. q. ſ. ad formandam maſſam pilularum, de quibus capiatur una ad pondus ℥. ss. ſerò in hora ſomni, bis in hebdomada. Sanguinem mundificant, ca-

put

put & ventriculum corroborant, ſuccurrunt cardialgiæ, ſpiritus omnes confortant, juventutem renovant, ſenectutemque retardant.

Aqua noſtra lapidem frangens.

Recipe nuces juglandes virides in menſe Maii, contuſaſque diſtilla, ter cohobando, ſemper diſtillato ſuper alias nuces virides contuſas, poſtea extrahe ſalem reſidui ex capite mortuo, eſt validiſſima; doſis erit ab unc. j. ad unc. j. ss.

Balſamum noſtrum contra Aſthma.

Recipe balſ. de ſulphure facti cum ol. terebinthini, & ol. ſulphuris noſtri dulcificati, an. unc. j. flor. aſſæ dulcis unc. j. ss. ol. de ſaccharo facti cum ſpiritu vini ℔. ij. Miſce, & fiat balſamum. Hoc prodeſt valde in omnibus morbis pectoris, & pulmonum; doſis erit cochlear dimidium, ad unum.

Pilulæ noſtræ contra omnes impuritates ſanguinis, & humorum.

Recipe extracti de helleboro nigro ſuo ſale fixato ʒ. ss. calomelani noſtri ʒ. ij. auri foliati mixti ʒ. ss. magiſter. margarit. ʒ. j. Miſce, & fiat maſſa pilularum, doſis à ℈. j. ad ʒ. ss. Si ſine calomel. datur ad quatuor, aut quinque menſes bis in hebdomada; ſanguinis autem contumaciam mundificabis in lue Venerea cum dicto calomelano.

Balſamum noſtrum contra dolores colicos.

Recipe amygdalarum amararum ex perſicis ℔. iv. terebinthi Cypri ℔. iij. Conterantur omnia, & miſce; recipe inde ol. expreſ. ex nuce moſcata ʒ. iij. balſ. Peruviani ʒ. j. ss. ex caryophyllis ʒ. ss. Miſce, & diſtilla ſec. artem. & ſuper caput mortuum ter cohoba, inde adde ſpiritus vitrioli roſat. ʒ. iij. eſſent. ambræ griſeæ, ligni aloes, an. ʒ. ss. Miſce, circula per dies 15. nam prodeſt mirificè contra dolores colicos; doſis à ℈. ss. ad ℈. j. cum liquoribus appropriatis.

Aqua Ophthalmica noſtra.

Recipe ſucci chelidoniæ, eufraſiæ, verbenæ, an. ℔. ss. ſucci cancr. fluviat. ʒ. viij. aloes ſuccotr. ʒ. ss. tuthiæ crudæ ʒ. j. croci metal. ʒ. j. ss. digere in levi calore per horas 24. inde diſtilla, & aq. diſt. adde vitri antim. ʒ. iij. & fac bulliat lentio igne per horam, inde cola, & ſerva; nam excellens eſt contra ſuffuſionem oculorum, caligines, &c.

Arcanum noſtrum contra morſum canis rabidi.

Recipe hepatis canis rabidi redacti in formam magiſterii, & magiſterii cancrorum fluviatil. an. ʒ. j. tincturæ croci Orientalis, gentianæ, caſtorei, myrrhæ, ana ʒ. iij. quintæ eſſent. vitr. ſalis communis antimonii, Lunæ, an. ʒ. ss. foliorum hyperici, betonicæ, millefolii, centaurii min. artemiſiæ, menthæ, abſynt. plantag. polypodii quercini, ſalviæ min. verbenæ, rutæ hortenſis, an. pug. j. aliſſi pug. iij. ſicca, & pulveriza, & cum gummi tragacanthi q. ſ. diſſoluti in aqua ſcorzoneræ, & liquoribus ſupradictis, fac paſtillos, & da ʒ. j. provice per 40. des cum aq. cordiali, & videbis mirabilia.

Tinctura noſtra contra Dyſenteriam.

Recipe ſanguinis leporis ſicci ℔. ss. ſpiritus vini rectificati ℔. j. ss. digerantur in balneo Mariæ per triduum, poſtea extrahe tincturam, ut artis eſt, & coagula ad formam mellaginoſam. Doſis eſt ℈. ss. ad ℈. j. cum lacte ſeminum acetoſæ.

Balſamum noſtrum Maſtiches.

Recipe Maſtich. capat. q. vis, fove in ſpiritu terebinthi igne tepido ex balneo Mariæ, dein ſepara menſtruum corpore ſoluto, & habebis balſamum ad

om-

omnes corporis affectiones; nam externè appositum sistit vomitum oris ventriculi; si internè ad gutt. 4. in jure, vel vino generoso.

Arcanum nostrum contra Volvulum, & Vomitum.

Recipe olei ætherei, seu quintæ essentiæ tereb. ʒ. vj. bals. Peruviani ʒ. j. ss. mastiches capati ʒ. vj. misce, & distilla, postea cohoba tribus vicibus, & utere in vino malvatico, vel jure cicerum rubrorum, aut alio specifico liquore Dosis à gr. 6. ad 12. Idem prodest oleum æthereum in eodem modo, &c.

Spiritus noster Nitri fixi Tartarizati.

Recipe spir. nitri rectific. ℔. j. pone in cucurbita vitrea oris ampli aperti, & paulatim, & guttat. oleum tart. facti per deliquium tantumdem superaffunde, spumam excitabit, tandiu superaffundas, quandiu spumam inexcitatam observabis. Tartarum nitriatum fundum petet, tunc decanta, & dulcifica cum aq. rosacea. Datur in morbis longis cum decoct. appropriatis à gr. vj. ad viij. in aq. cancrorum, vel formicarum, & antifebriticum est.

Emplastrum Antipleuriticum nostrum.

Recipe farinæ sem. lini ʒ. iij. cepæ, & saponis novi, an. ʒ. j. ss. Contere, & misce simul inde cum melle, pone in sartagine ad ignem, permiscens omnia donec incorporentur. Hæc supra stupam extende, & parti appone pleuriticæ, & appositæ dolori, mirificos enim contra hunc morbum videbis effectus.

Emplastrum nostrum pro fractis ossibus, & luxatis.

Reposito osse in locum suum, recipe fulig. camini ʒ. iij. thuris ʒ. j. farinæ tritici ʒ. iv. ovi albuminis q. s. ad supradicta subigenda: appone inde læsæ parti assulis accommodatis, & neque removeas, donec pars ex se ipsa dimittat. Aliquo videtur incommodo esse, verùm nullum aliud hoc æquare, nec eum antecellere unquam vidi in hujusmodi affectibus: adhibentur inde uxorata oxycrocei, & alia juxta necessitatem.

Oleum nostrum Antipleuriticum.

Recipe ol. communis ℔. iv. mense Maii, in quo pone pleuræ human. ℔. ij. & ℔. iij. flor. camomil. & liliorum alborum duobus mensibus ad Solem. Ad torcular inde exprime, & libra oleum, cui adde cucurbitam de æstate longam ad pondus ipsius olei, projecto verò cortice, & medulla, contritaque in fruſtula, fac bulliat donec ol. absorbuerit humiditatem è cucurbita, cujus nempè minutæ partes aridæ evaserint. Tunc in promptu habueris duodecim ignita ferrea fragmenta nova ad pondus ℔. ss. pro quolibet, ipsaque ol. singulatim demerge; hoc autem modo bis iterum inflammata bis extingues in oleo; tunc enim perfectum erit. Mirabile est si illo tepido ungantur partes dolentes, in pleuritide bis, vel ter die.

Pulvis Uterinus noster.

Recipe herb. Turcic. manip. j. baccar. lauri cortic. exutarum, sem. pastinacæ ana ʒ. j. ss. rutæ, agni casti & pœoniæ, granor. Paradisi, ana ʒ. ss. calami aromatici, cassiæ lignæ, macis, cinnamom. caryophyll. ana ʒ. iij. fœcul. brioniæ, salis Jovis, ana ʒ. ij. Misce, & in minutissimum pulver. contere, de quo dabe à ʒ. ss. ad unam in juribus, vino, confervis, vel similibus, contra omnes morbos uterinos.

FINIS.